N°19.Pl.7.

37
29 A
6

Digitized by Google

Ex Libris Antony Martinez

IAPA J 1931

Digitized by Google

INSTITUTIONES SCHOLASTICO-DOGMATICÆ,

QUAS

IN UNIVERSITATE VIENNENSI
AUDITORIBUS SUIS EXPOSUIT

JOSEPHUS REDLHAMER E S.J.
SS. THEOLOGIÆ DOCTOR,
EJUSDEMQUE PROFESSOR PUBLICUS, ET IN SACRA
FACULTATE CÆSAREO REGIUS EXAMINATOR
JURATUS.

TRACTATUS

DE DEO UNO, ET TRINO.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis JOANNIS THOMÆ TRATTNER, Cæſ. Reg. Maj. Aulæ
Typographi & Bibliop. 1756.

TRACTATUS THEOLOGICUS DE DEO UNO, AC TRINO.

Nulla Theologiæ pars præſtantior eſt ea, quam hoc libro tractandam ſuſcipimus, nulla dignior, nulla utilior, ſeu argumenti majeſtas, ac amplitudo, ſeu quæſtionum intercurrentium gravitas, ac uſus ſpectetur. Agitur de notitia Dei primo non Theologiæ modo, ſed & totius religionis fundamento; agitur de divinis attributis, ac perfectionibus, de ſcientia, de voluntate, de decretis Dei, prædeſtinatione, quæ omnia ita connexa ſunt, ac colligata cum aliis partibus, præcipue iis, quæ de Incarnatione, & Gratia Chriſti agunt, ut ſeſe mutuo juvent, nec poſſint a ſe invicem divelli. Antequam tamen ad interiora hujus tractationis adyta accedamus, ipſo in limine juvat aliquantum immorari, & præliminares quasdam de ipſa Theologia, ejusque principiis quæſtiones præmittere, ut quæ ſit illius ratio, quibusque innixa fundamentis, in ipſo aditu cognoſcatur; hæc enim ex præſcripta ſtudiorum ratione a nobis poſtulantur, & a graviſſimis Theologis legitimis quibusdam proœmiis, ac proluſionibus explicantur.

PROLEGOMENA THEOLOGIÆ.

Duo potiſſimum in Procemiali hoc tractatu ſunt exponenda, inprimis ea, quæ ad generalem Theologiæ notionem, deinde, quæ ad locos theologicos ſpeciatim pertinent. Non tamen inſtituti præſentis eſt, ſingulos illos locos fuſius proſequi, cum præcipuæ de illis quæſtiones tractationi de fide, proprio nempe loco, ſint reſervandæ: ſatis erit ſumma, ac neceſſaria capita ſtrictim delibaſſe.

CAPUT I.

DE NOTIONE, DIVISIONE, AC NECESSITATE THEOLOGIÆ, EJUSQUE PRINCIPIIS GENERATIM.

§. I.

De Notione, ac diviſione Theologiæ.

I. Theologia ſecundum nominis etymologiam eſt λόγος, aut λόγια τȣ̃ Θεȣ̃, id eſt ſermo, ſeu ratiocinatio de Deo; hinc late, & in ampliore ſignificatione accepta complectitur omnem ſermonem de natura, perfectionibus, operibus Dei, quo ſenſu veteres Philoſophi, ac Poetæ a Sancto Clemente Alexandrino *L.* 5. *Strom.* Theologi dicuntur, quod nempe de Religione, ac rebus ad Deos ſuos pertinentibus tractarent. Verum apud Catholicos Theologiæ nomen illi ſoli cognitioni tribuitur, quæ res divinas attingit per principia ſupernaturalia, revelationem nempe, & propoſitiones fidei. Obſervat

Pe-

Petavius dictam vocem apud græcos Patrès uſum quendam ſingularem, & reconditum habere, ac ſæpe θεολογίαν uſurpari pro ea ſola divinæ ſcientiæ parte, quæ de divinitate ipſa diſſerit; id quod inde perſpicuum eſſe docet, quod veteres de Chriſto loquentes, duas in illo naturas, diſcernant, & uni, hoc eſt divinæ θεολογίας nomen, humanæ vero οἰκονομίας aſſignent. Nobis proprie Theologia ſignificat diſcurſum de Deo, & rebus revelatis, unde deſcribi poteſt, *doctrina*, *ſeu diſciplina*, *quæ ex propoſitionibus fidei revelatis*, *aut una ſaltem revelata variæ de DEO*, *rebusque divinis concluſiones per diſcurſum deducuntur.*

II. Dicitur I. *ex veritatibus*, *ſeu propoſitionibus revelatis;* per quod differt a Theologia naturali, quæ de Deo, rebusque divinis diſſerit per lumen naturæ. Dicitur II. *aut ex una ſaltem revelata*, quia ad concluſionem proprie theologicam ſatis eſt, ut una præmiſſa ſit revelata, licet altera ſit naturalis, modo ſit certa. Dicitur III. *de DEO;* ut deſignetur objectum primarium Theologiæ. Dicitur IV. *rebusque divinis*, ut notetur objectum ſecundarium nempe omnia, quæ ad Deum tanquam principium, finem, gubernatorem, legislatorem, ſalvatorem &c. referuntur. Dicitur V. *concluſiones per diſcurſum deducuntur;* per quod inprimis differt a fide, quæ verſatur circa res revelatas per ſolam adhæſionem ſine diſcurſu. Deinde a Theologia patriæ, qua mentes beatæ Deum intuitive cognoſcunt per lumen clarum gloriæ.

III. Dividitur Theologia ratione materiarum, de quibus tractat, in *dogmaticam*, ſeu ſpeculativam, & *moralem*, ſeu practicam. Illa verſatur circa probanda, illuſtranda, & vindicanda fidei dogmata; hæc vero tota eſt ad informandos mores juxta regulam fidei, Deique legem. *Dogmatica* ratione methodi, qua res divinæ tractantur, diſtribuitur in *poſitivam*,

& *ſcholaſticam.* Illa in explicandis, propugnandiſque fidei myſteriis utitur principiis poſitivis, id eſt, iis, quæ jam ſunt poſita, ac conſtituta, qualia ſumuntur ex verbo DEI ſcripto, vel tradito, nobisque per Eccleſiam propoſito; agit ſtylo fuſiore, qualis eſt apud ſanctos Patres. Scholaſtica vero inde dicta, quod in ſcholis, ſeu Academiis uſurpetur, adhibet conciſum, & acutum dicendi genus, more dialectico terminos exponit, definitiones, ac diviſiones ſtatuit, aperit, figitque quæſtionis ſtatum, proponit argumenta, objecta diſſolvit, verbo accuratius, ſubtilius, & ad artis ſyllogiſticæ leges accomodatius ſuas probat concluſiones, illasque interdum extraneis illuſtrat argumentis, ut ſic facilius omni poſcenti de ea, quæ in nobis eſt, fide rationem reddat.

Scholaſticæ huius Theologiæ fundamenta poſuit D. Joannes Damaſcenus Seculo VIII. in quatuor libris de fide *orthodoxa* inſcriptis. Poſt ipſum hanc methodum ſectati ſunt nobiliores Theologiæ magiſtri, inter quos præcipuum locum obtinuit Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, Magiſter ſententiarum inde dictus, quod S. S. P. P. ſententias miro compendio in quatuor libros redegerit, quem ſubſecuti ſunt Alexander de Hales, Albertus Magnus, Doctor Seraphicus D. Bonaventura, & tandem Doctor Angelicus D. Thomas, qui univerſam Theologiam ſcholaſticam in unam ſummam compegit tribus libris comprehenſam.

§. II.

Exponitur neceſſitas Theologiæ.

IV. Neceſſitatem divinæ huius ſcientiæ notat D. Auguſtinus *L.* 14. *de Trinit. C. I.* ubi ait, doctrinam ſacram ejusmodi eſſe, *qua fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, ac roboratur.* I. Enim

per

per Theologiam fides gignitur diſpoſitive, nempe objecti revelati propoſitione, & explicatione; id quod oſtendit Apoſtolus ad Rom. X. his verbis: *fides ex auditu, auditus autem per verbum DEI - - - - quomodo autem audient ſine prædicante?* Cenſet igitur Apoſtolus eſſe ſacram doctrinam, per quam Eccleſiæ Paſtores, & Doctores myſteria fidei non ſolum exponant, ſed & omni momentorum genere firment. II. Per Theologiam fides nutritur; hac enim munimur adverſus hominum hæreticorum fraudes, & aſtutiam, *ne ſimus velut parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* III. Defenditur fides juxta illud Apoſtoli ad Titum I. v. 9. *oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* IV. Per Theologiam denique roboratur fides, ubi rationes theologicæ (quibus articuli fidei elucidantur, ac credibiles demonſtrantur) infirmas, ac nutantes imbecillium mentes confirmant.

V. Si quæras de Theologia Scholaſtica, ſeu methodo, qua ea tractari ſolet, fateor, eam abſolute neceſſariam non eſſe; cum Eccleſia adjuvante ſola Theologia poſitiva diu ſteterit, diuque floruerit ſine ope Scholaſticæ, quæ primum apud græcos ortum habuit Seculo VIII, & apud latinos Seculo XII. Negandum tamen non eſt, eam utiliſſimam eſſe, cum poſitivæ Theologiæ tria potiſſimum adjiciat; nempe ſtylum preſſiorem, ac dilucidiorem, methodum certam, ac uſum dialectices, quam D. Baſilius *in c. 2. Iſaiæ muri inſtar* ait *eſſe dogmatibus, quod ea non ſinit facile diripi, & quorumlibet excurſioni patere.* Et Clemens Alex. *L. 6. Strom.* eandem eſſe dicit vineæ Chriſti *ſepimentum*, ne ab hæreticis Sophiſtis Catholica fides proculcetur. Ceterum de uſu rationis, & humanæ Philoſophiæ in rebus Theologicis pertractandis infra dicetur, ubi de locis externis fiet ſermo.

§. III.

De Locis Theologicis generatim.

VI. Loci Theologici dicuntur promptuaria quædam, unde Theologus ſua argumenta depromit. Duplicis generis ſunt, nempe *interni*, ſeu proprii, & *externi*, ſeu improprii. Ex illis ſumuntur argumenta certa, cum divina revelatione, & Spiritus Sancti illuſtratione nitantur. Ex his argumenta fiunt probabilia duntaxat, eo quod humana tantum fide, aut ratione fulciantur.

Ex locis Theologicis internis ſe ſiſtit inprimis auctoritas ſacræ ſcripturæ, libris canonicis contentæ. II. Auctoritas traditionis Chriſti, & Apoſtolorum. III. Auctoritas ſanctorum Patrum, fidelium traditionis teſtium. IV. Auctoritas Eccleſiæ Catholicæ, quæ veras ſcripturas, & traditiones a falſis diſcernit, earumque ſenſum genuinum exhibet. V. Auctoritas ſummorum Pontificum, & conciliorum generalium, quæ Eccleſiam repræſentant.

Ad locos externos referuntur Theologorum Scholaſticorum, & juris Pontificii peritorum auctoritas. Rationis naturalis argumenta. Philoſophorum, & juris Cæſarei conſultorum placita. Humana hiſtoria. De his omnibus Melchior Canus Epiſcopus Canarienſis docte, ac copioſe diſſeruit in opere inſcripto *de locis Theologicis*; nos ea duntaxat, quæ ad declarandam argumentorum Theologicorum firmitatem, ac ubertatem faciunt, ſingillatim adferemus.

CA-

CAPUT II.
DE SACRA SCRIPTURA.

§. I.

De Notione, Veritate, & Integritate Sacræ Scripturæ.

VII. Scriptura Sacra DEI verbum eſt, ab Auctore Hagiographo afflante Spiritu Sancto ſcriptum, & ab Eccleſia nobis manifeſtatum. Dicitur I. *verbum DEI* juxta illud Apoſtoli ad Theſſal. c. 2. *gratias agimus DEO - - - quoniam cum accepiſſetis a nobis verbum auditus DEI, accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt vere verbum DEI.* Dicitur II. *Afflante ſpiritu ſancto;* ut indicetur Auctor principalis ſacræ ſcripturæ: nam (ut ait Apoſtolorum princeps 2 *Petr.* 1.) *non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti DEI homines.* Dicitur III. *ab Auctore Hagiographo ſcriptum;* ut notentur Auctores ſcripturæ inſtrumentales, ſeu homines, quibus DEUS ad ſcribendum uſus eſt juxta illud Apoſtoli *Hebr.* 1. *olim DEUS loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.* Dicitur 4. *& ab Eccleſia nobis manifeſtatum;* Eccleſiæ enim eſt determinare qui ſint libri Canonici, qui non ſint: unde notum illud D. Auguſtini effatum: *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas.*

VIII. Quomodo, inquies, DEUS ſcriptoribus ſacris afflavit quæ ſcripſerunt? an per ſimplicem approbationem eorum, quæ humanitus ſcripſerunt? an per ſpecialem aſſiſtentiam? an per revelationem? an per inſpirationem? R. 1mo. Ad ſacram ſcripturam non ſufficit ſimplex approbatio; alioquin ſcriptura

non

non foret verbum Dei, quia non procederet de ore ejus. Unde cum Apoſtolus refert aliquas Poetarum ſententias, eæ non ſunt ſcriptura ſacra, prout dicta ſunt a Poetis, ſed prout ſcriptæ ſunt ab Apoſtolo ex inſpiratione Spiritus Sancti. R. 2do. Nec ſufficit ſpecialis Spiritus Sancti aſſiſtentia; alioquin definitiones conciliorum forent ſcriptura Sacra. R. 3tio. Nec requiritur in omnibus divina revelatio; nam hæc eſt manifeſtatio veritatis ante ignotæ a Deo facta: atqui non omnia, quæ ſcripta ſunt, antea ſcriptores Sacri ignorabant. R. 4to. Requiritur, & ſufficit proprie dicta Spiritus Sancti inſpiratio juxta illud Apoſtoli 2 ad Timoth. 3. *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum* &c. Ceterum controverſia inter ipſos Catholicos eſt, utrum omnia, non ſolum res, ac Sententiæ, ſed & ſingula divinæ ſcripturæ verba, uſque ad minimos apices, fuerint a ſpiritu Sancto inſpirata, an vero verba, verborum ordo, ac ſtylus unius cujusque ſcriptoris ingenio permiſſa fuerint? de quo videri poteſt Annatus l. 2. de Scriptur. Div. Art. 6.

IX. Quæritur, an ſcripturæ, quæ nobis ab Eccleſia ut Sacræ proponuntur, ſint libri genuini, & non ſuppoſiti? R. ita eſſe; nam quovis tempore, & Eccleſiæ Seculo adſcripti ſunt auctoribus, quorum nomen præ ſe ferunt, ut conſtat I. ex innumeris ſcripturæ editionibus, quæ ſub iisdem ſemper titulis in lucem prodierunt. II. Ex eo, quod ſcriptores ſubſequentes libros antea ſcriptos ſub iisdem nominibus ſemper allegent; ut in novo teſtamento citantur libri Moyſis, Iſaiæ, Jeremiæ &c. III. Ex primis Eccleſiæ Patribus, qui tum Evangelia, tum Epiſtolas Apoſtolorum, tum alios novi teſtamenti libros propriis nominibus referunt. Et certe ſi libri iſti fuiſſent ſuppoſiti, id factum eſſet vel ante, vel poſt Chriſtum; ſed inprimis non ante Chriſtum; nam Judæi, & pagani errorem certo detexiſſent, ſtatimque ſcripta, quibus adeo pre-

me-

mebantur, falſi redarguiſſent. Non etiam poſt Chriſtum; Judæi enim longe ante adventum Chriſti libros veteris teſtamenti habebant, quos Eccleſia Chriſtiana ab eis recepit; & libri novi teſtamenti ab ſcriptoribus Apoſtolorum coævis D. Ignatio, Clemente Petri diſcipulo, Polycarpo Joan. Auditore ſub eorum nomine conſtanter laudati ſunt, ut adeo nulla falſi ſuſpicio ſubeſſe poſſit.

X. Quod integritatem ſcripturarum attinet, Cenſeo cum Bellarmino, libros veteris teſtamenti Bibliis contentos eſſe integros quoad partes ſubſtantiales, id eſt, quoad fidem, ac mores; nec enim a Judæis (ut arguit D. Hieronymus in C. 6. Iſaiæ) depravati ſunt ante, nec poſt Chriſti adventum: non ante; nam ut loquitur citatus Hieronymus, *nuſquam Dominus, & Apoſtoli de hoc crimine reticuiſſent.* Nec poſt Chriſti adventum, tum quia teſtimonia, quæ a Chriſto, & Apoſtolis ex veteri teſtamento laudantur, omnia inveniuntur nunc in Moyſe, & Prophetis, ut ab illis citata ſunt. Tum quia præcipua de Chriſto vaticinia eodem modo in noſtris codicibus leguntur, quo in Judaicis, tum quia tanta eſt Judæorum religio erga libros Sacros, ut ſcribat Philo Judæus, quemlibet illorum potius moriturum, quam ut legem in aliquo mutari pateretur. Eodem modo cenſendum eſt de textu originario græco novi teſtamenti; nam purus eſt, ac integer quoad partes ſubſtantiales, cum nulla rationabilis depravationis ſuſpicio ſubeſſe poſſit. Dixi autem *quoad partes ſubſtantiales;* notat enim Bellarminus *(L. 2. de verbo DEI c. 7.)* græcos codices non eſſe ubique incorruptos, ſed aliquos interdum errores irrepſiſſe, ſaltem negligentia librariorum, nec tutum eſſe, latinam verſionem ſemper ad græcam corrigere, quæ hodie non eſt fons puriſſimus. Ceterum num aliquis liber ſit ſacer, divinaque præſtet auctoritate, id definire pertinet ad Eccleſiam, quæ eſt *columna, & firmamentum veritatis.*

§. II.

De Canone Sacrarum Scripturarum.

XI. Nomine Canonis notatur certus numerus librorum, quos Eccleſia ut Sacros recipit; unde dicuntur libri *Canonici*. Quod ſi aliquos non recipiat, *Apocryphi* vocantur, ex quibus hæc pauca videntur extare (ut ait Bellarminus l. I. de verbo Dei. c. 4.) oratio Manaſſe; libri tertius, & quartus Esdræ; libri tertius, & quartus Machab. Pſalmus 151. qui reperitur in græcis codicibus, & cujus meminit Athanaſius; appendix libri Job; liber Hermetis, qui inſcribitur Paſtor.

Quot ergo libros in Canone ſuo recipit Eccleſia Catholica? R. recipit libros 72. nempe 45 veteris, & 27 novi teſtamenti, ex quibus fidei, morumque regula eſt petenda. Conſtat id ex Conc. Trid. Seſſ. 4. in ſuo de ſcripturis Canonicis decreto, quod ita habet: *ſacrorum librorum indicem huic decreto adjungendum cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui ab ipſa Synodo ſuſcipiuntur.* Hic Concilium enumerat libros omnes Canonicos, itaque concludit: *ſi quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus - - - pro Sacris, & Canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas prudens, & ſciens contempſerit anathema ſit.* Inter illos libros aliqui dicuntur Protocanonici, id eſt ante alios in Canonem relati, quales ſunt in veteri teſtamento 5 libri Moyſis, & in novo 4 Evangelia aliique his ſimiles. Alii Deutero Canonici, qui ab initio in Canonem non ſunt recepti, eo quod aliqui Catholici de eorum veritate dubitarent; quos tamen ſucceſſu temporis in ſuum Canonem recepit Eccleſia; quales ſunt in veteri teſtamento libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & duo libri Machab. in novo S. Marci caput ultimum,

S. Lu-

S. Lucæ hiſtoria de ſudore ſanguineo, Epiſtola ad Hebræos, Jacobi, ac Judæ, ſecunda Petri, ſecunda, & tertia Joannis, ac tandem Apocalypſis, quos omnes tanquam veros & Canonicos Eccleſia agnoſcit.

XII. At inquies, quo fundamento Concilium Tridentinum omnes illos libros Canonizavit? R. ea ratione, qua Eccleſia ſolet dirimere alias fidei controverſias, nempe ex traditione; nam Tridentini Patres hos acceperunt ab Eugenio IV. in Conc. Florent. in inſtructione pro Armenis; Eugenius IV. hos accepit a Gelaſio I. in Concilio Romano 70. Epiſcoporum; Gelaſius ab Auguſtino l. 2. de Doctr. Chriſt. c. 8. D. Auguſtinus a Conc. Cartag. III. cui interfuit A. 419. Hoc Concilium ab Innocentio I. Rom. Pontifice, qui *Ep. 3. ad Exuperium* aſſerit omnes hos libros ut divinos eſſe excipiendos, juxta traditionem ab Apoſtolicis temporibus in Eccleſia Romana conſervatam; hic denique ab antiquiſſimo Concilio Laodicenſi ſub S. Sylveſtro Papa A. 314. celebrato. Accedit, quod etſi Patres ante quartum Seculum non texuerint Catalogum librorum Sacrorum, libros tamen Deutero Canonicos tanquam divinos laudaverint, ut S. Clemens Rom. S. Ignatius, S. Juſtinus, S. Clemens Alexandr. S. Irenæus, S. Cyprianus, Tertullianus, quorum teſtimonia ſingillatim *(libro de verbo DEI)* profert Bellarminus. Hinc mirum non eſt, fuiſſe quosdam Eccleſiæ Patres, qui de horum librorum auctoritate dubitarint; cum illis temporibus per omnium manus currerent varii tam veteris, quam novi teſtamenti libri, & nondum fuiſſet ab Eccleſia quidquam definitum.

Multos ex Canone librorum Sacrorum deleverunt Hæretici; ac inprimis omnes veteris teſtamenti libros in antiquo Judæorum Canone non repertos pro Sacris non agnoſcunt. Verum quid mirum eſt, ſi libri nonnulli e. g. Sapientiæ, Eccle-

ſiaſtici, & duo Machabæorum non fuerunt ab Esdra in Canone comprehenſi, cum illi nondum conſcripti fuiſſent? Idem conjiciunt de libris aliis, qui igitur vel græce primum ſcripti, vel redditi a Judæis Helleniſtis 70. interpretum collectioni additi, & tanquam Canonici in Synagogis publice lecti fuere; inde apud Chriſtianos jugi traditione promanarunt, quamquam illa traditio aliquibus Eccleſiis perſpecta non fuerit. Objectiones hæreticorum uberrime refutatas vide apud cit. Bellarminum.

§. III.

De Editionibus, ac Verſionibus Sacræ Scripturæ.

XIII. Quæritur I. quo idiomate conſcripti ſunt libri Canonici? R. I. Codices veteris teſtamenti autographi omnes fuerunt Hebraici, exceptis libris Danielis, Tobiæ, Judith, qui ex D. Hieron. Chaldaice primitus exarati fuerunt; & exceptis libris ſapientiæ, & ſecundo Machab. qui eodem teſte græce fuerunt ſcripti. R. II. Omnes libri novi teſtamenti græce editi ſunt ab Apoſtolis, excepto Matthæi Evangelio Syriaca lingua Hebræis tunc vulgari dato, & excepta pariter Epiſtola ad Hebræos, quam Hebræam ad Hebræos ab Hebræo Paulo primum datam contendit S. Hieronymus.

Q. II. Quid notandum de editione Hebraica? R. ea eſt Esdræ, quam ille poſt captivitatem Babylonicam in varios codices diſperſam in unum corpus redegit, divinoque auxilio ad primævam ſuam puritatem reduxit. Hanc editionem, qua D. Hieronymus uſus eſt in ſua verſione, fuiſſe veram, & authenticam indubium eſt; cum vulgata verſio, quam ut authenticam approbat Eccleſia Catholica, ſit ſecundum partem illius majorem D. Hieron: qui textum Hebraicum latine eſt interpretatus; unde ipſe textus fuit authenticus. Cum vero

textus

textus Hebraicus tempore illo fuerit incorruptus quoad partes ſubſtantiales, ſemperque ſuerit conſervatus a S. S. P. P. & hodie uſque ſervetur in Vaticano, aliisque bibliothecis, dubitari non poteſt, textum illum, ut apud nos eſt Catholicos, authenticum eſſe.

Q. III. Quot ſunt verſiones græcæ librorum veteris teſtamenti? R. ex pluribus quatuor ſunt magis celebres, inter quas principem locum obtinet verſio 70. *interpretum* ſic dicta, quia eam fecerunt 72. ſeniores Judæi, ſex nempe ex quavis tribu, græce, & Hebraice peritiſſimi, regnante Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum rege, qui ad Eleazarum ſummum Pontificem miſerat, ſenioreſque totidem petierat, qui Sacros libros in græcum ſermonem transferrent. Verſionem hanc authenticam eſſe, inde eſt, quod Spiritus Sancti aſſiſtentia facta, utriusque Eccleſiæ græcæ, & latinæ judicio ſit conſecrata. Verſiones aliæ ſunt *Aquilæ Pontici*, *Symmachi Samaritani*, & *Theodotionis Epheſini* nullius auctoritatis in iis, quæ ad Chriſtianam Religionem ſpectant, eo quod omnes fuerint Chriſtiani nominis hoſtes, verbique divini corruptores.

Q. IV. Quæ ſunt utriusque Teſtamenti latinæ verſiones? R. ante tempora D. Hieron. innumeræ erant verſiones latinæ; una tamen erat communior, quæ tum vetus, tum vulgata, & Itala dicebatur; at poſtquam Hieronymus, juſſu Damaſi Papæ, ſuam ex Hebræo latinam verſionem abſolvit, ſola hæc fuit retenta teſte Gregorio, totque ſeculorum uſu in omnium manibus verſatur, nomenque *vulgatæ* obtinuit. Hujus igitur Auctor eſt S. Hieron. qui fere totum vetus teſtamentum ex Hebræo in latinum tranſtulit, & novum ad græcum emendavit, ut ipſe fatetur *L. de Script. Eccleſ.*

Q. V. An & quo ſenſu Eccleſia declaravit vulgatam eſſe

authenticam? R. Concilium Trident. Seſſ. 4. eam pronuntiavit authenticam, hoc ſenſu, quod ſit immunis ab omni errore in *his omnibus*, *quæ ad fidem*, *& mores ſpectant*, ut docet Canus L. 2. de Locis c. 13. Hinc primo Eccleſia non declaravit vulgatam authenticam, hoc ſenſu, quod debeat præferri Hebraicis, & græcis fontibus germanis, ut calumniatur Calvinus *(in Antidoto Seſſ. 4.)* nam Tridentinum vulgatam nullo modo comparavit cum Hebraicis, aut græcis fontibus; ſed ſolum ex verſionibus latinis, quæ nunc circumſcruntur, unam elegerunt, quam ceteris anteponerent, ut ait Bellarm. *l. 2. de verbo DEI c.* 10. Deinde non declaravit eam authenticam hoc ſenſu, quod nulla omnino levis momenti menda in ea reperiantur, cum eo tempore, quo Sacra Synodus ſuum decretum promulgavit, ſelectis doctoribus mandavit, ut vulgatæ emendationi ſedulo incumberent, quam correctionem inceptam a Pio IV, continuarunt Pius V, Sixtus V, quæ tandem ſub Clemente VIII. perfecta eſt, ut patet ex Præfat. Sixtinis Bibliis præfixa.

Q. VI. Quando licitum eſt recurrere ad fontes pro emendatione Codicum latinorum? R. cum Bellarmino *(l.2.cit.c.II.)* licitum id eſſe I. quando in codicibus noſtris videtur eſſe error ſcribarum, aut librariorum. II. Quando latini codices variant, nec certo ſciri poteſt, quæ ſit vera vulgata lectio. III. Quando verba, aut ſententia eſt ambigua, ut dubius ſenſus tollatur, & verus eruatur. IV. Ad energiam, & proprietatem verborum intelligendam.

§. IV.

De Senſu Sacræ Scripturæ.

XIV. Q. I. Quotuplex eſt ſenſus ſcripturæ? R. I. Litteralis, ſeu hiſtoricus, qui per verba immediate ſigni-

ſignificatur, ſeu ſint verba propria, ſeu Metaphorica, ſeu Parabolica. II. Senſus myſticus, nempe qui non verbis ipſis ſed rebus per verba ſignificatis indicatur; atque hic triplex eſt, Allegoricus, Tropologicus, & Anagogicus. Quadruplex ille ſenſus in una voce, Jeruſalem occurrit: nam *litteraliter* ſignificat urbem Palæſtinæ: *allegorice* Eccleſiam; *tropologice* animam hominis; & *anagogice* patriam cœleſtem. Præter hos ſenſus eſt alius accommodatitius, quo ea, quæ literali, aut myſtico ſenſu in ſcriptura dicuntur, per quandam extenſionem, aut ſimilitudinem ad aliud applicantur; qui quidem auctoritatem divinam non habet, cum a Spiritu Sancto non ſit intentus, admitti tamen poteſt, ſi pius ſit, & ad Sacra accommodatus, ſi verus; ſi non tradatur pro litterali.

Q. II. Ex quo ſenſu Sacra Theologia certa poteſt deducere argumenta? R. ex ſolo ſenſu litterali; non autem ex myſtico, niſi aut ab Eccleſia proponatur, aut ſcripturæ, & traditionis auctoritate nitatur, aut ex ipſa textus Sacri ſerie certo colligatur. Hinc D. Hieronymus *in c.* 13. *Matth.* ita loquitur: *nunquam parabolæ, aut dubia ænigmatum intelligentia poſſunt ad auctoritatem dogmatum proficere.* Dixi autem; *niſi ab Eccleſia proponatur, aut ſcripturæ auctoritate nitatur* &c. Nam tunc certiſſimum præbet argumentum, quia inde certum eſt, ſenſum illum myſticum a Spiritu Sancto fuiſſe intentum; talis ſenſus eſt ille, quo Petrus (1 *Petri c.* 9.) docet eos, qui in arca ſervati ſunt, ſignificare myſtice eos, qui in Eccleſia ſalvi fiunt per baptiſmum, *quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos fecit baptiſma.* Ceterum ſenſum ſcripturæ repetendum eſſe ex judicio, & declaratione Eccleſiæ, oſtendunt uberrime Polemicæ Theologiæ Doctores.

Q. III. Quando idem textus videtur habere ſenſus contrarios, quomodo exponi debet? R. I. Ille ſenſus eſt ſolus verus, qui a tota Eccleſia eſt receptus: ſic hujus textus;

Pater

Pater major me eſt Joan. 14, ſenſus verus eſt, filium non in omnibus, ſed ſolum ſecundum humanitatem eſſe Patre minorem, quia contra Arium ab Eccleſia eſt receptus. II. Ille ſenſus eſt verus, qui cohæret magis cum alio Sacræ Scripturæ loco; ſic ſenſus textus prioris intellectus de minoritate filii ſecundum humanitatem cohæret cum alio textu Joan. 10: *ego, & Pater unum ſumus.* III. Si unus ſenſus ſit S. S. P. P. & ſenſus illi contrarius ſit novus, nec in Patribus repertus, Concilium Trident. docet ſenſum S. S. P. P. eſſe tenendum, maxime ſi omnes, vel plures in eundem ſenſum conſpirent.

CAPUT III.

DE TRADITIONIBUS, ET SANCTIS PATRIBUS EARUNDEM TESTIBUS.

§. I.

De Notione, Neceſſitate, ac regulis traditionum.

XV. Traditio dicitur doctrina ad fidem, mores, vel diſciplinam Chriſtianam ſpectans, quæ in libris Canonicis non eſt ſcripta, ſed tantum aut in Conciliis, aut Patribus, aut unanimi Eccleſiarum conſenſu conſervatur. Triplex eſt, Divina, Apoſtolica, & Eccleſiaſtica. *Divina* eſt verbum Dei non ſcriptum, ſed ab Apoſtolis, verbi divini præconibus, ad nos viva voce transmiſſum; cujusmodi ſunt traditiones, quæ ad materiam, & formam ſacramentorum pertinent. *Apoſtolica* eſt Doctrina, quam Apoſtoli ipſi, ut Paſtores Eccleſiæ, inſtituerunt, & ad nos viva voce transmiſerunt e.g. obſervatio diei Dominicæ, & Paſchæ. *Eccleſiaſtica* eſt Doctrina, quæ ab ſucceſſoribus Apoſtolorum, accedente fidelium uſu, fuit introducta, & ad nos usque transmiſſa, ut

vigi-

vigiliæ, feſtorum celebrationes, aquæ luſtralis uſus. Ex quo patet, traditiones alias eſſe *perpetuas*, ut quæ dogma aliquod proponunt; *temporarias* alias, ut fuit obſervatio legalium uſque ad promulgationem Evangelii; *univerſales*, quæ toti Eccleſiæ ſunt propoſitæ, ut eſt diei Dominicæ obſervatio loco Sabbati; *particulares*, ut jejunium Sabbati Romæ olim obſervatum; *neceſſarias*, quæ in forma præcepti ſunt traditæ, ut eſt admixtio aquæ cum vino in ſacrificio miſſæ; *liberas*, quæ per modum Conſilii ſunt traditæ, ut aquæ luſtralis aſperſio.

XVI. Sola divina traditio, a DEO revelata, regula fidei eſſe poteſt, quam in lege nova dari præter verbum DEI ſcriptum, invictis argumentis oſtendunt Doctores Polemici; nobis ſatis erit, ex S. S. P. P. 4. priorum ſeculorum, quos Novatores admittunt, unum, alterumve, brevitatis cauſa, referre. Ex primo Seculo D. Dionyſius *(L. I. de Eccleſ. Hierarch.)* ita ait: *Apoſtoli ſumma illa, & ſuperſubſtantialia partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis nobis reliquerunt.* Ex Seculo II. D. Irenæus l. 3. c. 4. ita loquitur: *quid autem, ſi neque Apoſtoli ſcripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi traditionum, quem tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias?* Ex Seculo III. Origenes in cap. 6. ad Rom. ita inquit: *Eccleſia ab Apoſtolis traditione accepit, etiam parvulis baptiſmum dare.* Ex Seculo IV. S. Baſilius ſic ſcribit: *dogmata, quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus ex doctrina ſcripto prodita; quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio, id eſt, in occulto tradita recepimus.* Denique D. Chryſoſtomus in illud Apoſtoli Theſſ. 2. *tenete tradiones* &c. ita commentatur: *hinc patet, quod non omnia per Epiſtolam tradiderunt Apoſtoli, ſed multa etiam ſine litteris. Eadem vero fide digna ſunt tam illa quam iſta - - - traditio eſt, nihil quæras amplius.* Certe non omnia fidei dogmata, etiam a Novatoribus credita, contineri in ſcriptura, fateri debemus, an non

credimus, contra errorem Helvidii, virginitatem B. Virginis etiam poſt partum; contra Anabaptiſtas valorem Baptiſmi parvulis collati; contra Donatiſtas veritatem Baptiſmi ab hæreticis & peccatoribus miniſtrati? & quæ ſunt plura ejusmodi; atqui ne apex quidem horum omnium eſt in ſcripturis; quis igitur non videt, traditiones tanquam infallibilem fidei regulam admittendas eſſe?

XVII. Hanc regulam ut rite applicet Theologus, ſecernere debet traditionem divinam, & Apoſtolicam a traditione pure Eccleſiaſtica; quod obtinebit, ſi præ oculis habuerit effatum D. Auguſtini *(l. 4. contra Donat. c. 24.)* ita loquentis: *quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Longe difficilius eſt, traditiones divinas ſecernere a traditionibus pure Apoſtolicis; pro quo Diſcerniculo ſervire poterunt quatuor leges.

Primo. Si quod fidei dogma Patres conſtantiſſime tenuerunt, ejusque contrarium ut hæreticum refutarunt; nec tamen in divinis ſcripturis reperitur; illud cenſendum eſt traditionis divinæ. Hujus modi eſt perpetua Virginitas Dei-paræ, materia & forma, ſaltem in genere, Sacramentorum. Secundo. Si quid eſt in Eccleſia communi fidelium conſenſione probatum, quod humanam poteſtatem excedit, illud eſt traditionis divinæ; Talis eſt praxis vota diſſolvendi, relaxandi juramenta, matrimonii rati per ſolennem religionis profeſſionem diſſolvendi &c. Cum enim illa omnia jure naturæ ſtent, eorum diſſolutio non poteſt eſſe juris humani. Tertio. Si SS. Patres unanimiter docent, traditionem aliquam eſſe divinam; pro tali eſt habenda, etſi illius materia non excedat poteſtatem Apoſtolorum, & Eccleſiæ; nam ex dicendis unanimis Patrum conſenſus fidei noſtræ eſt regula infallibilis. Quarto, quando aliqui

Patres

Patres in hanc traditionem non conſentiunt, judicandum eſt eam traditionem eſſe divinam, quæ reperitur in præcipuis, & Apoſtolicis Eccleſiis, in quibus interrupta non fuit ſucceſſio Epiſcoporum; ut accidit in traditione de hæreticis non rebaptiſandis, cui S. Cyprianus cum nonnullis Africanis contradixit; cum autem talis nunc eſt ſola Romana, ideo hujus regulæ uſus non, niſi in illa, locum habet.

§. II.

De Notione, & Auctoritate S. S. P. P. uti & regulis in legendis eorundem ſcriptis.

XVIII. Antequam de Auctoritate S. S. P. P. avitæ fidei teſtibus, ac defenſoribus dicamus, ſciendum eſt, quid nomine *Patrum Eccleſiæ* intelligendum veniat, quive ſint genuini traditionum cuſtodes, qua in re communis conſenſus eſt, eos hoc titulo inſigniri, qui primis Eccleſiæ temporibus ſanctitate, & doctrina ab Eccleſia recepta, ac approbata illus tres Chriſto filios genuerunt, genitos nutrierunt, & in fide, ac communione Catholica perſtiterunt. Quatuor igitur in iis requires; *ſcientiam eminentem ab Eccleſia receptam*, qua ſupra ceteros eminentes doctrinam fidei, ac morum fidelibus tradant; *eximiam vitæ ſanctitatem*, qua non verbo ſolum, ſed & exemplo ceteris præluceant: *perſeverantiam in communione Catholica*, qua fit, ut D. Cyprianum (etſi circa rebaptiſandos hæreticos errarit) & S. Irenæum (licet in errore millenariorum fuerit verſatus) pro Patribus Eccleſiæ agnoſcamus; cum ante definitionem Eccleſiæ id argumenti tractarint, parati ſe univerſæ Eccleſiæ judicio ſubjicere. Denique *antiquitatem notabilem*, ob quam velut Patrum, majorumque noſtrorum nomine honorantur. Neque ultima hæc conditio obeſt, quo minus S. S. Bernardum, Thomam, ac Bonaventuram pro ta-

libus agnoſcamus : nam etſi illi Sancti non ſint ex Patribus antiquiſſimis, jure tamen Eccleſiæ Patres dici poſſunt partim, quia (ut de D. Thoma ait Pius V. Bulla, *mirabilis DEUS) omnipotentis DEI providentia factum eſt, ut vi, & veritate ejus doctrinæ multæ hæreſes diſſiparentur* (quod idem habet Sixtus V. de S. Bonavent. Bulla *triumphantis)* tum quia conſtanti, ac eximia ſanctitate ſplenduerunt; tum quia annorum prope quingentorum antiquitas, quibus Eccleſia ipſorum doctrina, & virtutibus plurimum fuit adjuta, ſufficere videtur ad hunc titulum eis tribuendum.

Auctoritas Patrum tripliciter ſpectari poteſt; vel enim eſt ſententia de r divinis unius, aut alterius Patris, aliis tacentibus; vel eſt ſententia plurium Patrum in unum dogma conſentientium, aliis ex altera parte paucioribus reclamantibus; vel eſt unanimis illorum in aliquod dogma conſenſus. Atque ut de omni caſu propoſito quidquam dicamus, certum præprimis eſt, unius, alteriusve Patris de rebus divinis ſententiam, aliis tacentibus non miniſtrare Theologo argumentum firmum; ſi enim exempla veteris hiſtoriæ percurrere placet, invenies quosdam etiam ex gravioribus, etiam in iis, quæ ad fidem pertinent, erraſſe; ut adeo nulli ſeorſim Sancto Eccleſiæ Patri privilegium infallibilitatis concedi poſſit. Firmius argumentum (etſi non omnino certum) habebit Theologus, ſi plures P. P. in unum dogma conſentiant aliis reclamantibus; nam licet probabilitas alicujus ſententiæ extrinſeca ex numero teſtium eruatur, fieri tamen poteſt, imo factum eſt, ut qui ex altera parte reclamarunt, germanum aut ſcripturæ, aut traditionis ſenſum fuerint aſſecuti. Tunc ergo ſolum certiſſimum, ac infallibile argumentum erui poteſt in iis, quæ ad fidem, ac mores pertinent, quando unanimis S. S. P. P. in aliquod dogma eſt conſenſus; hinc Eccleſia in Conciliis congregata, dum quid de fide credendum proponit, profitetur

ſe

ſe ſequi S. S. P. P. fidem, ac mentem; hinc in Concilio Chalcedonenſi olim conclamatum: *hæc eſt fides Patrum*, *omnes ita credimus;* hinc in Trident. Seſſ. 4. ſub pœna anathematis prohibitum eſt: *ne quis ſcripturam contra unanimem S. S. P. P. ſenſum interpretari audeat;* & certe ſi Doctores Eccleſiæ a Deo dati (ut illam incorruptam conſervent) errore univerſali involvi poſſent, illis errantibus fidem totius Eccleſiæ labefactari, foret neceſſe, id quod quantum a divinis promiſſionibus ſit alienum, nemo non videt.

XIX. At enim quænam, inquies, cautiones adhibendæ erunt Theologo in Legendis P. P. ſcriptis? plurimas, fateor, regulas de hoc argumento reperies in eruditis Theologorum operibus; nos brevitatis cauſa præcipuas, eaſque compendio adferemus.

Ac primum quidem conſiderandum eſt, *quo modo* ſcripſerit ille, cujus ſcripta legis, S. Eccleſiæ Pater? nam ſi modo Theologico ſcripſerunt, ſtrictius; ſi modo oratorio, minus rigoroſe, & benignius eorum verba ſunt accipienda, prout id exemplo S. Joannis Chryſoſtomi declarat *Annatus L.* 4. *Art.* 4. Rurſum ſi ex profeſſo quæſtionem aliquam tractarunt, locuti ſunt accuratius; ſecus minus accurate, ideoque quæ protulerunt, benigne ſunt interpretanda, ac eorum ſententia eruenda erit ex eis, quæ docuerunt quæſtionem ex profeſſo tractantes.

II. Advertendum eſt, *quo Seculo*, quo anno ſcripſerit? id enim ſi obſervetur, deprehendet Theologus, Sanctum Patrem non lapſum in hæreſin, quem interdum lapſum fabulantur hæretici; ſic Papiam, Juſtinum, & Irenæum, hæreticam hodie de millenario Chriſti in terris regno opinionem ſecutos, minime tamen in hæreſin lapſos comperiet, ſi advertat, ſententiam

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

illam eo, quo illi vixerunt, tempore, nondum ut hæreticam fuiſſe damnatam. Sic & S. Cyprianum, quantumvis varia pro rebaptiſandis hæreticis certamina paſſum, ab omni hæreſeos labe immunem dicet, ſi dogma illud de hæreticis non rebaptiſandis nondum illo tempore ab Ecceſia definitum conſideret.

III. Obſervandum, *qua ætate* ſcripſerit? nam ætate juniore ſcribuntur multa, quæ ætate ſenili maturius examinata vel gravius tractantur, vel omnino retractantur, ut conſtat ex duobus S. Auguſtini retractationum libris; unde Bellarminus ſapienter obſervat, *quam aliter ſapiat Auguſtinus ſenex, quam Auguſtinus juvenis.*

IV. Attendi debet ad *ſcribendi cauſam, & occaſionem*; nam ſæpe contigit, ut S. S. P. P. in refellendis quibusdam hæreſibus uſi ſint verbis ad ſpeciem errori faventibus, qui tamen re ipſa & quoad ſenſum ab illo differunt. Hinc putes S. Hilarium Epiſcopum Pictavienſem non erraſſe, dum *L.* 10. *de Trinit.* Chriſtum omnis prorſus doloris expertem fuiſſe aſſeruit; nam ſcripſit contra Arianos Chriſti divinitatem negantes, adeoque intelligendus eſt de Chriſto, non ratione humanitatis paſſibilis, ſed ratione divinitatis impaſſibilis.

V. Conſulendi ſunt ii Patres (ſi agitur de dogmate aliquo ab hæreticis impugnato) quos DEUS ad has hæreſes debellandas ſpeciali beneficio Eccleſiæ conceſſit. Hinc ubi agitur de Divinitate Chriſti contra Arianos, *S. Athanaſius*; ubi de Incarnatione contra Neſtorianos, *S. Cyrillus*; ube de prædeſtinatione, & gratia adverſus Pelagianos, *S. Auguſtinus* ceteris omnibus ſunt præferendi.

CA-

CAPUT IV.
DE ECCLESIA, EJUSQUE CAPITE VISIBILI.

§. I.
De Auctoritate Eccleſiæ docentis.

XX. Graviſſimæ hic occurrunt Theologorum Catholicorum contra novatores contentiones, quales ſunt de membris veræ Eccleſiæ, illiuſque notis, ac proprietatibus, nempe viſibilitate, perpetuitate &c. nobis ſatis erit ea delibare, quæ eandem Eccleſiam, ut locum Theologicum, illuſtrant; quod ut fiat, præprimis oſtendendum eſt, Eccleſiæ Auctoritatem tantum habere ad fidem faciendam virium, ut firmiſſima etiam Theologis argumenta ſuppeditet. Hoc priusquam facio, admonere operæ pretium eſt, duplicem diſtingui infallibilitatem, paſſivam nempe, ſeu in credendo, & activam, ſeu in definiendo. *Paſſiva* eſt ea, qua tota fidelium ſocietas nunquam poteſt deficere in aſſentiendo veritatibus fidei ac morum; qua infallibitate gaudere Eccleſiam collective ſumptam non diffitentur ipſi novatores. *Activa* ea eſt, qua ſummus Pontifex, aliique Epiſcopi, citra periculum erroris, poſſunt cauſas fidei, ac morum definire; atque hanc negant Sectarii Eccleſiæ, ſeu ſpectetur, prout per varias orbis regiones eſt diſperſa, ſeu prout per Epiſcopos in Conciliis generalibus repræſentatur.

XXI. Atque ut de Eccleſia primo modo ſpectata ſententiam noſtram promamus (nam de Conciliis infra agemus) ajo illam eſſe infallibilem judicem controverſiarum fidei, & morum. Fac, Eccleſiam in ejusmodi definitionibus aut falli,

aut

aut fallere, nonne contra certiſſimam Chriſti promiſſionem (*Matth.* 16.) portæ inferi prævalebunt adverſus eam? an non oves amplecti debent doctrinam primorum paſtorum? quorum error eſſet error totius Eccleſiæ, illius nempe quæ juxta Ap. eſt *columna, ac firmamentum veritatis.* Quis dubitet Chriſtum Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus addixiſſe perpetuam Spiritus Sancti aſſiſtentiam? quando diſertis verbis (*Joan.* 14.) dixit: *ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis. Ille docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Hinc eſt, quod S. S. P. P. in dogmatibus fidei, & morum appellare ſoleant ad Eccleſiam, tanquam tribunal infallibile, ac irrefragabile; *ſcripturarum a nobis tenetur veritas* (ait Aug. *L. I. contra Creſcon. c.* 33.) *cum id facimus quod univerſæ placuit Eccleſiæ. Quiſquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, Eccleſiam de illa conſulat.* Et certe eam infallibilitatem Eccleſiæ non minus per orbem diſperſæ, quam in Conciliis coactæ competere, oſtendit ipſa praxis perpetua, qua multo plures hæreſes extra, quam in generalibus Conciliis proſcriptæ fuerunt, id quod palam faciunt errores Sabellii, Pauli Samoſateni, Montani, Novatianorum; Manichæorum &c. qui ſine Conciliorum ope a tempore Apoſtolorum ad An. Chriſti 325, quo primum Concilium generale eſt celebratum, ſatis, ſuperque fuerunt damnati.

XXII. Inter res faciendas aliæ ſunt neceſſariæ, & immutabiles e. g. quod talis contractus ſit uſurarius, aliæ liberæ, & mutationi obnoxiæ, ſeu res diſciplinæ e. g. communio ſub una, vel duplici ſpecie; quæ diſciplina vel eſt generalis pro tota Eccleſia probata; vel particularis pro aliqua particulari Eccleſia. In primo caſu, ſeu de diſciplina univerſali certum eſt Eccleſiæ judicium; ut colligitur ex Concilio Apoſtolorum *Act.* 15, in quo præcipientes generalem diſciplinam, nempe abſtinentiam

tiam a ſanguine, & ſuffocato, aſſerunt ſe habere præſidem, ſibique aſſiſtentem Spiritum Sanctum; *viſum eſt*, inquiunt, *nobis*, *& Spiritui Sancto*; atqui quis dicet Eccleſiam errare in his, pro quibus habet aſſiſtentiam divini ſpiritus? in altero caſu, ſeu in præceptis diſciplinæ, quæ non toti Eccleſiæ ſunt communia, ſed ad privatos homines, vel ad particularem Eccleſiam referuntur, infallibilem non eſſe Eccleſiam, inde eſt, quod judicium tale nitatur teſtimoniis hominum fallibilium. *In moribus* (verba ſunt Cani *L. V. de locis C. V. Concluſ.* 3.) *non toti Eccleſiæ communibus, ſed qui ad privatos homines vel Eccleſias referuntur, errare per ignorantiam Eccleſia poteſt, non in judicio ſolum rerum geſtarum dico, ſed in ipſis etiam privatis præceptis. Cum quis enim occulte una uxore habita, alteram ducit publice, jubet illi Eccleſia, ut priore relicta poſteriorem accipiat; qua in re ſine dubio fallitur, & id præcipit homini, quod rationi, Evangelioque adverſum eſt.* Cujus fallibilitatis veram cauſam reddit Innocentius III. in cap. *a nobis* de ſententia Excom. his verbis: **judicium Dei veritati ſemper innititur**; judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit, & falli: propter quod contingit interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus; & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus. Hactenus Innocentius.

XXIII. Gravior controverſia eſt, utrum Eccleſia ſit infallibilis in cenſura librorum, ſeu in factis dogmaticis, ac doctrinalibus? ſciendum enim eſt, quæſtionem *facti* duplicem eſſe, nempe facti pure hiſtorici, ac perſonalis, & facti dogmatici. Primi generis quæſtio ſpectat veritatem rei geſtæ, crimen nempe, vel innocentiam alicujus perſonæ, internum animi ſenſum e. g. *utrum Janſenius ſit Auctor hujus libri?* & in hac quæſtione infallibilem non eſſe Eccleſiam, apud omnes conſtat; cum tale judicium fundetur aut in ſenſibus, aut in

teſtimoniis hominum fallibilibus. Quæſtio alterius generis ea eſt, quæ verſatur circa aliquod privati auctoris dogma in materia fidei e. g. *utrum in hoc, qui ſub nomine Janſenii circumfertur, libro doctrina contineatur hæretica?* quæ quæſtio vocatur facti jure permixti, eo quod duas quæſtiones contineat, unam juris, nempe *utrum hæc doctrina ſit hæretica?* alteram facti, nempe, *utrum hæc doctrina hæretica in ſenſu proprio, & obvio hujus libri, qui ſub nomine Janſenii circumfertur, in illo ſit contenta, & expreſſa?*

Indubium nobis videtur, Eccleſiæ judicium de ſenſu Orthodoxo, vel Heterodoxo librorum infallibile eſſe; eſt enim infallibilis Eccleſia in his, quæ pertinent ad fidem, ut ſupra oſtendimus; atqui tale judicium ad fidem pertinet; ut patet tum ex Epiſtola Leonis ad Synodum Chalcedonenſem data, ubi ait, *pertinere ad puritatem fidei, atque doctrinæ, damnare hæreſes cum ſuis auctoribus*, tum quia ſine infallibili Eccleſiæ judicio de ſenſu librorum, fides illibata cuſtodiri non poteſt; cum ſine eo nec S. S. P.P. libros, in quibus fides traditur, approbare; nec hæreticorum ſcripta, in quibus evertitur, reprobare poſſit: quoniam igitur Eccleſiæ eſt fidem cuſtodire, eamque contra omnes novitates defendere, conſectarium eſt, ejus de ſenſu librorum judicium ad fidem pertinere. Hinc Concilium generale V. tria Capitula ſub anathematis pœna damnans, declarat ſe ea damnare vi horum verborum: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & ſponſabo te mihi in fidem;* quibus Chriſtus promiſit Eccleſiæ infallibilem in rebus fidei auctoritatem.

Neque quidquam juvat, ſi dicant Janſeniani, omnes (quotquot de hac re ſcripſerunt uſque ad cenſuram famoſarum V. Janſenii propoſitionum) conſenſiſſe, in quæſtionibus *facti* errare poſſe Eccleſiam; nam id verum eſt de quæſtionibus facti per-

perſonalis, cujus cognitio cum pendeat ex fallacibus hominum teſtimoniis, conſequens eſt, ut de eo Eccleſiæ judicium incertum ſit, errorique obnoxium; at judicium de doctrina in libris expreſſa non pendet ex teſtimoniis hominum, ſed ex collatione doctrinæ cum ſcriptura, & traditione, certis fidei noſtræ regulis; unde fit, ut Eccleſia, ſpeciali Dei aſſiſtentia adjuta, nec falli, nec fallere poſſit. Quando autem Eccleſia damnavit famoſas V. Janſenii propoſitiones *in ſenſu ab auctore intento;* per has voces non intelligit ſenſum perſonalem, ad quem non attendit, ſed litteralem ab auctore in libro expreſſum; ut explicat Clemens XI. in conſtit. *Vineam Domini Sabaoth*, dum dicit: *damnatum in V. propoſitionibus Janſenii libri ſenſum ab omnibus Chriſti fidelibus - - - damnari debere.*

XXIV. Quæres, quid Eccleſia in ſuis cenſuris intelligat per *ſenſum obvium, & naturalem?* R. Diſtinguendas eſſe propoſitiones; vel enim illas *abſolute*, & independenter ab omni proferente ſpectatas judicat, vel *relative* ad ſenſum libri, a quo extrahuntur, vel auctoris, a quo ſunt prolatæ. Si primo modo judicium pronuntiat Eccleſia, per ſenſum obvium, & naturalem intelligit ſenſum, quem verba ex communi ſignificatione præ ſe ferunt: ſi vero judicium pronuntiat de propoſitionibus ſpectatis relate ad privatum ſenſum auctoris, vel libri, per ſenſum obvium intelligit ſenſum ab auctore intentum, ad quem Eccleſia ſemper attendit, quando in ſua cenſura librum, vel auctorem deſignat; nec tunc reſpicit ſenſum verborum in ſe, & abſolute, quia talis ſenſus eſt a mente libri, vel auctoris alienus, & quaſi extraneus. Hinc quando Eccleſia damnat propoſitionem æquivocam, quæ habet ſenſum duplicem verum, ac falſum, cenſura cadit duntaxat in ſenſum obvium, & naturalem libri, vel auctoris; nequaquam vero cadit in ſenſum verum, & Catholicum relative ad librum, vel auctorem alienum, & extraneum; ſic in Concilio Conſtantienſi

hic Articulus IV. Joan. Huſs fuit indiſtincte damnatus: *duæ naturæ, divinitas, & humanitas, ſunt unus Chriſtus*, qui certe in ſe, & abſolute ſpectatus nullam cenſuram meretur; ſed qui confixus fuit in ſenſu proprio, & naturali Joan. Huſs contendentis, unamquamque ſingillatim naturam totum, & integrum Chriſtum eſſe, quod eſt hæreticum. Rurſus fit, ut una, eademque propoſitio iisdem verbis concepta modo probetur, modo improbetur, & quidem ſine ulla ſenſus explicatione, ſed ex ſola circumſtantiarum temporis, & perſonarum, a quibus prolata eſt, conſideratione; ſic vox *conſubſtantialis* a Conc. Antioch. rejecta fuit in ſenſu Pauli Samoſateni, qui per eam intelligebat filium habere ſubſtantiam ejusdem ſpeciei cum ſubſtantia Patris, ſed numero ab illa diſtinctam. At conſecrata fuit in Conc. Nicæno I, ut unitas naturæ in Patre, & Filio ſignificaretur; fieri igitur poteſt, ut propoſitio, quæ de ſe eſt innoxia, fiat noxia ex perverſa auctoris, qui ea abutitur, intentione.

XXV. Quomodo, inquies, fideles tenentur acquieſcere Eccleſiæ judicio de ſenſu librorum? ajo ex intimo mentis conſenſu, ac approbatione; nec ſufficit, ut acquieſcant religioſo, ut ajunt, ſilentio, id eſt, ut intus, & animo diſſentientes exterius præ reverentia ſileant, nihilque dicant, aut ſcribant contra Eccleſiæ de facto definitionem. Tale enim obſequium Eccleſia exigit in conſtitutionibus Apoſtolicis, ut conſtat ex formulario, quod ab omnibus ſubſcribendum mandavit Alexander VII. *(Bulla Regiminis Apoſt.* data 1665.*)* in quo ſub juramento dicitur: *Ego* N. *Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ die* 21. *Maji* 1653. *& Conſtitutioni Alexandri VII. datæ* 18. *Octob.* 1656. §§. *Pontificum me ſubjicio, & V. propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro excerptas, in ſenſu ab eodem auctore intento, prout illas ſedes Apoſtolica damnavit, ſincere animo rejicio, ac damno, & ita juro* &c. Quomodo

au-

autem a mendacio, & perjurio excuſandus erit, qui cum juramento profitetur ſe *ſincero animo propoſitiones ex libro Janſenii excerptas damnare in ſenſu ab eodem intento*, quas tamen intus, & in animo non damnat, non rejicit, imo tanquam Orthodoxas admittit.

§. II.

De ſede Apoſtolica, & Romano Pontifice.

XXVI. Sedes Apoſtolica, ſeu Eccleſia Romana dicta eſt ab Apoſtolis Petro, ac Paulo, qui Romanam fundarunt, ac ſanguine ſuo conſecrarunt Eccleſiam: Hanc præ ceteris Eccleſiis dignitate, & auctoritate eminere, conſtat, ac perpetua eſt traditio. *Maxima, & antiquiſſima, & omnibus cognita* (ut habet *S. Irenæus l. 3. adverſus hæreſes c. 3.*) *a Glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundata, & conſtituta Eccleſia - - - ad hanc enim Eccleſiam, propter potiorem principalitatem neceſſe eſt convenire Eccleſiam hoc eſt, eos, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio.* S. Cyprianus (*Ep. 55. ad Corn.*) *Eccleſiam Romanam*, ait eſſe, *principalem cathedram, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt, ad quam perfidia non poteſt habere acceſſum.* S. Hieronymus Epiſt. ad Damaſum, *ego*, inquit, *beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, communione conſocior: ſuper illam Petram, ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt - -* Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro *Paulinum: quicunque tecum non colligit, ſpargit.* S. Auguſtinus (*Ep. 63, alias 162. c. 9.*) aſſerit, nihil eſſe, cur timeat Cæcilianus a Donatiſtis; quia cum Eccleſia Romana communione conjunctus erat. *Cum ſe*, ait, *Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper viguit Apoſtolicæ Cathedræ principatus - - - per communicatorias litteras vi-*

dere eſſet conjunctum; Plura ejusmodi teſtimonia ex S. S. P. P. adfert Tournelius; quorum traditione nixum Conc. Trident. *Seſſ. 7. de Baptiſmo Can.* 3. vocat Romanam Eccleſiam *matrem*, & *magiſtram aliarum Eccleſiarum*.

Firmitatem in retinenda, ac definienda fide habeat Eccleſia Romana neceſſe eſt, ut inde Theologus firma argumenta habere poſſit. Quam quidem prærogativam eidem tribuunt vel ipſi ſcriptores galli, qui non adeo addicti Romani Pontificis infallibilitati videntur; inter quos enumerat Citatus Tournelius Launoium, Dupinum, Alexandrum Natalem, Boſſuetium Meldenſem Epiſcopum, alioſque, qui non aliter ſolvunt argumenta in gratiam Pontificiæ auctoritatis adſerri ſolitas, quam dum ea in ipſam Eccleſiam Romanam derivant. Hanc in rem Bellarminus *(L. IV. de Rom. Pontif. C. III.)* adfert duorum Pontificum Teſtimonia, quæ etſi ab hæreticis contemnantur, a Catholicis tamen cum honore ſunt recipienda. Unum eſt Martini Papæ V, qui in Bulla, quam edidit Concilio Conſtantienſi approbante, hæreticos haberi cenſuit eos, qui de Articulis fidei aliter ſentiunt, quam Romana Eccleſia. Alterum eſt Sixti Papæ IV, qui damnavit Articulos Petri cujusdam Oxonienſis, quorum unus erat, Eccleſiam urbis Romæ errare poſſe.

XXVII. Verum hoc ipſum nos admonet, ut quædam de Romanorum Pontificum prærogativis adferamus. Cujus quidem loci non eſt fuſius proſequi innumera fere ex antiquitate monumenta, quibus primatus honoris, & jurisdictionis Romano Præſuli jure divino aſſeritur; iſtud enim fidei caput, adverſus Sectarios noſtrorum temporum, inconcuſſe probant Orthodoxi omnes, etiam ii, qui præſertim in Gallia, Papalia Decreta errori obnoxia eſſe contendunt. Conſequens igitur eſt,

eſt, ut de ſola definitionum Papalium infallibilitate, ac certitudine nonnulla dicamus.

Qua in re præprimis conſiderandum venit, S. Pontificem ſpectari poſſe vel ut privatum doctorem, ex propria & privata ſententia pronuntiantem; vel ut doctorem ex cathedra loquentem. Primo modo ſi quid definiat, eum errare poſſe, convenit inter omnes Catholicos, ut ait Bellarm. *L.* 4. *de Rom. Pont. c.* 2. Certe *qui ſummi Pontificis omne, de re quacunque, judicium temere, ac ſine delectu defendunt* (inquit Canus *L.* 5. *de Locis c.* 5. *Concl.* 3.) *ſedis Apoſtolicæ auctoritatem labefactant, non fovent; evertunt, non firmant.* Ut autem S. P. dicatur pronuntiare ex cathedra, quatuor requiruntur. I. Ut definitio Pontificia ſit de re ad fidem, vel mores pertinente. II. Ut non feratur, niſi præcedente maturo examine, conſultis Prælatis, ac Doctoribus adhiberi ſolitis; inprimis vero requiſita Romanæ Eccleſiæ Doctrina ac traditione. II. Ut ſit omnino libera. IV. Ut res definita univerſæ Eccleſiæ credenda, vel facienda proponatur ſub pœna anathematis. Hæ conditiones ſi in conſtituendis fidei, morumque decretis obſerventur; exiſtimamus ſummum Pontificem eſſe infallibilem Judicem; quam ſententiam (cum Bellarmino *Tom. I. L.* 4. *de Pontif. c.* 2. & cum Suario *de fide Diſp.* 5. *Sect.* 8. *N.* 2.) fidei proximam pronuntiare audemus. Neque juvat, Launojum, aliosque paulo ante memoratos diſcernere Romanum Pontificem a Romana Eccleſia, ita ut ille in fide errare poſſit; hæc non poſſit. Nam illi Theologi vel ſpectant Pontificem ſeorſim a ſua Eccleſia, aut etiam contra Eccleſiæ ſuæ fidem ac ſententiam judicantem; vel ſimul cum ea judicantem, ex ipſius fide, & ex traditione. Si prius, Pontifex ut privatus habetur Doctor, qui omnium judicio errori eſt obnoxius; ſi poſterius, Pontifex ex Cathedra pronuntiare cenſetur, & quidem ad mentem Eccleſiæ ſuæ Romanæ, adeoque ex ſententia eorum Theologo-

logorum (ſi cohærenter loqui velint) eadem ipſi Pontifici inerrantia eſt tribuenda, quæ ipſi Eccleſiæ Romanæ; cujus fidem, ac ſententiam ſequi præſumitur, quoties ipſa non reclamat. Hinc illam diſtinctionem inter ſedem Romanam, & in ea ſedentem Pontificem velut abſurdam rejicit Canus *L.* 6. *de Locis c.* 8.

XXVIII. Ad nonnullas modo quæſtiones ſpeciales veniamus. *Beatificatio* eſt indulgentia, ſeu licentia facta a S. Pontifice, ut defunctus aliquis, *Beatus*, vocari, eique cultus in aliqua provincia, cum recitatione divini officii, exhiberi poſſit; ut conſtat ex Bullis Beatif. in quibus Papa non dicit: *definimus*; ſed *indulgemus*, *ut Beati nomine nuncupetur* &c. Quæritur igitur, an in ea declaratione error ſubeſſe poſſit? qua in re ſciendum eſt, Pontificem procedere maturo judicio, multis, & exactis inquiſitionibus, probationibus per multas congregationes perpenſis, ac examinatis, cum ſeria indagine probitatis vitæ, feliciſſimi exitus, ac miraculorum (quæ divina ſunt teſtimonia) Beati interceſſione perpetratorum; jam vero quis dubitet, hæc omnia rem facere evidenter credibilem? unde fit, ut univerſus populi Chriſtiani conſenſus pro certo habeat, Beatum eſſe in Cœlo.

Canonizatio S. S. Sententia eſt Canonica, ac Definitiva Sanctitatis, & Gloriæ alicujus defuncti, a S. Pontifice lata, & univerſæ Eccleſiæ propoſita, qua Canonizatus exponitur cultu publico venerandus. Quæritur rurſum, an tale judicium ſit infallibile? R. de hac infallibilitate communem eſſe Catholicorum ſententiam; quis enim credat, Eccleſiam errare poſſe præcipiendo fidelibus omnibus, ut Canonizato cultum exhibeant, in ejus honorem feſtum celebrent? quæ pertinent ad leges univerſales, mores fidelium, concernentes. *Multum* (ait Canus *l.* 5. *de loc. c.* 5. *Concl.* 3.) refert *ad*

com-

communes Eccleſiæ mores, ſcire, quos debeas religione colere: quare ſi in iis erraret Eccleſia, in moribus quoque graviter falleretur. Eccleſia certe, cui DEUS in neceſſariis minime deeſt, obligari non poteſt ad errorem ſequendum. Neque obeſt, quod ex Auguſtino adfertur: *multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna;* nam hæc ſententia nullibi in illo reperitur teſte Bellarm. aut intelligi poſſet de impiis, qui ſuperbiſſimis Mauſoleis honorantur; vel de martyribus Donatiſtarum, qui ab hæreticis colebantur, cum eorum animæ revera torquerentur. Subjungo verba laudatiſſimi Cani ita loquentis: *DEUS peculiariter providere cenſendus eſt, ne Eccleſia, quamvis teſtimonia hominum ſequatur, in ſanctorum Canonizatione erret. Cujus quidem providentiæ abunde magnum argumentum eſt, quod nunquam infirmata eſt fides ab humanis teſtibus ſemel in ejusmodi judiciis ſuſcepta.*

CAPUT V.

DE CONCILIIS.

XXIX. De loco hoc Theologico agemus ſtrictim, tum quia plurima in tractatibus aliis explicantur de Conciliis, tum quod illa, ſi ſint œcumenica, univerſam Eccleſiam repræſentent, eademque infallibilitatis prærogativa gaudeant. Ac inprimis ut Concilii ſuprema in Eccleſia ſit auctoritas, tria requiruntur, legitima convocatio, celebratio, & exitus. Dixi I. *Convocatio;* nam vocari debent Epiſcopi omnes per orbem diſperſi, tanquam Judices fidei a Chriſto conſtituti, quos *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI.* Dixi II. *Celebratio;* quæ fit per legitimum conventum Epiſcoporum, non quidem omnium ad unum, quod vix fieri poteſt, ſed eo numero, qui ſufficiat, ut univerſam Eccleſiam repræſentare poſſint; ſic in ipſo Jeroſolymitano Concilio non omnes Apoſtoli interfuere; ut conſtat ex C. 2. Epiſt. S. Pauli ad Galatas.

Dixi III. *Exitus ;* fieri poteſt, imo factum eſt, ut Concilium aliquod fuerit œcumenicum convocatione, non tamen celebratione, vel exitu; cum nempe vel pauci adſunt Epiſcopi, vel congregati libertate Suffragiorum ſpoliantur, aut metu, ærumnis, violentia vexantur; quale fuit Epheſinum II, quod Latrocinium appellari ſolet.

Ut quidquam de Auctoritate Conciliorum definiri poſſit; neceſſariam hanc diviſionem ſtatuit Canus ; alia ait eſſe congregata Romani Pontificis auctoritate, alia non item ; rurſum alia ab eodem confirmata, alia non confirmata ; ſic Concilium Epheſinum II, Auctore Leone, coactum eſt quidem, ſed non eſt a Leone, aliove Pontifice comprobatum. Baſileenſe Eugenius IV. indixit, nec tamen confirmavit. At Conſtantienſe, etſi a principio nullius Romani Pontificis auctoritate congregatum fuerit, confirmavit tamen Martinus V; Concilium item Milevitanum, quod & Innocentius, & Cœleſtinus probaverunt, ſine auctoritate ſummi Pontificis coactum fuit. De omni caſu quæritur, quam fidem faciant Decreta Conciliorum?

XXX. Ac primum quidem vera non ſunt, rataque Concilia, quæ auctoritate Romani Epiſcopi carent; fuerunt ejusmodi Synodi non ſolum infirmæ ſemper in Eccleſia ad faciendam fidem; ſed conventicula propemodum erant iniquitatis, triſtesque exitus habuerunt; ut manifeſte probat error Concilii Ariminenſis, & Conſtantinopolitani ſub Leone Imperatore. Fac etiam Concilium edicente ſummo Pontifice coactum eſſe; errare poterit, ſi Pontificia auctoritate non fulciatur; cujus rei teſtis eſt Concilium Epheſinum II, ubi Legatis Leonis repugnantibus Epiſcopi fere omnes Dioſcori hæreſi ſubſcripſerunt; hinc omni tempore neceſſarium eſt judicatum, ut S. Pontifex vel per ſe, vel per Legatos præſideat; conſtat certiſſime, primis generalibus Conciliis præfuiſſe Legatos Pontificios, primoſque omnium Patrum ſubſcripſiſſe ; neque id mi-

rum

rum, cum a conſtituto Eccleſiæ capite omnis vigor in reliquum corpus derivari debeat.

Hinc e contrario judicamus, Concilium generale, auctoritate Romani Pontificis confirmatum, certam fidem facere; tolle hanc fidem, & auctoritatem, redibunt hæreſes Conciliorum generalium ſententiis damnatæ, nulla via erit reliqua, ut in controverſiis fidei Catholicum dogma exploremus; qui enim ſummi Pontificis, ac reliquorum omnium Eccleſiæ Paſtorum judicium detrectat, nullum vivum Judicem reperiet, a cujus tribunali diſcedere non liceat. Eam ob cauſam Martinus V. in Conc. Conſtantienſ. inter reliquas interrogationes, quibus ſuſpecti in fide ſunt examinandi, eam etiam proponit, utrum credant, *quod Concilium generale univerſam Eccleſiam repræſentet.* Si igitur illud univerſæ Eccleſiæ auctoritatem habet; illa ſublata, totius Eccleſiæ auctoritatem convelli eſt neceſſe. Auguſtinus certe *(l. I. de Bapt. contra Donat. c.* 18.*)* judicat plenarii Concilii ſententiam totius Eccleſiæ conſenſionem eſſe; quo pertinet illud Gregorii Magni effatum: *ſicut S. Evangelii* 4. *libros, ſic* 4. *Concilia ſuſcipere, & venerari me fateor.*

XXXI. At non omnia, quæ in Conciliis adferuntur, ſunt judicia fidei Catholicæ; diſceptationes, quæ decretis præmittuntur, rationes, quæ explicationis gratia inducuntur, ad fidei dogma non pertinent. Hinc ſequentes 4. regulas ſubminiſtrat Canus *(l.* 5. *de locis c.* 5.*)* unde ea, quæ ad fidem Catholicam pertinent, diſcerni poſſint. I. Si contrarium aſſerentes pro hæreticis judicentur. II Si hac formula Synodus opiniones proſcribit: ſi quis hoc, vel illud ſenſerit, anathema ſit. III. Si in eos, qui contradixerint, excommunicatio ipſo jure feratur. IV. Si quidquam expreſſe, & proprie a fidelibus firmiter credendum, aut tanquam dogma fidei Catholicæ accipiendum jubeatur, vel Evangelio, doctrinæque Apoſtolorum contrarium dicatur; dicatur, inquam, non ex opinione, ſed certo, firmoque decreto.

XXXII. Quid igitur, inquies, de Conciliis particularibus nationalibus, & provincialibus cenſendum? R. Illa in definiendis fidei, morumque controverſiis de ſe infallibilia non eſſe; ut conſtat ex facto Concilii Carthaginienſis, in quo 80 Epiſcopi ſub D. Cypriano congregati erronee definiverunt, Baptiſmum ab hæreticis collatum eſſe invalidum. Si tamen talia Concilia S. Pontificis conſenſu, & Eccleſiæ univerſæ applauſu firmantur, erunt infallibilis fidei noſtræ regula; cum ſic eorum decreta ab omnibus Catholicis, tanquam dogmata fidei, recipiantur. Hinc recipiuntur pro dogmatibus ea, quæ decreta ſunt contra errores Pelagii in Conc. Milevit. per Innocent. I. confirmato; quæ contra Jovinianum in Concilio Telenſi confirmato per Syricium Papam; quæ contra Priſcillianiſtas in Tolet. I. per Leonem I. confirmato &c. Unde D. Auguſtinus (Serm. 131. de verb. Ap. c. 10.) ait: *jam de hac cauſa* (intellige Pelagianorum) *duo Concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt: cauſa finita eſt; utinam aliquando finiatur error.*

XXXIII. Supereſt, ut nonnulla de neceſſitate Conciliorum adjungamus. Conſtat inter omnes, Concilia generalia Eccleſiæ utiliſſima eſſe, ut teſtatur Paulus III. Pontifex Maximus in *Bulla indictionis Conc. Trident.* abſolute tamen, & in omni caſu neceſſaria eſſe, negat Bellarminus, eo quod ſine illis & hæreſes extingui poſſint, & ſchiſmata. Ipſe Auguſtinus contendit adverſus Pelagianos *(l. 4. ad Bonifac. c. 12.)* Synodi generalis celebrationem requirentes, ipſam perraro neceſſariam eſſe. Hinc Canus (l. 5. c. 4. Concluſ. 5.) ita habet: *cum Eccleſiæ ſuæ DEUS proſpexerit in neceſſariis, nimirum ad hæreſes privatas in provinciis refutandas, Concilia provincialia ſatis erunt, ſi erunt S. Pontificis auctoritate roborata. Quotquot enim ejusmodi Concilia damnaverunt, eos Eccleſia ſemper exploſit.* Sunt tamen caſus, in quibus generalia Concilia videntur quodammodo neceſſaria; cum ſine his aliquoties nec finis imponi controverſiis,

ſiis, nec hæreſes efficaciter confutari, nec decreta fidei, & morum convenienter determinari poſſint. Hinc D. Auguſtinus contendit contra Pelagianos celebrationem Concilii generalis neceſſariam non eſſe; aſſerit tamen controverſiam de rebaptizandis non fuiſſe finitam; *donec plenario totius orbis Concilio finiretur;* cujus ratio nulla videtur alia, quam quod hæreſis Pelagiana ſub exordium paucorum fuerit hominum, atque adeo facile provincialium Conciliorum auctoritate reſtinguenda, hæreſis contra rebaptizantium a primo ſui exordio plures, & quidem inſignium Eccleſiarum, *magnos viros, & quidem magna caritate præditos Epiſcopos* pro patronis habuerit, atque adeo non niſi univerſæ Eccleſiæ conſenſu extirpari debuerit.

CAPUT VI.

DE LOCIS THEOLOGIÆ EXTERNIS, AC INPRIMIS DE HUMANA RATIONE.

XXXIV. Duplex ſcopulus eſt, in quem impingunt nonnulli, quorum alii plus æquo rationi in rebus fidei tribuunt; alii rationi nihil, aut parum permittunt. Sunt, qui argumentis a ratione ductis uſque adeo ſe addixerunt, ut ſeu ſcribant, ſeu diſputent, Scripturam ſacram, ſanctorumque Patrum libros ne legiſſe quidem videantur, parum diſſimiles iis, quos Euſebius *(l. 5. Hiſt. Eccleſ.)* aſſerit, in eam ſtultitiam prolapſos, ut ſi quis ſermonem de Scripturis propoſuiſſet, illi e contrario proponerent, utrum ille ſermo, de quo agebatur, conjunctum, an ſeparatum genus ſyllogiſmi faceret; de quibus rurſus Euſebius, *derelinquentes*, ait, *Sanctas Scripturas DEI, geometriam tractant, & qui vere de terra ſunt, de terra loquuntur; ideoque eum, qui de ſurſum eſt, & de cœlis venit, ignorant.* Ac fuiſſe olim in Eccleſia nonnullos, qui rationem auctoritati præferentes, rem Theologicam humana Philoſophia abſolverint, teſtes locupletiſſimi ſunt Auguſtinus *(Epiſt. ad*

Dioſcorum) & Bernardus *(Ep.* 189.*)* hoc vero tempore fuiſſe etiam in Academiis multos, qui omnem fere Theologiæ diſputationem Sophiſticis, ineptisque rationibus tranſegerint, quis ignorat? Hoc in genere longius progreſſi ſunt ii, qui rationem ſtatuerunt pro regula, ad quam myſteria fidei expendi, definirique debeant; ita ut non ratio fidei, ſed hæc illi ſit ſubjicienda: ita ſenſerunt Manichæi (quos inſequitur Auguſtinus *l. de utilitate credendi)* & præſertim Sociniani, apud quos palmaris eſt hæc regula, nullam interpretationem Sacræ Scripturæ admittendam eſſe, quæ vel humanæ rationis captum excedat, aut cum evidenti ſenſuum externorum experientia pugnet.

XXXV. Quam immani errore involvantur omnes ii, de quibus paulo ante diximus, quiſque facile intelliget, qui cogitarit, myſteria fidei noſtræ altiora eſſe, quam ut ab humana ratione attingi poſſint. Hinc Divinus Spiritus monet Eccleſ. c. 3. his verbis: *altiora te ne quæſieris; & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi DEUS, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus. Non eſt enim neceſſarium ea, quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis.* Nec mirum videri debet, ſi tenuis, infirmaque ratio noſtra abſtruſa religionis myſteria non intelligat, cum nec mentem ipſam, cujus ratio eſt, nec unionem animæ cum corpore, nec alia prope innumera naturalis ordinis certo cognoſcere poſſit. Familiare eſt iſtud ex rerum naturalium ignorantia ductum argumentum apud S. S. P. P. quo maxime retundunt temerariam eorum hominum ſuperbiam, qui myſteria DEI, niſi intelligant, reſpuunt; *ſi ea, quæ in manibus ſunt* (loquitur *l.* 2. *adverſus hæres. c.* 28. D. Irenæus) *& ante pedes, & in oculis, & terrenis, & præcipue diſpoſitionem capillorum capitis ſui nondum ſciunt ii; quemadmodum eis de ſpiritualibus, & ſupercœleſtibus, & de his, quæ ſuper Deum vana perſuaſione confirmant, credemus? Credimus* nempe (verba ſunt Auguſtini *Tract.* 40. *in*

Jo-

Joan.) *ut agnoſcamus; non cognoſcimus, ut credamus - - - Quid enim eſt fides? niſi credere, quod non vides.* Captivari igitur debet in ſacra hac diſciplina ratio in obſequium fidei; huic ſubjici debet, non præponi, ei ſubſervire, non dominari. Qui ergo Theologiæ Dogmata humanis metiuntur argumentis, omnem vim Theologiæ, ac gravitatem amittunt; faciuntque, ut Theologia, detracta auctoritate, non ſolum contemnatur, ſed ne Theologia quidem ſit. Nam ſi vera & legitima eſt, a fide deſcendat oportet, quæ tota Scripturarum, Traditionum, & Eccleſiæ auctoritate continetur. Quamobrem ſatis exploratum habere poſſumus (inquit Canus *l.* 9. *de locis c.* 1.) quam male valeant illi de re Theologica aut ſcribere, aut diſputare, qui ſacros Libros, Apoſtolorum Traditiones, Conciliorum Dogmata, juris Pontificii decreta, Sanctorum veterum doctrinam vel rejiciunt, vel ignorant.

XXXVI. Alter ſcopulus eorum eſt, qui ſolis ſacrarum Literarum teſtimoniis, aut interdum etiam ſcriptorum veterum omnia definiunt, ab argumentis naturæ haud aliter abhorrentes, quam ſi eſſent Theologiæ adverſa, & inimica. Quo potiſſimum revocari poſſunt ii, qui domeſticum quoddam, ac inteſtinum bellum inducunt fidem inter, ac rationem; & utrique ſuum quaſi ſupremum tribunal, ſuam utrique oppoſitam veritatem aſſignant; quaſi verum vero contrarium eſſe poſſit. Ita ſentiebat Pomponacius Sectæ Peripateticæ Philoſophus, damnatus a Conc. Lateranenſ. V. ſub Leone X. Seſſ. 8. Is quippe cum docuiſſet, ex mente veterum quorundam Philoſophorum, animam rationalem eſſe mortalem, atque eam ob rem reprehenſus fuiſſet, reſpondit ſe non ut Chriſtianum, ſed ut Philoſophum locutum fuiſſe; ſe quidem ex fide noſſe, ac credere, animam eſſe immortalem, ſed ex ratione, ac ſententia Philoſophi ſcire eſſe mortalem. Mirum autem merito cuique videri poteſt, Sectarios hujus temporis uſum rationis, ac Philoſophiæ in Theologia noſtra reprehendere; cum tamen ipſi,

cum

cum nos impugnant, toti ſint in Sophiſticis tricis, ac argutiis pro more veterum hæreticorum, qui præſentiùs non habuerunt errorum ſuorum præſidium, quam ex vana, falſa, & ſophiſtica dialectica. Arium affecta loquacitate fuiſſe præditum teſtatur Sozomenus his verbis: *cum Dialecticam inprimis calleret, in abſurdos ſermones delapſus eſt.* Eo ex genere fuit & Aetius, & diſcipulus ejus Eunomius, qui teſte S. Epiphanio (*Hæreſi 76.*) *dialecticis tricis totus deditus, divini verbi rationem omnem quibusdam figuris explicabat.* Idem S. Doctor colligit capita quædam, quæ vocantur ſyllogiſtica, quæ qui legat, nihil aliud reperiet, præter contorta, & aculeata ſophiſmata. Qua ergo fronte uſum Dialectices in nobis reprehendunt Novatores, qua ipſi tam miſere abutuntur? Verum non alia de cauſa illi noſtram Theologiam tam exoſam habent, quam quod eam ſuis fallaciis detegendis maxime idoneam toties experti fuerint.

XXXVII. Ut igitur uſum hujus loci breviter complectamur; abſit, ut humanam rationem judicem ſtatuamus, ac regulam, ad quam res fidei expendi, æſtimarique debeant. Subjici ratio fidei debet, & mancipari, non fides rationi; iſta ſerva eſt, & ancilla, illa domina, & magiſtra, cui humana Philoſophia in omnibus obtemperet, nuſquam obloquatur. Quo tamen minime excluſum volumus in rebus Theologicis uſum humanæ rationis; modo intra legitimos fines ſe contineat. Sine hujus præſidio non poterit Theologus unum Scripturæ textum cum alio, verſiones cum originario textu comparare; non poterit traditionem Conciliorum, & S. S. P.P. conſulere; unum ex alio legitima conſecutione inferre; diſtinguere certa ab incertis, naturalia a ſupernaturalibus, revelata a non revelatis; hæreticorum argutias, & ſophiſmata diluere; non poterit denique fidei obices ex animo infidelium removere, expellere præjudicia, motiva credibilitatis exponere, & a vanis hæreticorum exceptionibus vindicare; quæ omnia videtur

Apo-

Apoſtolus ſignificare *(ad Tit. I.)* cum ait, oportere Eccleſiæ Doctorem amplecti eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, *ut potens ſit exhortari in doctrina ſana*, & *eos*, *qui contradicunt*, *arguere.* Prolixior forem, quam inſtituti noſtri brevitas exigit, ſi oſtenderem, quanto uſui fuerit primis Eccleſiæ Patribus argumentorum naturalium uſus, ſeu apologias pro Chriſtianis adverſus gentiles ederent, ſeu fidei noſtræ placita defenderent, ſeu contra hæreticos Simonianos, Valentinianos, Marcionitas, Manichæos, Arianos, Eunomianos diſputarent.

XXXVIII. Quam autem firmitatem, inquies, in Theologia ratio naturalis obtinet? nihil nobis hic immorandum eſſe video; cum conſtet, alia rationis argumenta eſſe certa, incerta alia. Ac certa quidem ſunt, quæ ex perſpicuis, exploratiſque principiis quidquam conficiunt; incerta vero, quæ conjecturis huc atque illuc trahuntur, atque adeo nullam habent ſuadendi neceſſitatem. Firmum argumentum illud eſt: *non longe eſt DEUS ab unoquoque noſtrum: in ipſo enim vivimus*, *movemur*, *ac ſumus*, *Actor.* 17. item illud: *qui plantavit aurem*, *non audiet? aut qui finxit oculum*, *non conſiderat? Pſal.* 93. Hinc ii, qui omnem veritatem naturalem cum ſcepticis in dubium vocant, & in naturam ipſam, & in Deum ſunt impii. Apoſtolus cum rationes a natura profectas manifeſtas eſſe dixiſſet, tum demum eas ad DEUM auctorem revocavit. *Quod notum eſt DEI*, inquit, *manifeſtum eſt illis.* DEUS enim illis manifeſtavit. Num per Angelos? num per Prophetas? num per Apoſtolos? minime id quidem: ſed *inviſibilia DEI*, ait, *a creatura mundi per ea*, *quæ facta ſunt*, *intellecta conſpiciuntur.* Conſpicuæ ergo ſunt, & certæ quandoque naturæ rationes. Qua in re facile etiam intelligitur, cum rationes naturales a Divina veritate deriventur, qui illas rejiciunt, hos DEI veritati, qua illæ ſubſiſtunt, refragari. Neque quod tali fundamento nititur, imbecillum eſſe, aut in-

firmum poteſt. Utrumque lumen & naturæ, & fidei, quorum altero naturalia, altero ſupernaturalia videre dicimur, a Deo eſt; illa enim: *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem &c. ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine!* ad naturalem etiam mentis illuſtrationem referuntur: ita non minus a Deo falleremur, errantes in naturæ lumine, quam ſi per fidei lumen erraremus; ut adeo luminis naturalis argumenta repellere, aut ea fidei repugnantia judicare, non modo ſtultum ſit, ſed etiam impium.

CAPUT VII.

PROPONITUR EXPLICATIO RELIQUORUM THEOLOGIÆ LOCORUM.

§. I.

De Auctoritate Doctorum Scholaſticorum, & juris Pontificii prudentium.

XXXIX. Quantum momentum adferre poſſit Theologo ad fidem faciendam auctoritas Scholaſticorum, breviter eſt explicandum, qua in re exiſtimamus primo, in quæſtione propoſita (qua variæ ſunt, ac diſcrepantes Doctorum Scholaſticorum ſententiæ) majorem numerum idem ſentientium non eſſe certum veritatis argumentum: ſi enim puræ ſunt ſcholarum controverſiæ, veritas nititur non ſolo auctorum numero; ſed rationum potiſſimum momentis. Atqui fieri poteſt, ut opinio, etſi pro ſe habeat minorem numerum, rationibus tamen fulciatur æque gravibus, imo quandoque gravioribus, ac opinio numeri majoris; expendi igitur rationum, ac argumentorum momenta, neceſſum eſt, iiſque adhærendum, qui ſententiam ſuam gravioribus firmamentis ſtabiliunt. Unde merito reprehendendi ſunt ſcholaſtici nonnulli, qui ex opinionum, quas in ſchola hauſerunt, præjudiciis, ipſis ita addicti ſunt, ut oppoſitum ſentientes abſque ſufficientibus ratio-

tionibus damnent, & quandoque cenſuris gravioribus afficiant. Quod ſi tamen communis ſit omnium ſcholaſticorum in re gravi ſententia, uſque adeo probabilia ſumuntur argumenta, ut, niſi manifeſta ſit ratio obluctandi, illis refragari temerarium ſit; nam cum in qualibet arte peritis credendum eſſe, ratio doceat; temerarius ſit, qui in rebus Theologicis, & Eccleſiaſticis dogmatibus ſcholæ Magiſtris unum communiter ſentientibus contradicat. Hinc Concilium Viennenſe *(Clement. unic. de ſum. Trinit.)* inquit, opinionem illam, quæ dicit tam parvulis, quam adultis conferri in Baptiſmo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem fore a Catholicis eligendam. Si ergo in re, quæ olim inter ipſos etiam Scholaſticos Theologos controverſa fuerat, opinio concors juniorum tanti apud Patres Concilii fuit; quanto magis nos res omni tempore ab ſchola præſcriptas tenere, ac revereri debemus? & ſi opinatio ipſa Theologorum recentiorum communis fidem facit Concilio, illudque inclinat, hujusmodi opinationem eſſe tenendam; quid ſi non ex opinione, & ex certo animo quidquam Theologi omnes definierint? an non exiſtimas, Concilium Viennenſe pro ejusmodi dogmatis firmiter in ſchola receptis graviore cenſura judicaturum? Scholæ igitur communem conſenſum non niſi imprudenter rejiciemus.

XL. At vero ſit concors, & conſtans Theologorum omnium in aliquo fidei, aut morum dogmate ſententia; pronuntiare cum Cano audebimus, eam tantæ auctoritatis eſſe, ut ei contradicere ſi non hæreticum, ſaltem hæreſi ſit proximum. Nullum dogma reperietur, quod eodem ore ſcholaſtici omnes aſſeruerunt, quin idem in univerſum Eccleſia teneat, eorum auctoritate mota; qui itaque illis contradicit, univerſæ Eccleſiæ reluctetur eſt neceſſum. Et certe nunquam firmiter quicquam, & unanimiter aſſertum eſt a Theologis in argumento fidei, quod non vel ex Sacris Literis, vel ex traditione Apoſto-

ſtolorum, vel ex Pontificum, aut Conciliorum definitionibus haberet originem; ut adeo, qui ſcholæ decreta negarent, ipſos fontes, unde illa manant, repudiare cenſeri poſſent.

XLI. Supereſt, ut quicquam de auctoritate juris Pontificii addamus, ne ignoret Theologus, quæ, & qualia argumenta ejusdem auctoritas ſubminiſtret. Sciendum igitur; juris Pontificii volumina circa varia rerum genera verſari, primum enim Catholicam fidem & profitentur, & explicant, ut *Tit. de Sum. Trin.* deinde de moribus definiunt, & religione Chriſtiana, quantum aut ex Evangelica lege, aut naturæ cognitione definire licet; ut videre eſt in Tit. de uſura, de jurejurando, de divortiis, de Simonia. Rurſus diſſerunt de moribus Eccleſiaſticis, officiis miniſtrorum Eccleſiæ, quatenus hæc omnia diſponuntur legibus poſitivis; quales ſunt in Tit. de Celebr. Miſſæ, de Cler. Peregr. conjugatis &c. de ætate, & qualitate Ord. & in Libr. I. de Offic. Jud. & in 2. de ordine Judiciar. Poſtremo ejusmodi Pontificia jura præſcribunt pœnas his, qui leges vel Evangelicas, vel naturales, vel etiam Eccleſiaſticas perruperint; ut videre eſt in Tit. de Excom. de Rapt. de apoſtat. de hæreticis.

XLII. Ut igitur ad ſingula reſpondeamus; in his, quæ ad fidem pertinent, juris conſultorum auctoritate Theologum non egere, inprimis cenſemus; nam ſeu Pontifices, ſeu Concilia, quæ in volumina juris coguntur, quicquam definiant, quod ad fidem ſpectare videatur, id certe non ex ſenſu ſuo, ſed ex ſacris Literis, Chriſti, & Apoſtolorum traditionibus colligant neceſſe eſt, ut jam alio loco diximus. Cum ergo principia (unde Pontifices, & Concilia ad quæſtionem fidei decernendam prgorediuntur) propria ſint Theologiæ, cujus eſt cognoſcere, quæ a DEO ſunt revelata, quæque his vel conſectanea, vel repugnantia; plane conficitur, in ejusmodi rebus ſacrorum Canonum intelligentiam non a juriſperitis, ſed a

Theo-

Theologis eſſe petendam. Unde & in iis, quæ ad mores pertinent, juris prudentium Authoritatem parum conferre Theologo cenſendum eſt; cum ſi quæ dogmata de moribus jus Pontificium vel ex Evangelio, vel ex Philoſophia colligit, ea ſane tanquam ex propriis principiis accepta Theologus agnoſcet, rectiuſque & intelliget, & interpretabitur. Tertium autem rerum genus ſi ſpectetur (ubi ſcilicet de moribus Eccleſiæ, & religionis inſtitutis per leges tantum Pontificias decernitur; ubi pœnæ juris definiuntur) juriſperitorum communis conſenſus Theologo magnam fidem facere debet, ſi quando incidit quæſtio circa res ejusmodi. Nam (ut rite arguit Canus *l.* 8. *c.* 7.) in ejusmodi Canonum interpretatione Eccleſiæ judices, ac adminiſtri concordem omnium jureconſultorum ſententiam amplectuntur; qui enim in actionibus, vel judiciis Eccleſiaſticis ſuo, & non communi jurisperitorum ſenſu duceretur, illum ſine dubio Eccleſia ſuo judicio coerceret: itaque Eccleſia uſum judicum approbando, eorum quoque, quos hi in Eccleſiæ adminiſtratione ſequuntur, intelligentiam videtur approbare; nec immerito: cum enim Sacri Canones impellente Spiritu Sancto ad utilitatem Eccleſiæ ſint editi (ut Damaſus Papa definit) conſentaneum eſt, ut Eccleſia (cui Canones illi ſunt neceſſarii, ut in religione, ac moribus Eccleſiaſticis contineatur) acceperit a Deo interpretes legitimos earum legum, quibus eſt adminiſtranda.

§. II.

De Placitis Philoſophorum, & Hiſtoria Humana.

XLIII. Placita Philoſophorum ad fidem adverſus gentiles confirmandam plane utilia eſſe, ſupra jam diximus; his enim argumentis, velut propriis Prophetarum ſuorum oraculis convicti Divinæ veritati facilius præbebunt aſſenſum. Ita genium Apoſtolus in medio Areopagi dedignatus non eſt, proferre ententias Philoſophorum; ut Areopagitas de idolorum vani-

tate convinceret. At vero placita illa, cujus demum cunque Philoſophi ſint, certa argumenta non ſufficient Theologo, niſi firma, ac demonſtrativa ratione fulciantur; indignum certe eſt, ab aliquo Philoſopho tanquam oraculo pendere, cum habeamus firmiorem ſermonem Propheticum. Hiſtoria humana, præſertim Eccleſiaſtica, adeo utilis eſt, ut eruditus non poſſit eſſe Theologus, qui eam ignorat. Inde cognoſcet, quid antiquum, quidve novum, quæ dogmata in Conciliis ſint definita, quæ præcepta diſciplinæ tradita; qua occaſione nonnulla in Conciliis ſint ſtatuta; quam ob cauſam aliqua a S.S. P.P. ſcripta; ac proinde qui ſit genuinus Conciliorum, ac Patrum ſenſus.

XLIV. Ut tamen rite diſtinguatur, quanta argumentorum firmitas ex hiſtoria humana deſumi poſſit; ſequentia erunt obſervanda. I. Hiſtorici graves, ac fide digni, quales ſine dubio & in Eccleſiaſticis, & in ſecularibus fuere, probabile argumentum Theologo ſuppeditant, cum ad ea, quæ ſua ſunt corroboranda, tum ad falſas adverſariorum opiniones refellendas; nec enim hominis bene inſtituti eſt, viro gravi rem credibilem afferenti non credere. Rem dixi credibilem; nam ſi ea, quæ ſæpe a Plinio, aliiſque hiſtoricis vix credibilia adferuntur, non credamus, non ideo hiſtoriæ auctoritatem labefactamus. Uterque igitur, & qui cito credit, & qui ad credendum nimium eſt tardus, jure reprehenditur; multo vero hic magis, ſi a pluribus hiſtoricis gravibus, probatiſque receſſerit. Si namque in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum, cur adverſus hanc legem pluribus teſtibus rem eandem olim geſtam conteſtantibus fidem Theologus abrogabit? præſertim cum teſtimonia ex vetuſtate deprompta eo ſint potentiora ad probandum, quod ea ſola criminibus odii, gratiæque vacant.

XLV. II. Si omnes probati, ac graves Hiſtorici in eandem rem geſtam conſentiant; ex horum auctoritate certum argumen-

mentum deſumitur, ut Theologiæ dogmata firma etiam ratione conſtituantur. Exempla ejus rei ſunt plurima; pauca ſubjiciamus. Petrum Romæ & fixiſſe ſedem, & ibidem martyrii gloria coronatum eſſe, omnes graves hiſtoriæ tradunt; unde Theologi certo conficiunt, Romanum Epiſcopum Petri in Pontificatu eſſe ſucceſſorem. Concilium Nicænum tempore Conſtantini a Sylveſtro vero Eccleſiæ Pontifice eſſe coactum, graviſſimi quique Hiſtorici teſtantur; ea ex re colligitur Concilii definitiones certas eſſe; quod certum ſit, Synodum generalem Romano Pontifici probatam errare non poſſe: certum quoque ſit, Nicænam ejusmodi fuiſſe, cui nec univerſitas Paſtorum Eccleſiæ defuerit, nec Romani Epiſcopi comprobatio. Hoc igitur argumenti genere Concilia alia probantur eſſe œcumenica, ac proinde fide Divina credenda eſſe ea, quæ in iis definita fuerunt.

XLVI. III. Tres præ ceteris conditiones deſiderantur, ut Hiſtoricus fide dignus cenſeatur. Ac primum quidem maximæ auctoritatis cenſetur is, qui rei, quam enarrat, eſt coævus; neque enim tantam fidem meretur, ſi multo poſt tempore vixit. Deinde ii Hiſtorici reliquis ſunt anteferendi, qui ingenii ſeveritati quandam prudentiam adjunxerunt & ad eligendum, & ad judicandum; quæ lex in iis rebus locum habet, quas res neque ſcriptores ipſi viderunt, ne a viris fide dignis, qui viderint, audierunt. Quo in genere operæ pretium eſt, levitatem eorum recordari, qui narrationi cuique ſtatim credunt, veritatemque rerum ex diſſipatis, pervagatiſque rumoribus petunt. Quæ res plerumque iis accidit, qui ſunt inconſtanti, levique natura; quamquam negare non poſſumus, viros aliquando graviſſimos, in Divorum præſertim prodigiis deſcribendis, ſparſos rumores, & excepiſſe, & ſcriptis etiam ad poſteros tranſmiſiſſe; ut conſtat de Vincentio Bellovacenſi, cujus ſcripta hanc ipſam ob cauſam apud ſeveros, graveſque criticos auctoritate carent. Hiſtoricus igitur ut fidem mereatur,

tur, ea, quæ lecta, aut audita deſcribit, prudenti, & accurato judicio expendat, ac ſeligat eſt neceſſe. Denique ſi cui Hiſtorico Eccleſia auctoritatem tribuit, hic procul dubio dignus eſt, cui nos etiam auctoritatem adjungamus: contra vero cui Eccleſia derogavit fidem, ei quoque nos fidem jure, ac merito derogabimus. Sic hiſtoriæ Euſebii Cæſarienſis auctoritas denegatur in rebus ad Arianiſmum pertinentibus, eo quod eam illi deroget Gelaſius Papa; nec immerito; cum abſurdum ſit, ut qui infidelis Eccleſiæ fuerit, ei fidem Eccleſia in rebus Eccleſiaſticis habeat. Experimur ſane his potiſſimum temporibus, hæreticos ſectæ ſuæ non dogmata modo ac præcepta, ſed & res hiſtoricas accommodare; imo vero torquere, atque adeo fingere, ut ſectam undique & comprobaſſe, & ornaſſe videantur.

XLVII. Atque hæc, in ipſo quaſi limine, eo fine inſinuanda fuerunt, ut quibus ex principiis, quave firmitate aſſertiones ſuas ſtabiliat Theologus, intelligere poſſit. Juvat modo interiora Theologiæ adyta penetrare, atque præcipuum ejusdem objectum, DEUM, divinaſque perfectiones (quantum humana patitur tenuitas) contemplari: quo in argumento ita verſabimur, ut dogmata fidei contra inſanas hæreticorum opiniones defendantur; illa tamen, quæ ad explicandum, illuſtrandumque dogma proxime juvant, non prætermittantur; ut Candidatus Theologus ſciat *verſutias ſermonum*, & *diſſolutiones argumentorum (Sap. 8.)*. Sex autem præcipuas Controverſias complectetur præſens Tractatus; quarum prima aget de Notione, Exiſtentia, natura, præcipuiſque DEI Attributis, ac perfectionibus, ut aiunt, negativis: Secunda, & tertia proponet quæſtiones de Attributis poſitivis, Intellectu, Voluntate, Scientia, Decretis, ac Providentia DEI; de prædeſtinatione ſanctorum, & reprobatione præſcitorum; quarta de Divinis ad extra operationibus ſupremi creatoris tractabit; in quinta, & ſexta myſteria de ſumma Trinitate generatim, & de Divinis Perſonis ſpeciatim explicabuntur.

CON-

CONTROVERSIA I.

DE

NOTIONE, EXISTENTIA, NATURA, AC PRIMARIIS DEI ATTRIBUTIS.

Cognitio veri Dei non Theologiæ modo, ſed & totius Religionis primum eſt fundamentum: *Accedentem ad DEUM* (inquit Apoſtolus *Hebr.* 11. *v.* 6.) *credere oportet, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Verum quam clarum, & evidens eſt, Deum eſſe, tam arduum, & obſcurum eſt dicere, quid ſit. Triplicem viam oſtendit D. Auguſtinus (qua imperfecta ſaltem aliqua naturæ Divinæ cognitio in hac vita obtineri poſſit) viam nempe negationis, affirmationis, & excellentiæ: Primo modo longe facilius dicitur, quid non ſit Deus, quam quid ſit. *Longe facilius dicimus* (verba ſunt citati Doctoris) *quid non ſit, quam quid ſit. Terram cogitas? non eſt hoc DEUS. Mare cogitas? non eſt hoc DEUS . . . . Hæc ſolum potui dicere, quid non ſit.* Altero modo Deum concipimus, cum de illo aliquid affirmamus, detractis etiam imperfectionibus quibuscunque. Ita cum eodem S. Aug. *(l.* 5. *de Trinit. c.* 1.) dicimus; *DEUM ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine indigentia creatorem, ſine loco ubique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine ulla ſui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem.* Tertio modo affirmamus, creatas omnes perfectiones ratione longe excellentiore Deo ineſſe. *Omnem ſuam creaturam* (ait idem S. Aug.) *excedit . . . ſi enim quæras magnitudinem, major eſt; ſi pulchritudinem, pulchrior; ſi juſtitiam; juſtior; ſi fortitudinem, fortior; ſi pietatem, clementior. Nulla enim ratio patitur, ut vel factura factori ſuo æquetur, vel opus artifici comparetur.*

Ergo ut triplici hac via ad conceſſam viribus noſtris cognitionem ſupremi Numinis perducamur; ejuſdem præprimis exiſtentia, & Unitas demonſtranda eſt contra Atheos, ac Polytheiſtas; deinde Natura, & Attributa Divina generatim erunt explicanda; denique ſpeciatim agendum erit de præcipuis iiſque negativis ſummi entis Attributis, nempe infinitate, ſimplicitate, immutabilitate, æternitate &c. Qua in re ſi quæ ad illuſtrandum fidei dogma quæſtio pro data ſcholæ libertate erit admiſcenda, opinionem eam præ ceteris ſeligemus, quæ menti, & dictis SS. Patrum magis viſa fuerit accommodata.

CAPUT I.

DE NOTIONE, ET EXISTENTIA DEI.

§. I.

De Divinis Nominibus.

I. DEUM aliquo ſenſu ineffabilem eſſe, certum, ac de fide eſt; id enim definivit Concilium in Laterano habitum *C. firmiter de ſumma Trinit.* ubi Patres profitentur, eodem modo DEUM eſſe ineffabilem, quo eum immenſum, omnipotentem, immutabilem eſſe dixerunt. Fundatur hoc etiam in ſcripturis; nam colluctato ſecum Iſraeli, rogantique, *quo appellaris nomine?* quaſi rem ineffabilem rogaſſet, reſpondit DEUS: *cur quæris nomen meum?* eandemque ob cauſam *Proverb.* 30. dicitur: *quod nomen eſt ejus, aut quod nomen filii ejus, ſi noſti?* Rurſus Eccleſiaſt. 43. *multa dicemus, & deficiemus in verbis: conſummatio autem ſermonum, ipſe eſt in omnibus;* unde auctor libri de Divinis nominibus (qui vulgo S. Dionyſio tribuitur) *neque nomen eſt ejus*, inquit, *neque opinio.* Ineffabilis igitur aliquo ſenſu DEUS eſt, nec nominari poteſt; cum enim nomi-

mi-

mina ſint ſigna, & expreſſiones conceptuum noſtrorum, ea duntaxat nominare poſſumus, quæ cognoſcimus: atqui eſſentia Divina non poteſt a nobis in hac vita perfecte cognoſci; igitur nec ullo nomine exprimi.

At enim hæc minime obſtant, quin Deus ſaltem imperfecte, eoque, quo cognoſcitur, modo nominari poſſit; nam licet Deum nemo viderit unquam *(Joan. c. 1.)* in diverſis tamen entibus ab eo creatis, aut productis diverſas perfectiones deprehendimus, quas in eo, tanquam fonte, præexiſtere, & contineri judicamus. Hinc ſolemus omnia illa nomina Deo tribuere, quibus ſingulas rerum creatarum perfectiones exprimimus; Deum nominamus ſapientem, bonum, juſtum, fortem &c. Quia in ejuſdem operibus ejuſmodi perfectiones obſervamus: *omnia poſſunt dici de DEO* (inquit D. Aug.) *& nihil de DEO digne dicitur, nihil locupletius hac inopia.*

II. Nomina autem, quibus Divinam naturam exprimimus, varii ſunt generis; alia propria, alia metaphorica; alia poſitiva, alia negativa; alia abſoluta, alia relativa. Propria nomina ſunt illa, quæ ſignificant perfectiones ab omni prorſus imperfectione immunes; metaphorica vero, quæ ſignificant perfectiones imperfectionibus admixtas. Hinc ſapientia, bonitas, juſtitia de Deo dicuntur proprie, & formaliter, ut ajunt, in illo continentur: corpus vero, & quæ materiales qualitates exprimunt, non niſi metaphorice de Deo dicuntur, nec ſunt in eo formaliter, ſed eminentiore, ac nobiliore modo, nempe ab omni impuritate ſejunctæ. Unde Concilium Lateranenſe IV. damnavit doctrinam Almarici tanquam inſanam, quod dicere auſus fuiſſet, creaturas omnes de Deo vere, ac proprie prædicari poſſe. Nomina poſitiva ea ſunt, quæ ſignificant quandam Dei perfectionem, ut omnipotens, ſapiens, bonus; negativa ſunt ea, quæ negant in eo aliquam eſſe imperfectio-

nem, ut incorporeus, infinitus, immenſus &c. quæ quidem felicius DEUM exprimunt; nam ut dicitur cit. lib. de Divinis nominibus, *de DEO novimus melius, quid non ſit, quam quid ſit.* Nomina abſoluta ſunt ea, quæ dicuntur de DEO ſine ordine ad aliud, ut vivens, ſapiens &c. Relativa vero, quæ dicuntur de eo cum reſpectu ad aliud, ut Pater, Filius, creator, conſervator; priora competunt DEO ab æterno; poſteriora vero, ſi reſpectum habent ad res creatas, non niſi ex tempore, quo creaturæ eſſe cœperunt, de DEO dicuntur, quin nova iſthæc nuncupatio internam ejusdem mutationem inducat. Dixi, *ſi reſpectum habent ad res creatas;* nam nomina relativa, quæ dicunt ordinem ad perſonam Divinam, competunt DEO ab æterno.

III. Ad ſignificandam ſupremi entis naturam ſingularia nomina ſunt determinata, nempe apud latinos *DEUS*, apud græcos Θεὸς, & apud hebræos *Jehova* יהוה. Latina vox a græca deducitur, quæ tamen ipſa certam originem non habet: dicitur nempe vel a verbo Θεῶμαι, quod eſt *videre* & *contemplari;* quia omnia ſunt præſentia DEO, nihilque illum latet: vel a verbo Θεῖν, quod eſt *curare*, vel *fovere;* nam *attingit a fine uſque ad finem fortiter* Sap. 8. vel ſecundum S. Damaſcenum ἀπὸ τῦ αἴθειν *urere*, eo quod *DEUS ignis conſumens ſit.* Deuter. 4. Quo denotatur ſumma ejus activitas. Jehova nomen eſt apud Hebræos ſanctiſſimum, quod ipſe DEUS ſibi tanquam proprium aſſumpſit; nam interroganti Moyſi (*Exod. c.* 3.) quid diceret filiis Iſrael quærentibus, qui vocaretur DEUS Patrum ſuorum? Reſpondit DEUS: *ego ſum, qui ſum: ſic dices filiis Iſrael, qui eſt, miſit me ad vos;* quo denotatur ipſum eſſe, quoque nomine proprius Divinæ naturæ character expreſſus videtur: hinc S. Juſtinus in Exhort. ad Græcos, *DEUS*, inquit, *opus eſſe non duxit, ut ſe aliquo nomine deſignaret Unus, & ſolus exiſtens.* Et S. Hilarius L. 1. de Trinit. ad

hæc

hæc verba Exodi: *ego ſum, qui ſum. Admiratus ſum*, ait, *plane tam abſolutam de DEO ſignificationem, quæ naturæ Divinæ incomprehenſibilem cognitionem aptiſſimo ad humanam intelligentiam ſermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis DEO, quam eſſe, intelligitur, quia id ipſum, quod eſt, neque deſinentis eſt aliquando, neque cœpti.* Et in Pſal. 2. *Ipſe eſt*, inquit, *qui, quod eſt, non aliunde eſt: in ſeſe eſt, ſecum eſt, ad ſe eſt, ſuus ſibi eſt, & ipſe ſibi omnia eſt.*

§. II.

Exponuntur errores exiſtentiæ ſupremi, & Unius Entis adverſantes.

IV. Exiſtentiam DEI negant Athei, genus hominum adeo perditum, ut vel nullum prorſus habeant in ſe Divinitatis ſenſum, vel ſaltem perverſitate morum adeo obſcuratum, ut nulla vi naturæ, nulla argumentorum efficacitate permoveri poſſint ad DEUM agnoſcendum; etſi ſe & ipſis ſæpe oſtentet intus in mente Numen, & futurus vindex cruentas eorum conſcientias non raro ſalutari metu exagitet. In eo genere nonnullos fuiſſe, teſtantur ſcriptores tum ſacri, tum profani. Pſal. 13. dicitur: *dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt DEUS.* S. Aug. *(l. 3. contra litteras Petil.) quid hic facit*, inquit, *Atheus Diagoras, qui eſſe DEUM negavit, ut de illo prædixiſſe videatur Propheta: dixit inſipiens in corde ſuo* &c. Theodoretus *(oratione I. de Provident.)* multos Philoſophorum errores recenſens: *alii*, inquit, *DEUM omnino nullum eſſe; alii vero eſſe quidem DEUM, ſed nullam eorum, quæ in rerum natura ſunt, curam gerere dixerunt.* Lactantius item *(l. 1. Divin. Inſtit. c. 2.)* inter Atheos numerat Democritum, Epicurum, Protagoram, Diagoram, & *(l. de ira DEI c. 9.)* Cyrenæum Theodorum. Simile quid Tullius habet *l. 1. de na-*

tura Deorum; quin & nonnullos etiam poſt Chriſtum extitiſſe Atheos, affirmant, qui de rebus Orientalibus Hiſtoriam ſcripſerunt; & non longe ab ætate noſtra pro talibus habiti ſunt Lucilius, Homo Italus (ob impietatem flammis Toloſæ An. 1619. traditus) & Spinoſa, qui nullum alium, quam mundum univerſum, Deum agnoſcebat.

V. Ad Atheos revocantur Polytheiſtæ inſani idolorum cultores, de quibus ita loquitur Apoſtolus *ad Rom.* 1. 23. *qui mutaverunt gloriam incorruptibilis DEI in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* Idololatriæ ortus, ac progreſſus graphice depingitur *Sap. C.* 13. & 14; multiplex vero ejusdem aſſignatur cauſa: Prima eſt generalis hominum corruptio ex primigenia labe contracta, unde veri Dei oblivio. Altera indigentia hominum, qui cum multis premantur malis, undequaque auxiliatores ſibi quæſiverunt, eoſque pro diis habuerunt, unde commodi aliquid reportaſſent. Unde Tertullianus (*Apolog. c.* 5) paganos irridens ita ait: *apud vos de humano arbitratu Divinitas penſitatur: niſi homini DEUS placuerit, DEUS non erit: homo jam DEO propitius eſſe debebit.* Cauſa rurſus Idolorum, quæſita ex Deorum exemplo ſecuritas fuit in perpetrandis ſceleribus; nullum certe tam immane criminis genus eſt, cujus rei non fuerint Gentilium Dii; id quod ipſis audacter objecit Cit. Tertull. in Apologetico. Hinc apud Gentiles ſtupenda illa Deorum multitudo; hinc apud Judæos ſic dicti *Ranatitæ*, *Muſcaronitæ*, *Muſuritæ*, *Puteoritæ*, *Fortunatitæ*, *Tophetitæ*, *Molochitæ*, *Remphanitæ* &c.

VI. At non minus inter Chriſtianos extiterunt Hæretici nonnulli, qui veri Dei exiſtentiam, ac Unitatem impugnarunt. *Gnoſtici*, quorum dux erat Carpocrates teſte Irenæo (*l.* 1. *c.* 24.) duos eſſe Deos putarunt; Unum bonum, & alte-

alterum malum. Idem ſenſit *Apelles* (unde dicti Apellitæ) teſte Euſebio *l.* 5. *Hiſt.* & S. Aug. *l. de Hæreſ. c.* 23. *Marcionitæ* a Marcione dicti vel duos DEOS admiſerunt (referente Tertull. *l.* 1. *contra Marcionem*) vel tres, ut cenſet S. Epiphanius (*l.* 1. *contra Hæreſ. c.* 42.) *Manes* (unde dicti Manichæi) duo rerum principia, duoſque DEOS admiſit ingenitos, ac ſempiternos: alterum alteri oppoſitum; & alterum quidem bonum rerum inviſibilium auctorem; alterum malum, rerum materialium cauſam. Malum veteris legis; bonum novæ parentem conſtituit; ut habet S. Aug. *l. de Hæreſ. c.* 46. & *S. Epiph. Hæreſ.* 66. *Valentiniani*, a Valentino Hæretico dicti, non duos, aut tres duntaxat; ſed triginta DEOS, ſeu Æones, aliaque innumera vix intelligibilia figmenta confinxerunt (teſte Aug. *l. de Hæreſ. c.* 11.) Rurſus inter Polytheiſtas numerari poſſunt *Tritheitæ*, qui Joannem Philoponum ſecuti tres Divinas perſonas, tres DEOS eſſe ſunt commenti. De his, aliiſque fuſior ſermo habebitur, ubi de ſumma Trinitate tractabimus. Demum cum non tantum ex Socinianis; ſed & Philoſophis ac Theologis antiquis nonnulli fuerint (ut teſtatur *D. Thomas contra Gentes l.* 1. *c.* 12.) qui negarunt, certam DEI notitiam ex creaturis haberi poſſe; noſtrarum partium erit, ut, quibus, quamque firmis argumentis exiſtentia veri DEI demonſtrari poſſit, manifeſte oſtendatur.

§. III.

An, & quibus argumentis exiſtentia DEI demonſtrari poſſit?

VII. Quæ ad demonſtrandam DEI exiſtentiam argumenta adferuntur, triplicis fere ſunt generis; *moralia* nempe ſic dicta, quod ad mores formandos plerumque adhibentur, prudentemque adeo aſſenſum fundant, ut ſine teme-

rita-

ritate nemo diſſentire poſſit: His ut plurimum S. Eccleſiæ Patres uſi ſunt, ſeu quod faciliora ſint intellectu, ſeu quod non minorem in genere ſuo certitudinem contineant, quam quævis alia. *Phyſica* argumenta depromuntur ex rebus corporeis, ſeu ex temporanea mundi productione, ſeu ex ordinata mundi ſtructura, aut conſtanti rerum omnium viſibilium compage; *Metaphyſica* denique ex ente neceſſario, aut conceptu cauſæ primæ improductæ deſumpta, ut intellectu ſunt magis ardua, ita ad aſſenſum non tam movent, quam cogunt. Quæritur autem de demonſtratione, quam dicunt a poſteriori; nam certum eſt, exiſtentiam DEI demonſtrari non poſſe a priori, ſeu per cauſam; cum DEUS nullam habeat exiſtentiæ ſuæ cauſam, ſed neceſſitate naturæ ſuæ exiſtat, ita ut ne cogitatu quidem ab ejus natura exiſtentia ſeparari poſſit. Nec multum nobis luctandum erit cum Perezio, Tournelio, aliiſque, qui ex innata DEI notitia, ex conceptu entis optimi, aut perfectiſſimi, adeoque quaſi, ut ajunt, a ſimultaneo ejus exiſtentiam ſe demonſtrare exiſtimant; nam ejusmodi argumenta nullius roboris eſſe, infra dicetur. Sit igitur contra Socinianos, aliosque

ASSERTIO I.

Exiſtentia DEI lumine naturali ex creaturis demonſtrari poteſt.

VIII. Oſtenditur auctoritate ſcripturæ, & S. S. P. P. Pſ. 18. v. 2. dicitur: *Cæli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Et Pſ. 99. v. 3. clamant omnes creaturæ: *Scitote, quoniam Dominus ipſe eſt DEUS: ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Sap. 13. *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Denique Rom. 1 habetur: *inviſibilia ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus,*

tus & Divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles. Hinc Tertull. *(l. 1: contra Marcion.) DEUM habere teſtimonia*, inquit, *totum hoc, quod ſumus, & in quo ſumus.* Et, ut innumera alia teſtimonia apud Suarium citata prætercam, D. Aug. Tract. 106. in Joan. ita loquitur: *hæc eſt vis veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omnino, ac penitus poſſit abſcondi.*

Neque infirmum cuiquam videri poteſt hoc ex teſtimoniis depromptum argumentum; eo quod dubium ſit, utrum ſcriptura loquatur de notitia evidenti, an ſolum probabili; nam ea certe deſignatur de Deo notitia, qualis re ipſa extat, & qualem ipſo rationis lumine habemus; atqui non probabilem modo, ſed & evidentem ſupremi Numinis notitiam habemus; ut paulo poſt videbimus.

ASSERTIO II.

Exiſtentia DEI Moralibus, Phyſicis, ac Metaphyſicis argumentis demonſtratur.

IX. Argumentum morale ducitur ex communi hominum conſenſu; nam moraliter loquendo non poteſt non eſſe, quod eſſe conſtanter teſtantur gentes omnes, ac nationes (etſi moribus, inſtitutione, atque ceteris prope rebus omnibus diſſentientes) quod communi velut omnium hominum notione perſpectum eſt, quodque a natura ipſa hominibus eſſe infuſum, temporum, locorumque diſtantia, perpetuitas, atque conſtantia probat. Omnium nempe conſenſio naturæ ipſius vox eſt; atque fieri non poteſt, ut univerſa natura aberret. Eſt autem illa conſtans omnium aſſeveratio, exceptis fere paucis, aut ſtupidis prorſus, aut inſigniter flagitioſis, ac præſertim omni libidini devotis; quamvis & ipſi vim ſuæ na-

turæ inferant, & lumen ſibi naturaliter inditum aut extinguere, aut comprimere cogantur. Teſtimonia de communi conſenſu adferre, ſupervacaneum duco, ubi certatim hac de re Patres, Poetæ, & Gentiles Philoſophi, atque ipſa experientia loquuntur.

Neque vim hujus argumenti infringes, ſi dixeris, permultos fuiſſe olim Atheos, quos *N.* 4. recenſuimus, qui certe DEUM ignorare non potuiſſent, ſi tam obvia, tam pervulgata, & a natura inſita daretur ejusdem notio. Nam etſi non diffiteamur extitiſſe Atheos externe, & practice, ſeu tales, qui ita perdite vixerunt, ac ſi DEUS non foret, quem vellent ex animo non eſſe, quod eum ſuorum criminum juſtum vindicem intimo conſcientiæ ſenſu reformident; induci tamen vix poſſumus, ut opinemur fuiſſe Atheos ſpeculative, directe, ac interne, qui DEUM ex animo penitus negarunt, omnemque divinitatis, ac religionis ſenſum exuerunt: etſi enim flagitioſi ejusmodi homines mentem ſuam adeo obſcurent, ut clariore aliqua luce DEUM non contueantur, latet tamen aliqua DEI notio vel in cœcis his animis, atque vel in tanta cœcitate nonnullis ſe radiis ſpectabilem reddit. Quod ſi dicas, ideam illam, communemque, quæ in humanis mentibus ſe prodere videtur, notionem non tam imprimi ab ipſa natura, quam naſci ex præjudiciis, inſtitutione, moribus, exemplis, imaginatione, aut interiore alia cauſa hauſtis: quod ſi, inquam, hoc cogites, quam temerarium effugium habeas, quiſque facile intelligit; nam quæ naſcuntur ex inſtitutione, moribus, exemplis, neque eadem ubique, neque perpetua eſſe poſſunt; cum & inſtitutio, & mores, & exempla in variis locis ſint longe diverſiſſima; eademque etiam Reſpublica non multis adeo labentibus annis magnas ſæpe in his rebus mutationes ſubeat. Multo minus autem vel imaginationi, vel affectibus, vel interiori alicui cauſæ id tribui poteſt; nam

ſen-

ſenſus, & pathematum turbæ illam ideam impugnant etiam. Cur enim Atheus negat DEUM, quam quia nec eum ſenſibus percipere, nec phantaſia ſua depingere poteſt? quia indomitæ, ac in ſcelera quæque profuſæ affectiones vellent non dari vindicem, qui malefacta puniat, non legislatorem, qui iisdem libertatem conſtringat.

X. Argumentum Phyſicum ducitur ex pulcherrimo totius univerſi ordine, rerumque omnium nexu. Quem enim vel invitum non rapiat in admirationem eximia mundi pulchritudo; ſumma rerum, quæ in eo ſunt, multitudo, ac varietas; æquabilis temporum ſeries; fixa tempeſtatum viciſſitudo; immenſa cœlorum moles; ſiderum definitæ converſiones; conſtans denique totius naturæ ordo? quis ſanæ mentis unquam cogitaverit, hæc omnia fieri caſu, ac fortuito atomorum concurſu? ut ſomniant Democritus, & Epicurus. Cur ex ſimili fortuito concurſu non fiunt palatia? cur Ilias, aut Poema fortuito characterum concurſu non exiſtit? ut arguit Tullius lib. de natura DEORUM. Igitur ad ſupremam quandam intelligentiam, ad ſapientiſſimum Entis ſummi Conſilium eſt recurrendum. *Mundus ipſe* (inquit D. Aug. l. 11. de Civit. c. 4.) *ordinatiſſima ſua mutabilitate, & mobilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie quodammodo tacitus & factum ſe eſſe, & non niſi a DEO . . . ſe fieri potuiſſe proclamat.* Similia teſtimonia ad ingenerandam, etiam rudioribus, DEI notitiam copioſe habent veteres Eccleſiæ P. P. Athanaſius, Gregorius Nazianz. Juſtinus, Damaſcenus &c.

XI. Ex Metaphyſicis argumentis, quibus exiſtentia DEI a D. Thoma demonſtratur, duo præcipua ſunt, quorum unum ex *cauſa prima improducta;* alterum ex *ente neceſſario* ducitur. Illud omne, quod mundus complectitur, vel factum eſt, vel non; at dici non poteſt, factum eſſe omne, quod complecti-

tur mundus; cum enim ſupponatur nihil omnino eſſe extra mundum; totum illud factum foret a ſe ipſo; quod ſine contradictione admitti non poteſt. Igitur dicendum eſt, aliquid eſſe in illa rerum omnium collectione, quod non ſit factum, & unde cetera ſint producta. Porro ens non factum, non productum, ſed a ſe ipſo exiſtens eſt Deus. Rurſus ita arguitur: vel exiſtit ens neceſſarium, vel omnia ſunt contingentia; omnia contingentia non ſunt; quia ſi ita forent, ſupponi poſſent non eſſe; quod enim contingens eſt, poteſt eſſe, vel non eſſe. At ſi ſupponerentur non eſſe, impoſſibile foret ea eſſe: quod enim eſt, vel eſt a ſe, vel ab alio: atqui illa entia neque ab alio, neque a ſe ipſis eſſe poſſent. Non ab alio; quia in Hypotheſi Atheorum nihil eſt, a quo entia illa eſſe poſſint: non a ſe ipſis; quia nihil poteſt ſibimet ipſi dare exiſtentiam, ut manifeſtum eſt; igitur illa entia eſſe non poſſent, adeoque non eſſent contingentia; unde admittendum eſt ens ſupremum, increatum, neceſſarium, a quo cetera omnia tanquam a radice pendeant, ac deriventur.

XII. Contra vim harum demonſtrationum tria potiſſimum obmoliuntur Athei; I. ſupponunt infinitam entium contingentium collectionem, ſeu generationes æternas; unde etſi ſingula in illa ſerie contenta admittant, eſſe facta, eſſe producta ab alio intra illam collectionem contento; negant tamen, omnia collectim ſumpta eſſe producta ab alio; cum ſicut facta Hypotheſi æternarum generationum non poteſt deveniri ad primam generationem, ita & ad cauſam aliquam primam, & improductam deveniri non poſſit. II. Vitioſam, ac Sophiſticam eſſe ajunt demonſtrationem, quæ progreditur a partibus ad totum, a diſtributivo ad collectivum, ut adeo male concludatur, totam entium collectionem eſſe contingentem, ex eo, quod unumquodque ens ſingillatim ſumptum ſit contingens. III. Evidens non eſſe cenſent, cur dari non poſſit neceſſitas vaga,

vaga, ut aliqua ſemper entia exiſtant, a quo reliqua producantur. Inanibus his cavillationibus ut breviter ſatisfaciamus: evidens eſt, demonſtrationem allatam obtinere vim ſuam, etſi infinitam illam generationum ſeriem Atheis ultro permittamus. Quis enim exiſtimet, per quamcunque factam multiplicationem minui, aut auferri inſufficientiam ad exiſtendum? ſi igitur in ſingulis entibus ab alio productis inſufficientia eſt ad exiſtendum, an non ea erit in tota collectione? cum enim tota inſufficientium collectio ſit poſitio rerum (ut ſunt in ſe), manifeſtum eſt illam indigam fore principii ſufficientis. Si autem tota ſeries ita, & talis principii eſt indigens; ad hoc ut exiſtat, ab alio ente determinetur, erit neceſſe. Sicut ergo in facta Atheorum Hypotheſi quocunque ente determinato aliud fuit anterius, ita illud anterius ſufficientiam duntaxat habuit exiſtendi acceptam; adeoque ſicut Hypotheſis per ſe excludit initium, ita per ſe includit inſufficientiam propriam: dici ergo neceſſe eſt, extra illam collectionem dari ens aliquod æternum ſibi, aliiſque ſufficiens. Unde facile etiam colliges, in hoc argumento argui poſſe a diſtributivo ad collectivum; quæ illatio toties tenet, quoties ratio, propter quam prædicatum, ſingulis competit, in tota etiam collectione reperitur. Quod autem de vaga quadam ad exiſtendum neceſſitate dicitur, manifeſtam contradictionem involvit; cum enim inſufficientia ſingulis entibus ſit intrinſeca, non tantum non neceſſe, ſed nec poſſibile eſt, ut aliqua indeterminate accepta exiſtentiam, & ſufficientiam neceſſariam, ac a ſe ipſis habeant.

XIII. Quæritur a D. Thoma, aliiſque Theologis, utrum hæc propoſitio: *DEUS exiſtit*, ſit ex ſolis terminis quoad nos nota? ſeu an ſine prævio diſcurſu, ac ratiocinio, ex ſola terminorum apprehenſione, intelligat mens ſana, & attenta, Deum eſſe, eo fere modo, quo ſtatim, ac ſine prævio diſcurſu concipimus veritatem dictarum propoſitionum: *totum eſt*

majus ſua parte; impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe. Affirmant multi cum Perezio, & Tournelio *(Prælect. Theol. de DEO. Quæſt. I.)* negant alii cum D. Thoma, pro data Scholæ libertate; neque enim præſens controverſia ad fidem ullo modo pertinet. Cui tamen ut ſtrictim ſatisfaciamus, ſit

ASSERTIO III.

Propoſitio iſta: DEUS eſt, *non eſt per ſe nota quoad nos.*

XIV. Probatur. Propoſitio per ſe, & reſpectu noſtri nota dicitur ea, cujus attributum non modo continetur in notione ſubjecti; ſed ita continetur, ut ejus veritas ſine ullo medio, aut diſcurſu, per ſolam terminorum apprehenſionem, cognoſcatur; quales veritates ſunt prima principia paulo ante allata. Nam qui intelligit hos terminos; *eſſe*, & *non eſſe*, absque diſcurſu videt, hæc duo non poſſe, utpote contradictoria, ſimul conjungi. Atqui non ita ſe habet hæc propoſitio: *DEUS exiſtit;* Etſi enim in hoc ſubjecto: *DEUS*, *ens neceſſarium*, *ens improductum* contineatur exiſtentia; apprehenſis tamen his terminis non quivis ſtatim intellectus cognoſcit, in hoc ſubjecto contineri exiſtentiam realem; Non enim cognoſcit illico, an non in hoc ſubjecto: *ens neceſſarium*, lateat quidquam, quod pro ſtatu reali contradictionem importat. Nos quippe viatores non cognoſcimus DEUM clare (ſicut terminos in primis principiis contentos) ſed duntaxat per ſpeculum in ænigmate; atque adeo, ſine diſcurſu ex creaturis deſumpto, formido remanet, an non in hoc ſubjecto: *Ens neceſſarium* lateat aliquid repugnans pro ſtatu reali; qualem repugnantiam involvit conceptus iſte: *creatura perfectiſſima, & neceſſaria.* Hinc Apoſtolus *ad Rom.* 1. ait: *Inviſibilia ejus a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt* (non autem per ſe) *intellecta conſpiciuntur.*

Con-

Contendit quidem Tournelius (loco. cit.) cognitionem Dei nobis intime a natura eſſe impreſſam, atque innatam; ſuamque hanc aſſertionem copioſis & ſcripturæ, & P.P. tam Græcorum, quam Latinorum teſtimoriis confirmare nititur; inde deducit propoſitionem iſtam: *DEUS exiſtit*, ejusmodi eſſe, cujus veritati, auditis, ac intellectis terminis, ſtatim, ac ſine ullo medio mens ſana acquieſcere debeat, quamque nemo prudens ſerio negare poſſit. Quid enim nomine Dei intelligimus? purum bonum, ens perfectiſſimum, optimum, quo nihil melius aut eſſe, aut cogitari poteſt. Atqui fieri nequit, ut animo concipiatur ens optimum, ac perfectiſſimum, quin ſtatim exiſtens intelligatur; cum exiſtentia omnium perfectionum prima ſit, & fundamentum ceterarum. Hactenus Tournelius. Verum quod inprimis teſtimonia ſcripturarum, & S. S. P. P. attinet; ipſe auctor fatetur, ea non de ingenita, ſed de facili, & unicuique obvia, ex creatis, Dei notitia intelligi, exponique poſſe: Eſt nempe inſertum cuique homini lumen, cujus ope facillimo diſcurſu a rebus creatis deſumpto, ad cognoſcendam ſupremi Numinis exiſtentiam perducatur; qua via plures etiam gentiles philoſophi ad eam agnitionem pervenerunt. Verum item eſt, nomine *DEI* apprehendi ens optimum, ens perfectiſſimum, atque in hac notione includi exiſtentiam objective, ut ajunt, & ſignate ſumptam; ſed quæſtio eſt, utrum re ipſa, & ex parte rei detur ſummum illud bonum; nec ſolvitur illa quæſtio ex ipſa terminorum conceptione, ſed ex inſpectione creaturarum. Nam ſicut apprehendendo creaturam optimam, perfectiſſimam, concipis eam duntaxat pro ſtatu ſignato, & objectivo; non item pro ſtatu reali, & exercito ob formidinem, ne forte in illo conceptu non ſatis clare cognito lateat aliquid, vi cujus huic creaturæ, cui intellectus exiſtentiam objectivam dedit, debeas negare exiſtentiam realem; ita apprehendendo ens optimum, ens perfectiſſimum, concipis quidem exiſtentiam illius entis pro

ſtatu

ſtatu objectivo, non item reali, ob parem formidinem, ne fortaſſe in illo conceptu non ſatis clare cognito, ac penetrato lateat aliquid, vi cujus intellectus illi enti, cui exiſtentiam tribuit objectivam, & quaſi ſignatam, negare debeat exiſtentiam realem.

Dices: notum eſt quoad nos, dari ſufficientiam entis cujusque creati ad exiſtendum: atqui DEUS eſt ſufficientia cujusque entis; igitur notum eſt quoad nos eſſe DEUM. R. diſtinguendo minorem: DEUS eſt ſufficientia ad exiſtendum: & hoc ipſum ex terminis notum eſt, nego: eſt notum per diſcurſum ex creaturis, concedo. Etſi per ſe, & ex terminis notum ſit, dari aliquam mundi ſufficientiam; non tamen, niſi ex ratiocinio, conſtat, DEUM illud re ipſa eſſe principium ſibi, aliisque ſufficiens.

§. IV.

Utrum inculpabiliter ignorari poſſit, DEUM exiſtere?

XV. Non moramur hic quæſtionem illam ad ſtabilienda fidei dogmata, formandumque Theologum parum idoneam, quam nonnulli non attenta DEI providentia proponunt; utrum nempe ſpectatis ſolis naturæ viribus poſſit aliquis invincibiliter, atque adeo ſine culpa, DEI exiſtentiam ignorare. Nam quis non videt, ſpectabilem adeo in creaturis DEUM relucere, ut cœcitatis foret portentum, qui non aliquo ſaltem lumine eum contueretur? unde Auctor carminis de Provident. apud Proſperum ita habet:

Seu noſtros annos, ſeu tempora priſca revolvas,
Eſſe omnes ſenſiſſe DEUM, nec defuit ulli
Auctorem natura docens; etſi impius error
Amiſit, multis tribuens, quod debuit uni;
Innatum eſt cunctis genitorem agnoſcere rerum.

Quæ-

Quæſtionem agitant Theologi de præſenti DEI Providentia; utrum quis ea ſpectata toto, aut longiore vitæ tempore inculpabiliter ignorare ſaltem negative poſſit conditorem, ac gubernatorem totius univerſi? Dixi I. *inculpabiliter;* cum quæſtio præſens non de quacunque ignorantia procedat, ſed de inculpabili; ad quam neceſſarium eſt, ut vel homini media ad obtinendam DEI cognitionem opportuna non ſuppetant; vel ſaltem obligatio, eam notitiam per illa media comparandi, non appareat. Dixi II. *Saltem negative;* ita nempe, ut non judicet quidem, DEUM non dari; ſed ejusdem duntaxat exiſtentiam non agnoſcat, ne quidem ſub conceptu convertibili ſupremi legiſlatoris, vel primæ moralitatis regulæ, vel ejusmodi. Sit itaque

ASSERTIO UNICA.

DEUM exiſtere, longiore vitæ tempore ſine culpa ignorari non poteſt, ſpectata DEI Providentia.

XVI. Probatur. In hac Providentia ordinatus eſt quisque homo ad æternam beatitudinem, ad DEUM tanquam finem ultimum ſupernaturalem per eam poſſidendum; quæ ordinatio ita eſt facta, ut in adulto rationis capace ſimpliciter neceſſarius ſit ad ſalutem obtinendam actus fidei (cum *ſine fide impoſſibile ſit placere DEO; & accedentem ad eum oporteat credere, quia eſt; & quod inquirentibus ſe remunerator ſit. Ad Heb. 11.)* totiesque ille actus fidei repeti debeat, ut homo in exiſtimatione morali cenſeri poſſit *ex fide vivere;* ut rurſus habet Apoſtolus ad Rom. 1. Ex quo ſic arguimus: neceſſe eſt, ut homini rationis capaci ſæpe per lumen ſupernaturale proponatur ea veritas, ſine qua ſe ad DEUM convertere, & ex fide vivere non poteſt; ſimulque appareat obligatio, ſine qua ſe ad DEUM convertere, & ex fide vivere non obligatur.

At vero niſi homo agnoſcat hanc veritatem : *DEUS exiſtit*, neque ſe ad DEUM convertere, neque ex fide vivere poteſt; & ſi non præluceat obligatio in hanc veritatem ulterius inquirendi, ſe ad DEUM convertere, & ex fide vivere non obligatur; igitur cuique homini adulto ſæpe per lumen ſupernaturale proponi debet veritas de exiſtentia DEI; ſimulque prælucere obligatio in eam inquirendi. Hoc ipſo autem fieri non poteſt (ſi præſentem DEI omnia ad fines ſuos ordinantis providentiam ſpectes') ut quis longiore tempore exiſtentiam DEI ſine culpa ignoret: ſæpe enim ſeu dum creaturas contemplabitur, ſeu dum ad honeſtatem accendetur, ſeu dum miſeriis vexabitur, ſeu opportuno alio tempore, DEO intus exiſtentiam ſuam loquente, ſupremi cujusdam entis exiſtentiam apprehendet, metuetque, ne ſi ulterius inquirere negligat, ultorem ſentiat: Inde concipiet inquirendi obligationem, cui ſi non ſatisfacit, excuſabilis non eſt; ſi ſatisfacit, cum DEUS facienti, quod eſt in ſe, clarius ſemper lumen ſit largiturus, ad perfectam demum exiſtentiæ Divinæ notitiam pertinget. Hinc *Pſal.* 4. dicitur: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine!* & Apoſtolus inexcuſabiles vocat, qui DEUM non credunt. *Rom.* 1.

Ex his facile etiam colliges, neminem ſeu fidelem, ſeu infidelem agere poſſe contra legem naturalem, nobis a DEO inditam, quin incurrat offenſam DEI, mereaturque ab eo puniri; eo enim ipſo, quod advertat aliquid naturali legi diſſonum, advertit etiam ſe ad illud vitandum obligari ab aliquo ſuperiore; qualis relate ad nos ſolus eſt DEUS: unde dum agit contra dictamen rectæ rationis, advertit quoque ſe agere contra legem ſupremi legislatoris, quem proinde ſufficienter agnoſcens offendit. Hinc merito damnata eſt ſequens propoſitio: *Peccatum Philoſophicum, quantumvis grave in eo, qui DEUM vel ignorat, vel de DEO actu non cogitat, non eſt*

offen-

offenſa DEI, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam DEI, neque æterna pœna dignum.

Neque contra hanc aſſertionem opponi poteſt; notitiam DEI ex dictis non eſſe nobis a natura ingenitam; ſed obtineri ex creaturis, per demonſtrationes non adeo faciles, nec rudiori homini pervias; hoc autem ipſo ignorari poſſe DEUM etiam ſine culpa, ſaltem ab iis, quibus via ad illius cognitionem eſt difficilior. Etenim non opus eſt, ut rudiores ad eam notitiam via demonſtrativa perveniant; ducuntur nempe ab ipſo DEO (dum vel res creatas contemplantur, vel in ſe ipſos, ſuasque actiones deſcendunt) in rudem aliquam ſupremi entis cognitionem, & prima quaſi hujus ſcientiæ ſemina; ſalutari præterea metu, ne per ſocordiam in inquirendo ſupremo hoc ente Numen ſibi infenſum reddant, perculſi, ſtimuliſque conſcientiæ agitati urgentur, ut inquirant in Magiſtros, a quibus erudiantur plenius, quoque ſubſidio ad credendum diſponantur. His igitur impulſibus ſi reſiſtant, culpabiles ſunt; ſi obediant, in pleniorem DEI, Divinorumque myſteriorum agnitionem pervenient, cum DEUS ſic operantibus gratia ſua non deſit, adeo ut ſi tales inſtructorem non haberent, eis ſupremus Dominus id revelaret ſeu immediate, ſeu per Angelum; ut quidem Doctor Angelicus *(d. 25. q. 2. O.)* affirmare non dubitavit.

§. V.

Quibus argumentis oſtendatur, DEUM Unum exiſtere?

XVII. Probatur I. Manifeſtis ſcripturarum teſtimoniis. Deuter. 6. dicitur: *audi Iſrael: Dominus DEUS noſter Dominus Unus eſt.* Et ibid. c. 32: *Videte, quod ego ſim ſolus,*

& non ſit alius DEUS præter me. Pſ. 82: *Tu ſolus altiſſimus in omni terra.* Joan. 17: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum DEUM verum.* Denique Apoſtolus (1. ad Corinth 8.) ita loquitur: *Scimus, quia nihil eſt idolum in mundo, & quod nullus eſt DEUS, niſi Unus.* Fuit hæc veritas Chriſtianorum omnium animis ſemper impreſſa, continetur que in primo ſymboli articulo his verbis: *credo in Unum DEUM.* At non tantum fide certum eſt, Deum eſſe Unum; ſed & ratione naturali ita demonſtrari poteſt, ut de ejus Unitate nemo niſi imprudenter, & cum inſigni pertinacia dubitare poſſit. Unde

Probatur. II. In quo pleræque omnes cultiores gentes, hominesſque ad veritatem attenti (etſi moribus, legibus, tempore, & loco longe diverſiſſimi) conſentiunt, de ejus veritate nemo, niſi imprudenter, dubitare poteſt: atqui quoad Unitatem Dei ita conveniunt; ut oſtendi poteſt ex communi conſenſu ipſorum veterum Philoſophorum, Poetarum, Sybillarum, Græcorum, & Romanorum Gentilium: illi enim (etſi exterius plures Deos colerent, ne, ſi forte a populari religione receſſiſſe viſi fuiſſent, publicam in ſe invidiam concitaſſent) Unum tamen eſſe Deum Deorum, ac ens ſupremum, perſuaſum habebant. Teſtimonia Sybillarum congeſſerunt Juſtinus *(in Cohort. ad græcos, & lib. de Monarchia DEI)* Athenagoras *in Orat. pro Chriſtian.* Lactantius *l. 1. c. 3.* Cyrill. *l. 1. contra Jul.* Euſeb. *l.* 3. *de præp.* Orpheus inter alia, quæ de Deo vero cecinit, hæc habet:

> Unicus eſt per ſe exiſtens, qui cuncta creavit,
> Inque his ipſe extat, nullo eſt mortalibus unquam
> Lumine conſpectus, mortales conſpicit omnes:
> Magnum adeo præter regem non alter habetur.

Inter Philoſophos Ethnicos de Unitate Dei teſtantur Pythagoras, & Plato: *DEUS quidem*, prior inquit apud Clement.

ment. Alexand. *eſt Unus. Is autem non eſt, ut quidam exiſtimant, extra mundum, ſed in ipſo totus, in toto circulo, præſens omnis generationis, univerſorum temperatio, ſemper exiſtens, & opifex ſuarum virium, & operum omnium, in cœlo illuminator, omnium Pater, mens, & ratio totius circuli, omnium motus.* Plato autem in *Timæo* Deum Unum, & ſupremum clare prædicat, id quod etiam teſte Athenagora Ariſtoteles fecit. Denique de communi etiam gentilium in hoc dogmate (ſaltem tacita, atque in animo latente) conſenſione teſtantur Tertull. Maximus Tyrius, Oroſius, Minucius, Lactantius, Arnobius &c. quorum teſtimonia apud Petavium videre poteris.

Probatur III. Ex communi in hominum animis impreſſa notione, & idea, qua Deum nobis repræſentamus ut ens perfectiſſimum, ſummum bonum, quo nihil melius aut eſſe, aut cogitari poteſt: *omnes pro excellentia DEI* (inquit *D. Aug. l.* 1. *de Doctr. Chriſt. c.* 7.) *certatim dimicant, nec quiſquam inveniri poteſt, qui hoc DEUM eſſe credat, quo melius aliquid eſt. Itaque hoc omnes DEUM conſentiunt eſſe, quod ceteris rebus omnibus anteponunt.* Certe ex conceptu entis a ſe manifeſte infertur ens in omni genere illimitatum. At vero quod perfectiſſimum, quod ſummum, quod optimum eſt, unicum eſt, nec parem habere poteſt: ſummum quippe non eſt, cui aliquid adæquatur, & ſi duo forent ſumma, & perfectiſſima, neutrum eſſet ſummum, aut perfectiſſimum; quia neutrum altero majus foret. Idem argumentum urget Tertullianus adverſus Marcion. l. 1. c. 3. *DEUS*, inquit, *ſi non Unus eſt, non eſt . . . de iſto convenit apud omnes, ut DEUS ſit ſummum magnum & forma, & ratione & vi, & poteſtate . . . quæ erit jam conditio ipſius ſummi magni? nempe ut nihil ei adæquetur, id eſt, ut non ſit aliud ſummum magnum: quia, ſi fuerit, adæquabitur; & ſi adæquabitur, non erit ſummum magnum,*

everſa conditione, &, *ut ita dixerim*, *lege*, *quæ ſummo magno nihil ſinit adæquari.* Hactenus Tertullianus.

Probatur denique IV. argumento ipſis olim gentilibus non ignoto. Si plures ſunt dii, aut ſunt omnes ejusdem perfectionis, & potentiæ, vel ſunt diſparis: non alterum; quia qui imperfectiores ſunt, jam perfectiorem ut majorem, ut Dominum, ut Regem venerantur, ſicque jam Dii non ſunt: non etiam dici poteſt primum: ſi enim forent ejusdem potentiæ, ac perfectionis; quod Unus volet, poterit nolle alter, neque ut entia abſolute, & omnino libera in idem ſemper conſilium conſpirabunt, ſicque mundus contrariis voluntatibus parere debebit. Idem argumentum habet S. Athanaſius (*l. contra Gent.*) ita loquens: *Si plures mundo præeſſent, ordo ille ſervari non poſſet, ſed omnia confuſione, & perturbatione plena eſſent; dum unuſquiſque omnia ad ſuum arbitrium traheret, & adverſus alium pugnaret.*

Diluuntur Objecta Polytheiſtarum.

XVIII. Opponuntur I. varii ſcripturarum textus, quibus plures Dii nominantur. Pſ. 81. dicitur: *Ego dixi: Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Exod. 7. Dixit Dominus ad Moyſem: *Ecce ego conſtitui te DEUM Pharaonis.* 1 Corinth. 8: *Sunt, qui dicuntur Dii, ſive in cœlo, ſive in terra (ſiquidem ſunt Dii multi, & Domini multi.)* Denique Chriſtus Divinitatem ſuam contra Judæos probat hoc medio: *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia Dixi: Dii eſtis? ſi illos Dixit DEOS, ad quos ſermo DEI factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura: quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemat.* Joan. 10. Dii igitur in lege veteri ſcripti eodem modo dicuntur, quo ipſe Chriſtus, qui natura, & ſubſtantia DEUS eſt. R. Deorum illorum appellationes in ſcripturis fieri

fieri non proprio ſenſu, ſed improprio: ita Iudices (de quibus Pſ. 81.) Dii nominantur non propter ſubſtantiam; ſed ob poteſtatem vitæ, ac necis, quam a DEO acceperunt; ſtatim enim V. 7. additur: *vos autem ſicut homines moriemini.* DEUS Pharaonis nominatur Moyſes propter ſpecialem poteſtatem, quam a DEO in regem illum obtinuerat, & virtutem patrandi miracula, quæ per eum tanquam miniſtrum DEUS ipſe eſt operatus; ut v. 5. ibidem dicitur: *Scient Ægyptii, quia ego ſum Dominus, qui extenderim manum meam ſuper Ægyptum.* Apoſtolus loco citato non ex propria ſententia, ſed ex falſa gentilium opinione, *multos eſſe DEOS* dixit: nam ſtatim v. 6. ſubjungit: *nobis tamen Unus DEUS.* Angeli etiam, & Prophetæ in ſcripturis Dii dicuntur; hi quidem ob notitiam futurorum a DEO acceptam; illi vero, quod nomine DEI loquerentur, ejusque perſonam ſuſtinerent. Quod attinet citatum Joan. 10. locum; ibi (ut notat Tournelius) non tam agitur de ſubſtantia, quam nomine DEI: neque enim Chriſtus exemplo illorum (qui in veteri teſtamento Dii appellantur) ſe natura, ac ſubſtantia DEUM oſtendit; ſed hoc Unum voluit evincere, merito ſibi arrogare potuiſſe nomen DEI; nec propterea blaſphemum eſſe; ut falſo Judæi criminabantur: quia in lege ipſa homines nonnulli Dii dicuntur. Quaſi diceret: ſi multi in lege veſtra Dii appellantur, & quidem ſine blaſphemia; quare me blaſphemum dicitis, quod me, quem Pater ſanctificavit, DEUM dixerim? Talem autem ſe eſſe poſtea v. 37. & 38. directe probat ex operibus, & miraculis: *ſi non facio opera Patris mei*, inquit, *nolite credere mihi, ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.*

Opponitur II. cum Tritheitis. Non repugnat eſſe tres perſonas Divinas: igitur neque tres DEOS; cum tres perſonæ ſint tria entia maxime neceſſaria, & ſumme bona. Certe etſi

una-

unaquæque perſona ſit infinite perfecta, ſunt tamen numero plures: quidni pariter plures Dii eſſe poſſunt, tametſi natura Divina ſit ſumme perfecta? ut adeo argumentum pro Unitate DEI ex idea ſummi boni deductum pro demonſtrativo venditari non poſſit. R. tres perſonas, etſi unaquæque ſit ſummum bonum, tamen non eſſe tria ſumma bona, neque tria entia neceſſaria; ſicuti neque tres Dii ſunt; quamvis enim inter ſe realiter diſtinguantur; non diſtinguuntur tamen in ſubſtantia, & natura; quia ſunt Una, eademque res neceſſaria, & infinita tribus veluti modis ſubſiſtens. *Omnia, quæ habet Pater* (inquit S. Damaſc. l. 1. Orthod: fidei c. 8.) *filii ſunt, hoc Uno excepto, quod ingenitus non eſt; quæ quidem vox nec naturæ diſcrimen, nec dignitatem, ſed ſubſiſtendi modum indicat. Bonus Pater* (ait D. Aug. l. 5. de Trinit. c. 8.) *bonus Filius, bonus Spiritus S. Nec tres boni, ſed Unus eſt bonus.* Nulla perſonalitas Divina ſecundum ſe ſpectata eſt infinite perfecta ſimpliciter, ſed tantum in ſuo genere; cum duntaxat ſimpliciter, & in omni genere perfecta ſit per identitatem realem cum natura Divina. Hinc neque Una eſt, neque dici poteſt altera perfectior e. g. Paternitas filiatione; ſed omnes æqualiter in ſuo genere ſunt perfectæ. At enim DEUS non eſt infinite perfectus in aliquo duntaxat genere, ſed in omni; ideoque neceſſe eſt, ut vel formaliter, vel eminenter contineat omnes perfectiones poſſibiles: ex quo fit, ut neque ſuperiorem habere poſſit, neque parem, ſed unicus eſſe debeat ſecundum naturam. Sed de hoc Myſterio fuſius ſuo loco.

Opponitur III. cum impio Manichæorum grege. Tot, inquiunt, admitti debent rerum principia, quot ſunt effectus varii, & oppoſiti; quot leges contrariæ, & inter ſe pugnantes, quot creaturæ rationalis fines diverſi: atqui multi ſunt effectus oppoſiti, boni nempe, qui a principio bono proveniunt; & mali tam Phyſici, quam morales, qui non, niſi a

prin-

principio malo, eſſe poſſunt. Eſt quoque conſtans inter carnem, & Spiritum pugna, & diſſenſio, quam ab Uno, eodemque principio eſſe, quis credat? Lex vetus tota erroris eſt, ac vindictæ; continet præcepta non bona; occidit denique; Lex nova optima amoris, ac dilectionis præcepta habet, jugumque Chriſti ſuave efficit, & vivificat. Denique, cum creaturæ rationaliex Una parte vita, ex altera mors ſempiterna ſit propoſita, non ſatis intelligi poteſt, quomodo optimus Deus facturas ſuas ad æterna ſupplicia condere potuerit.

Propoſitis his Hæreticorum objectis generatim reſpondendum eſt, effectus etiam varios, ac oppoſitos eſſe ab eadem cauſa generali nempe Deo, qui ad manifeſtandas perfectiones ſuas, atque ob fines altiſſimos plura diſſimilia, ac diverſa producit; inter quæ certe nihil abſolute eſt malum, ſecundum illud Gen. 1. *Vidit DEUS cuncta, quæ fecerat; & erant valde bona.* In Phyſicis igitur nihil abſolute eſt malum, & ſi quid etiam aliis nocumentum adfert, pœna peccati eſt, per quam Juſtitia Divina eluceſcit, peccati gravitas oſtenditur, dolor ac pœnitentia delinquentis exercetur. Quidquid autem in moralibus mali eſt; id totum homini eſt adſcribendum; *DEUS* enim *intentator malorum eſt (Jac.* 1.*)* dedit quippe homini libertatem ad bonum, & malum, non quidem eo fine, ut peccet; ſed ut recto arbitrii ſui uſu Dei mandato obtemperans & obedientiæ meritum, & æternæ beatitudinis præmium reportaret. Offert etiam cuique gratias ſuas ad proſequendum bonum, & malum fugiendum, ut adeo culpa hominis ſit, ſi miſere pereat, beneficium autem creatoris, ac redemptoris, ſi æternum vivat. Non alius nobis finis in creatione propoſitus eſt, quam æterna felicitas, ſi nempe in accepta juſtitia perſeveremus: quod ſi peccato provocatus Deus hominem contumacem ætenis addicat ſuppliciis, ad ejus Juſtitiam pertinet; nec inde inferri poteſt, duo eſſe principia, Unum bo-

num felicitatis, & alterum malum, ſupplicii auctorem; idem quippe DEUS, ut bonus, dona ſua coronat, ut juſtus peccata ulciſcitur. Quod vero de pugna illa veterem inter, ac novam legem dicitur, ſomnium eſt Manichæorum. Etſi enim nova ſit perfectior veteri, hæcque illius umbra fuerit, ac figura; continet tamen non minus, ac illa, præcepta morum optima, diciturque lex Sancta, ac immaculata, quam Chriſtus non venit ſolvere, ſed adimplere. Unde quando præcepta veteris legis dicuntur *non bona;* cum vetus teſtamentum dicitur, *culpa non vacaſſe*, *& occaſionem peccato dediſſe*, ſenſus duntaxat eſt de minore perfectione. Præcepta veteris legis dicuntur *non bona*, eo quod partim fuerint gravia, ceremonialia, ac oneroſa, partim quia ex ſeſe gratiam non conferebant. Hoc ipſo ſenſu vetus teſtamentum dicitur *culpa non vacaſſe;* id eſt, non ita perfectum fuiſſe, ac novum. Pariter peccato occaſionem dedit: *occaſione accepta*, ait Apoſt. Rom. 7. *peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam: ſine lege enim peccatum mortuum erat.* Verum non ex ſe occaſionem dedit peccato lex, ſed per accidens duntaxat ob malitiam hominis in vetitum nitentis, alioquin lex peccatum foret, quod negat Apoſtolus ibidem v. 7.

CAPUT II.

DE NATURA, ET ATTRIBUTIS DIVINIS GENERATIM.

§. I.

Quiſnam ſit proprius Naturæ Divinæ, & eſſentialis Character?

XIX. Quamvis DEUS ſit ſimpliciſſimus, nec ſit in eo quid prius, & poſterius, ſed quidquid in illo deprehendi-

ditur, ſit realiter, &, ut ajunt, identice ipſamet Divina eſſentia; Theologi tamen ad mentem S. S. P. P. diſtinguunt nonnihil inter naturam DEI, ejuſque proprietates, ac attributa, concipiuntque in Ente puriſſimo aliquid tanquam primum habens rationem eſſentiæ, unde velut a priori ordinata cogitatione omnia reliqua attributa, tanquam proprietates Divinæ naturæ, deducantur.

Porro concipi poſſe in DEO proprietates, & attributa ab eſſentia Divina, tanquam a radice, profluentia, abunde SS. P.P. teſtantur: *non ſapientia* (ait Chryſoſtomus Hom. 1. de incomprehenſibili DEI natura) *ſubſtantia DEI eſt, ſed ex ſubſtantia ſapientia.* Baſilius l. 1. contra Eunom. ita loquitur: *quonam pacto non irridendus ſit, ſi creandi virtutem ſubſtantiam eſſe dicat, ſi providentiam rurſus ſubſtantiam: eodem modo & præſcientiam, & operationem ſubſtantiam putet.* Damaſc. l. 1. de fide c. 4. *Nam ſi bonum, ſi juſtum, ſi ſapiens, ſi quidquam tandem aliud dixeris, non naturam DEI dicis, ſed quæ circa naturam;* & c. 12: *At vero bonum, juſtum, ſanctum, & id genus alia naturam conſequuntur; non autem ſubſtantiam oſtendunt.* Hinc D. Thomas (p. 1. q. 19. a. 2. ad 1.) ita loquitur: *licet divinum velle ſit ejus eſſe ſecundum rem, tamen differt ratione ſecundum diverſum modum intelligendi.* Et q. 26 a. 2. ☉: *in DEO autem non eſt aliud eſſe, & intelligere ſecundum rem, ſed tantum ſecundum intelligentiæ rationem.* Et q. 1. de Potent. a. 1. d. 1. inquit, *eſſentiam non habere principium ſui; cognitionem vero DEI habere principium ſecundum rationem.*

Jam vero ſi quæras, quænam nobis de DEO cogitantibus prima occurrat perfectio, tanquam radix aliarum proprietatum, ſeu perfectionum; aptiorem aliam (ſi mentem S.S. P.P. ſi rationem ipſam ſpectes), deprehendes nullam, quam *neceſſitatem eſſentialem exiſtendi.* Hoc declaraſſe videtur S. Hilarius

N. 3. a nobis citatus, idem clariſſimis teſtimoniis exprimunt P. P. alii: *Una eſt DEI, & ſola natura, quæ vere eſt* (inquit Hieronymus in Epiſt. ad Damaſum) *id enim, quod ſubſiſtit, non habet aliunde, ſed ſuum eſt. Cetera, quæ creata ſunt, etiamſi videntur eſſe, non ſunt: quia aliquando non fuerunt; & poteſt rurſus non eſſe, quod non fuit. DEUS ſolus, qui æternus eſt, eſſentiæ nomen vere tenet. Idcirco & ad Moyſen de rubo loquitur: ego ſum, qui ſum.* S. Joan. Damaſc. l. 1. Orthod. fid. c. 12: *ex omnibus*, ait, *nominibus quæ DEO tribuuntur, nullum æque proprium videtur, atque entis nomen . . . Univerſam enim id quod eſt, tanquam immenſum quoddam, & infinitum eſſentiæ pelagus complexu ſuo continet.* Denique ut alios omittamus, S. Bernardus (l. 5. de conſider. c. 6.) *quis eſt?* inquit, *non ſane occurrit melius, quam qui eſt. Hoc ipſe de ſe voluit reſponderi, hoc docuit, dicente Moyſe ad populum, ipſo quidem injungente: qui eſt, miſit me ad vos. Merito quidem . . . ſi bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem, vel quidquid tale de DEO dixeris, in hoc verbo inſtauratur, quod eſt, Eſt. Nempe hoc eſt ei eſſe, quod hæc omnia eſſe, ſi & centum talia addas, non receſſiſti ab eſſe, ſi ea dixeris, nihil addidiſti: ſi non dixeris, nihil minuiſti.*

Hinc formamus ſequens argumentum: Ex communi loquendi modo S. S. P. P. eſſentialis ac proprius Divinæ naturæ character conſiſtit in ea perfectione, unde reliqua attributa, tanquam ex radice, deducuntur; atqui ex *ente neceſſario, & a ſe exiſtente* ſic deducuntur reliqua Dei attributa; ut partim patet ex allatis teſtimoniis; partim quia quod habet *eſſe a ſe*, neceſſario habet omnem perfectionem. Neque opus hic eſt immorari, refutandis aliorum Theologorum opinionibus, qui eſſentiam Dei conſtituunt vel in collectione perfectionum omnium; vel in infinitate eſſentiæ; vel in intellectu, aut voluntate ſeu radicali, ut ajunt, ſeu actuali. Nam ſi conſtituis eſſentiam

Dei

DEI in collectione omnium perfectionum; contra mentem S. S. P. P. nullæ forent proprietates ab eſſentia Divina per rationem noſtram diſtinctæ. Si DEUM conceptu entis infiniti explicare velis; non adducis radicem perfectionum aliarum, ſed puram proprietatem entis neceſſario exiſtentis; cum non foret major ratio pro Una DEI perfectione infinita, quam pro altera. Quod ſi demum intellectum, & voluntatem DEI pro eſſentia habeas, proprietates adfers extra eſſentiam contentas; nam prius certe eſt eſſe, quam eſſe intellectivum, eſſe volitivum. Verum hæc ad Philoſophos potius quam Theologos pertinent.

§. II.

Quomodo perfectiones omnes in Divina eſſentia includantur?

XX. Perfectiones aliæ dicuntur a Theologis ſimpliciter ſimplices, & aliæ ſimplices ſecundum quid. Perfectio ſecundum quid talis ea dicitur, quæ in ſuo conceptu imperfectionem aliquam includit, ut eſſe corpus, videre, audire &c. Perfectio autem ſimpliciter ſimplex definiri ſolet cum D. Anſelmo (in Monolog. c. 15.) quæ *melior eſt ipſa, quam non ipſa*; ſeu ut alii exponunt, quæ eſt melior omni alia perfectione a ſe realiter diſtincta; ut proinde nulla alia realiter diſtincta eidem poſſit eſſe æqualis. Quæritur igitur, quomodo utriuſque generis perfectiones in Divina eſſentia contineantur? Porro cum etiam Attributa Divina duplicis ſint generis, alia abſoluta, ut intellectus, voluntas &c. Et alia relativa, ut paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & paſſiva; quæritur rurſus, utrum tam illa, quam iſta attributa Phyſicam DEI *eſſentiam*, *ſubſtantiam*, & *naturam* conſtituant? uſurpo autem hic in eadem ſignificatione plura nomina; quæ licet nonnunquam a P. P. in alio etiam ſenſu ac-

cipiantur, pro eadem tamen eſſentia Divina uſurpantur in C. firmiter de ſumma Trinit. deſumpto ex Lateran. ſub Innoc. III. quod ita habet; *tres quidem perſonæ, ſed Una Eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura omnino ſimplex.* Quæſtio iſthæc procedit duntaxat in conſideratione Theologica, fundata in lumine fidei Divinas hypoſtaſes, & ſubſiſtentias nobis revelante, ac proponente.

ASSERTIO I.

Perfectiones omnes ſimpliciter ſimplices continentur in Eſſentia Divina formaliter; perfectiones autem ſimplices, & ſecundum quid eminenter duntaxat.

XXI. Probatur Pars prima ex Scripturis, & S. S. P. P. Proverb. 8. de ſe ait increata ſapientia: *meum eſt Conſilium, & æquitas, mea eſt fortitudo.* Et Joan. 14. Chriſtus de ſe ipſo dicit: *Ego ſum via, & veritas, & vita.* Ex quibus ſic arguitur: quæ de DEO prædicantur ſecundum rationem formalem, ſunt in DEO formaliter, & quoad ſubſtantiam: atqui perfectiones ſimpliciter ſimplices de DEO prædicantur ſecundum rationem formalem, & ſic etiam in illo tanquam ente perfectiſſimo (quo nihil melius eſt, & cogitari poteſt) continentur. Hinc S. Auguſtinus l. 15. de Trin. c. 5: *Non ita eſt*, inquit, *in illa ineffabili, ſimplicique natura. Quidquid enim ſecundum qualitates illic videtur dici, ſecundum ſubſtantiam, vel eſſentiam eſt intelligendum. Abſit enim, ut Spiritus ſecundum ſubſtantiam dicatur DEUS, & bonus ſecundum qualitatem; ſed utrumque ſecundum ſubſtantiam.*

Probatur Pars altera ex conceptu entis perfectiſſimi, a quo abeſt vel umbra imperfectionis; cum igitur perfectiones ſimplices, & ſecundum quid aliquid imperfectionis ratione ſui ſemper admixtum habeant, in DEO formaliter, & quoad ſub-

ſtan-

ſtantiam eſſe non poſſunt; ſunt tamen in eo *eminenter*, hoc eſt nobiliore, & digniore modo, nempe ab omni prorſus impuritate ſegregatæ. Hinc Auguſtinus l. 5. de Gen. ad Litt. c. 15. ita ait: *Creata omnia meliora ſunt, ubi veriora, ubi æterna, & incommutabilia.* Et l. 5. de Trin. c. 1. *Deum nominat ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine loco ubique totum, ſine tempore ſempiternum.*

ASSERTIO II.

Sola Attributa communia, ſeu abſoluta Eſſentiam DEI Phyſicam conſtituunt.

XXII. Hæc Aſſertio, etſi de fide non ſit, probatur ex C.C. & PP. In Symbolo Nicæno Filius Divinus dicitur *Deus de Deo vero;* & ex eodem Symbolo Nazianzenus filium Divinum dicit *perfectum de perfecto, plenum de pleno:* igitur pro priori originis ad filiationem intelligitur Deus, Deus verus, Deus plenus, Deus perfectus: ergo ratia formalis, cur Pater ſit Deus, non eſt filiatio: ergo non attributa relativa, ſed abſoluta; certe ad argumentum Arianorum (quo intendebant probare filium non eſſe *conſubſtantialem* Patri, eo quod ab eo non habeat prædicatum *innaſcibilis*, & *ingeniti*) dixerunt P.P. innaſcibilitatem, tanquam attributum Patri proprium ad conceptum ſubſtantiæ, & naturæ Divinæ non pertinere; ut videre eſt apud Baſilium l. 10. Cont. Eunom. & Epiph. Hæreſ. 76. Hæc autem reſponſio parum probaret contra Arianos, ſi diceres attributa relativa naturam Divinam conſtituere. Rurſus in edicto fidei Juſtiniani Imp. (quod habetur Tom. 12. Conc. ante V. Synodum generalem) dicitur: *omnes Sancti Patres conſonanter nos docent, aliud eſſe naturam, ſeu ſubſtantiam, & formam, & aliud ſubſiſtentiam, ſeu perſonam: & naturam quidem, vel ſubſtantiam, & formam hoc, quod eſt commune, ſignificare;*

ſub-

ſubſiſtentiam vero, ſeu perſonam hoc, quod eſt ſpeciale. Accedunt teſtimonia S. S. P. P. *Eſſentia*, inquit D. Athanaſius Dial. 1. de Trin. 1. *declarat communitatem: & ſi quid eſt Eſſentiæ proprium, id commune* eſt hypoſtaſibus. *Univerſa plenitudo, & integritas Deitatis* (idem inquit in orat. contra gregem Sabell.) *eſt Pater ut Pater: univerſa item plenitudo Deitatis eſt filius ut filius: quandoquidem amborum una forma intelligitur, quæ integre ſe in utroque, & ſolide exhibet.* S. Auguſtinus (l. 7. de Trinit. c. 7.) de Patre, filioque ita ſcribit: *uterque autem ſimul Una Sapientia, & Eſſentia, ubi hoc eſt eſſe, quod ſapere: non autem ſimul uterque verbum, aut filius, quia non hoc eſt eſſe, quod verbum, aut filium eſſe.* Ex omnibus autem his teſtimoniis ita arguere licet: nomine Eſſentiæ, Subſtantiæ, & naturæ Divinæ (in ſenſu nempe reali non quidem identico, ſed formali, ac Theologico) intelligimus formam illam, ob quam quævis perſona Divina eſt DEUS: hæc autem forma conſtituitur in ſolis attributis abſolutis; ut patet ex allatis teſtimoniis. Et certe ſicut ratio formalis, cur humana individua dicantur habere naturam humanam, non ſunt ipſæ individuationes, ſed ſola prædicata communia in quovis homine reperta; ita & ratio formalis, cur Divinæ perſonæ dicantur habere eandem numero naturam, non erunt ipſæ perſonalitates, ſed ſola attributa abſoluta.

§. III.

Proponuntur, & ſolvuntur objectiones.

XXIII. Opponitur 1. contra doctrinam noſtram N. XIX. contentam. S. S. P. P. docent, Attributa Divina non prædicari de DEO ut accidentia, ſed ut eſſentialia: ſic Auguſtinus l. 6. de Trinit. c. 4. ait: *hoc eſt DEO eſſe, quod fortem aut juſtum eſſe.* Baſilius (l. de Spir. S. C. 9.) de filio dicit; *cui*

boni-

bonitas eſt ipſa eſſentia; & S. Anſelm. Monol. c. 4: *ſummum bonum, ſum̃um magnum, ſum̃um ens, ſive ſubſiſtens, id eſt ſum̃um omnium, quæ ſunt.* Ex quo infertur, nullum in Deo eſſe attributum primum, unde reliqua tanquam accidentia, & proprietates deriventur. R. Allata teſtimonia intelligenda eſſe de eſſentia, & qualitatibus Phyſicis: nempe attributa Divina non prædicantur tanquam aliquod accidens Phyſicum, quod Deo contingenter adjaceret; ſed prædicantur ut aliquid Deo realiter identificatum: quo non obſtante ex mente P. P. ſupra adductorum remanebunt accidentia Metaphyſica, & ut aliquid eſſentiæ per noſtrum cogitandi modum adjacens.

XXIV. Opponitur II. Contra Aſſertionem N. XXII. propoſitam auctoritas P. P. D. Athanaſius Sermone 4. contra Arianos ait: *quoniam Filius eſt imago Patris, neceſſum eſt, ut cogites Deitatem, & proprietatem Patris ipſam eſſentiam filii conſtituere.* S. Anſelmus in Monolog. c. 27. ita loquitur: *Eſt totus Pater in Filio, & Filius in Patre, & Spiritus S. in Patre, & Filio.* Cui conſonat Hymnus Eccleſiæ: *in Patre totus Filius, & totus in verbo Pater.* S. Cyrillus l. 1. Theſauri c. 6: *qui Deum negat Patrem eſſe, is fæcunditatem aufert a Divina natura, ut jam perfecta non ſit, cum generandi virtute careat.* Denique juxta modum loquendi a P. P. uſurpatum Pater in Divinis dicitur fons, & origo totius Deitatis.

Singulis his objectionibus ut ſatisfaciamus; R. I. D. Athanaſium loqui de Eſſentia Filii ut *Subſiſtente*, quam proprietas Patris, fæcunditas nempe, & ſpirativa facultas (quæ ut in Patre, ita quoque in Filio eſt) conſtituit. II. S. Anſelmus, quando pronuntiat totum eſſe in Filio Patrem, de plenitudine Deitatis accipiendus eſt juxta illud ad Coloſſ. 2: *In ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis:* non autem exponendus eſt ita, quaſi Pater ſit in Filio ut ejusdem in eſſe Dei conſtitutivum:

Nam ipſe c. 15. ita loquitur : *de relativis nulli dubium eſt*, *quod nullum eorum ſubſtantiale eſt illi*, *de quo relative dicitur*, *quare ſi quid de natura ſumma dicitur relative*, *non eſt ejus ſignificatum ſubſtantiæ.* III. S. Cyrillus loco citato in natura Divina agnoſcit fæcunditatem, ſeu virtutem generandi non quidem formalem ; ſed radicalem; non enim ipſa eſt formaliter fæcunditas, ſed illam duntaxat ob ſummam ſuam perfectionem exigit. *Natura Divina* (inquiunt P. P. Conc. Lateran. IV.) *neque generat*, *neque gignitur*, *neque procedit*, *ſed & Pater*, *qui generat*, *Filius*, *qui gignitur*, *& Spiritus S. qui procedit.* Denique S. S. P. P. Patrem in Divinis nominant fontem, & originem totius Deitatis, non quaſi gignendo Filium, & ſpirando Spiritum S. gignat, ſpiretve partem conſtitutivam Deitatis; ſed eatenus tantum, quatenus gignendo Filium, & ſpirando Spiritum S. eis communicat totam Deitatem.

XXV. Oppon. III. Eſſentia Divina complectitur omnia illa attributa, quæ per veram identitatem realem reperiuntur in omni ſuppoſito Divino, in quo reperitur eſſentia Divina; ideo enim e numero conſtitutivorum naturæ humanæ excluditur ſubſiſtentia creata, quia non reperitur in Chriſto, in quo tamen eſt natura humana; jam vero non tantum attributa abſoluta, ſed & relativa continentur in omni ſuppoſito Divino; in Patre quippe eſt filiatio, & ſpiratio paſſiva; in Filio Paternitas, & ſpiratio paſſiva; in Spiritu S. Paternitas, & filiatio per veram identitatem, non quidem perſonalem, facientem unam numero perſonam, ſed eſſentialem facientem unum numero DEUM, ut fides docet. R. non omne illud conſtituere eſſentiam rei, quod in omni illius ſuppoſito reperitur; ſed quod reperitur ut communis, propter quam illa res in ſua eſt ſpecie, forma; quo modo attributa relativa non contineri in quovis Divino ſuppoſito ex dictis intelligitur. Neque contra nos argui poteſt ex reali identitate inter relationes Divinas, &

ipſam

ipſam naturam; nam licet ex illa identitate ſequatur, perſonalitates cum eſſentia, ſeu natura Divina eſſe in ſenſu reali, & eſſentialiter idem, minime tamen ſequitur, eas formaliter conſtituere eſſentiam Divinam; ſicut ex eo, quod natura Divina ſit identificata Verbo (quod dicitur terminare unionem hypoſtaticam) non ſequitur, naturam Divinam ejusdem unionis eſſe terminum formalem, cur natura humana in Verbo ſubſiſtat. Conſtituitur quippe natura Divina per id, quo perficitur in eſſe naturæ, non per quod perficitur in eſſe ſuppoſiti, ſeu perſonæ; conſtituitur per omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem pertinentem ad rationem naturæ, ſeu abſolutam, non item per omnem etiam notionalem; conſtituitur denique per exigentiam identitatis cum tribus perſonis, non item per ipſam identitatem, quæ attributa relativa æque, ac abſoluta importat.

CAPUT III.

DE SIMPLICITATE DEI.

§. I.

Exponuntur errores Hæreticorum ſimplicitati Divinæ Naturæ adverſantes.

XXVI. Contra ſimplicitatem DEI inprimis pugnarunt Pagani, quotquot turpi, & carnali cogitatione finxerunt DEUM habere verum corpus, atque conſtare ex materia, ac forma. Tales erant Idololatræ omnes, qui creaturas corporeas, ſtatuas, & vana ſimulacra pro Diis habuerunt; & inter Judæos Sadducæi, qui nullam pure ſpiritualem ſubſtantiam admittebant. *Act.* 23. Et ex veteribus Philoſophis partim ii, qui dixerunt, *DEUM eſſe vel ignem, vel citatum aerem, vel gyrum ſtellarum* (de quibus Tullius l. I. de Nat. Deorum) par-

tim qui cenſuerunt, DEUM eſſe univerſam, ex qua res quælibet conſtat, materiam. Quod figmentum poſtremis his temporibus renovavit Benedictus Spinoſa ex Judæo Amſtelodamenſi Atheus, qui inſanam ſuam doctrinam methodo Geometrica adornavit *in ſua Ethica P. I. de DEO.* Impii Syſtematis hæc ſumma eſt; DEUM eſſe univerſi materiam, cui competit magnitudo, & intelligentia; omnia, ex quibus mundus coaluit, ſive corpora, ſive ſpiritus, eſſe hujus immenſæ, & æternæ ſubſtantiæ modos, adeo ut obnoxia ſit omnibus mutationibus, paſſionibus, flagitiis, & miſeriis, quæ in orbe cernuntur; cum ipſa ſola agat, & patiatur. Quam inſanum, & ab omni non tantum religionis, ſed & rationis ſenſu alienum ſit iſtud Spinoſæ ſyſtema, uberrime oſtendunt moderni Philoſophi.

Inter Chriſtianos pervulgatus fuit, magnaſque turbas in Oriente IV. Eccleſiæ Seculo excitavit error quorundam in Ægypto Monachorum, qui humanum corpus DEO attribuerunt; a quo turpiſſimo errore dicti ſunt *Anthropomorphitæ;* ut teſtantur Socrates l.6.c.7. Et Sozomenus l. 8. c. 11. & 14. Sunt quidem inter Theologos, qui hujus erroris incuſant plures ex veteribus eruditione inſignes, Melitonem Sardenſem; Tertullianum, S. Epiphanium, & Theophilum Alexandrinum; verum nullum ex dictis P. P. in ejusmodi errorem prolapſum eſſe, facile oſtendi poteſt. Ac inprimis quidem, Melito ſecundo Eccleſiæ Seculo Sardenſis in Aſia Epiſcopus ſummis laudibus effertur ab Euſebio (l. 4. Hiſtor. c. 26.) & Hieronymo (lib. de Scriptor. Eccleſ.) propter egregia in rem Chriſtianam merita; neque ab ullo ex antiquis probatis ſcriptoribus hujus erroris accuſatur. Origenes quidem illum hujus inſaniæ arguit, quod apud Theodoretum *(q. 20. in Geneſ.)* referat Melitonem ſcripſiſſe, *DEUM eſſe corporeum;* verum deceptus fuit Origenes inſcriptione illius libri, quem Melito ſcripſerat, non quidem

de Deo corporeo, ſed de *Deo corpore induto* ſcilicet per incarnationem; prout Ruffinus titulum ita latine reddidit. Nec morari nos debet cenſura Gennadii, qui l. de Dogmat. Eccleſ. c. 4. Melitonem Anthropomorphitis accenſet; nam cujus fidei eſſe debeat, inde patet, quod præcipiti admodum judicio veteres damnare ſoleat, e. g. S. Dionyſium Alexandrinum Arianæ impietatis, & S. Auguſtinum profanæ novitatis.

Etſi Tertullianus a S. Thoma *(l. 1. contra Gentes. c. 2.)* a S. Fulgentio *(lib. de veritate Prædeſt. c. 21.)* aliisque nonnullis Theologis in hac parte graviter erraſſe dicatur; non immerito tamen poſt S. Auguſtinum defendi poteſt, eo quod ea doceat, quæ cum errore Anthropomorphitarum conſiſtere minime poſſunt. Sic *Apologet. c.* 10. Deos Gentilium falſos eſſe contendit, eo quod homines ſint, iique corporei. *Apologet. c.* 17. Deum immenſum, ac infinitum eſſe docet, neque ullo loco circumſcribi poſſe; adeoque humano corpore carere, quod certe finitum eſt, locoque, ac terminis circumſcriptum. Unde l. contra Praxeam c. 5. de modo, quo Deus fuit ante creationem, loquens ita inquit: *ante omnia DEUS erat ſolus, ipſe ſibi & mundus, & locus, & omnia*, quod certe enti corporeo competere nequit. *lib. adverſus Hermogenem. c.* 2. probat Deum partes non habere, in quas dividi poſſit; Hermogenes ſiquidem ex eo, quod Deus ſit indiviſibilis, ac immutabilis, inferebat eum ex ſemetipſo nihil producere potuiſſe, ſed ex præjacente duntaxat materia: alias, inquiebat ille, *partes ipſius fuiſſent, quæcunque ex ſemetipſo feciſſet Dominus.* Conſecutionem hanc negat Tertullianus; ſed principium, ſeu Deum partes non habere, eumque eſſe immutabilem, plane affirmat; quod quomodo cum errore Anthropomorphitarum conciliari poſſit, non video. *c.* 29. *contra Praxeam* contendentem Patrem Divinum non quidem in ſe paſſum, ſed in filio compaſſum fuiſſe; probat Chriſtum paſſum ſecundum carnem

 dun-

duntaxat, nec Patrem ei compaſſum fuiſſe: *ſi impaſſibilis Pater*, inquit, *utique incompaſſibilis . . . tam autem incompaſſibilis Pater, quam Filius ex ea conditione, qua DEUS eſt.* Hinc *l. de Baptiſmo c.* 2. ſimplicitatem numerat inter Divina attributa: *proh miſera*, inquit, *incredulitas, quæ denegat DEO proprietates ſuas, ſimplicitatem, & poteſtatem.* Ex quibus omnibus facile intelligi poteſt, Tertullianum ab illo errore, qui humanum Corpus DEO affingit, prorſus alienum fuiſſe. Neque opponi poteſt ejusdem teſtimonium (l. contra Praxeam c. 7.) contentum, ubi poſtquam dixiſſet DEI Filium in imagine DEI conſtitutum eſſe, hæc ſubjicit: *in qua effigie DEI? utique in alia, non tamen in nulla. Quis enim negabit DEUM Corpus eſſe, etſi DEUS Spiritus eſt? Spiritus enim Corpus ſui generis in ſua effigie: ſed & inviſibilia illa, quæcunque ſunt, habent apud DEUM & ſuum Corpus, & ſuam formam, per quæ ſoli DEO viſibilia ſunt.* Nam etſi teſte Auguſtino (*l.* 10. *de Gen. ad Litt. c.* 25.) exiſtimarit quidem Tertullianus DEUM eſſe Corporeum; non idcirco tamen; ut idem Aug. de Hæreſibus c. 86. ait, Hæreticus fuit; quippe qui Corpus non pro diffuſo in longum, latum, & profundum ente, aut pro principio ſenſibili, aut impenetrationis radice, ſed pro ſola ſubſtantia ſumpſiſſe videtur: *potuit*, inquit Aug. *propterea putari Corpus DEUM dicere, quia non eſt nihil, non eſt inanitas, non eſt Corporis, vel animæ qualitas: ſed ubique totus & per locorum ſpatia nulla partitus: in ſua tamen natura, atque ſubſtantia immutabiliter permanens.* Quo ſenſu & Apoſtolum ad Coloſſ. his verbis: *in quo* (Chriſto) *habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, ſcripſiſſe putat Cornelius noſter, ita nempe, ut τὸ *corporaliter* ſumatur pro τὸ *ſubſtantialiter*; & Hilarius in Matth. ait: *nihil eſt, quod non in ſubſtantia, & creatione corporeum ſit: nam & animarum ſpecies ſive obtinentium Corpora, ſive a Corporibus exulantium, Corpoream tamen naturæ ſuæ ſubſtantiam ſortiuntur.* Et Auguſt. Ep. 28. ad Hieron. ita loquitur; *Incorpo-*

po-

poream quoque eſſe animam etſi difficile tardioribus perſuaderi poſſit, mihi tamen fateor eſſe perſuaſum. Sed ne verbi controverſiam vel ſuperfluo faciam, vel merito patiar, quoniam cum de re conſtat, non eſt opus certare de nomine, ſi Corpus eſt omnis ſubſtantia, vel eſſentia, vel ſi quid aptius appellatur id, quod aliquo modo eſt in ſe ipſo: Corpus eſt anima. Item ſi eam ſolam incorpoream placet appellare naturam, quæ ſumme incommutabilis, & ubique tota eſt, Corpus eſt anima, quoniam tale aliquid ipſa non eſt. Porro ſi Corpus non eſt, niſi quod per loci ſpatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita ſiſtitur, vel movetur ut majore ſui parte majorem locum occupet, & breviore breviorem, minuſque ſit in parte, quam in toto, non eſt Corpus anima.

Mirum præterea videri debet, S. Epiphanium & Theophilum in ſuſpicionem violatæ fidei circa ſimplicitatem DEI vocatos eſſe; cum nihil ex eorum ſcriptis proferri poſſit, quod vel minimum errori Antropomorphitarum faveat. Damnarunt quidem libros Origenis, non propter doctrinam, qua aſſerebat DEUM incorporeum, ut calumniati ſunt Origeniſtæ, ex quorum falſis rumoribus Socrates, & Sozomenus hiſtoriam ſuam concinnarunt; ſed propter alios errores, ut refert S. Hieronymus *l. de erroribus Joannis Hieroſolymitani;* ubi teſtatur ipſum S. Epiphanium in publica concione fidem ſuam circa iſtud dogma Catholicum declaraſſe. Eſto benigius cum illis monachis egerit Theophilus, nec eos a ſua communione ſepararit; non propterea eorum errori ſubſcripſit, ſed illorum pepercit imperitiæ, quæ erat potius erudienda, quam punienda. Denique falſum etiam exiſtimamus Audæum, ſive Audium IV. Eccleſiæ ſeculo primum quaſi parentem turpiſſimi hujus erroris fuiſſe; nam S. Epiphanius ipſi coævus (qui adeo propius Audæum, ejusque Sectam inſpexit, totaque Hæreſ. 70. de illa agit) ſuſpicionem erroris hac in parte prorſus

ſus removet, aitque, Audæum in nulla re, niſi leviſſima, a fide Catholica diſceſſiſſe.

XXVII. Non minus contra Divinæ ſimplicitatis rationem errarunt ii, qui longe aliam, quam fides docet, diſtinctionem inter attributa Divina tum inter ſe, tum cum eſſentia comparata confinxerunt. Inter hos præprimis numeratur Gilbertus Porretanus Epiſcopus Pictavienſis, vir dialecticis argutiis plus æquo deditus; qui cum in publico quodam Eccleſiæ ſuæ conſeſſu, *divinitatem non eſſe DEUM, ſed formam, qua DEUS eſt;* dixiſſet, & in quibusdam ad Boetium de Trinitate commentariis, *Divinam eſſentiam eſſe ſubſtantiam, qua DEUS eſt; non quæ DEUS eſt*, ſcripſiſſet, ad Eugenium III. Romanum Pontificem delatus eſt, errorisque poſtulatus. Poſt multas altercationes (poſtquam ſummo ardore preſſus fuit a S. Bernardo) in Concilio Remenſi ab Eugenio, ceteriſque Concilii Patribus communi conſenſu error illius eſt damnatus; quam ſententiam cum Gilbertus reverenter excepiſſet, & ea, quæ prius ſcripſerat, & affirmarat, publice retractaſſet, indulgentiam eſt conſecutus, & ſuæ Diœceſi reſtitutus. Totam Gilberti hiſtoriam deſcriptam habemus a tribus coævis ſcriptoribus; S. Bernardo Serm. 80. in Cantica, Gaufrido tum in Epiſtola ad Epiſcopum Albanenſem, tum in vita S. Bernardi; & Ottone Friſingenſi Epiſcopo l. 1. de Geſtis Friderici I. Imp. *V. Baronium ad An. Chriſti* 1147. & 1148. Quæſtio autem inter Theologos eſt, utrum Gilbertus æque diſtinxerit inter attributa abſoluta, & eſſentiam Divinam, ac inter eam, & perſonas; nam nonnulli opinantur; eum duntaxat diſtinxiſſe inter proprietates relativas, & eſſentiam Divinam; nullo vero modo inter proprietates abſolutas tum ad ſe invicem, tum ad eſſentiam comparatas. Verum hæc Controverſia ex nullo alio melius decidi poteſt, quam ex S. Bernardo (quo agente error ille in Concilio Remenſi eſt proſcriptus) qui loco citato refert,

Gil-

Gilbertum docuiſſe attributa etiam abſoluta realiter diſtingui a natura Divina: ſic enim habet. *Recedant novelli, non dialectici, ſed hæretici, qui magnitudinem, qua magnus eſt DEUS, & item bonitatem, qua bonus, ſed & ſapientiam, qua ſapiens, & juſtitiam, qua juſtus, poſtremo divinitatem, qua DEUS eſt, DEUM non eſſe impiiſſime diſputant. Divinitate, inquiunt, DEUS eſt; ſed Divinitas non eſt DEUS.* Minus dubitari poteſt; utrum iſte error in Remenſi Concilio ſit condemnatus; nam licet dictum Concilium in collectione Conciliorum non extet (extat ſiquidem Remenſe Unicum duntaxat ſub Leone III. celebratum) tamen ex Gallia ab Ancioto Antiſiodorenſi Epiſcopo ad Gregorium XIII. Romam tranſmiſſum eſt; & celebratum eſſe ob multiplex Bernardi teſtimonium negari non poteſt. Neque obeſt; condemnationes Gilberti in codice Vaticano, ubi deſcriptum eſt hoc Concilium, non legi: id enim inde eſſe exiſtimari poteſt, quod fortaſſis deſcripti ſolum ſint canones, qui ad mores pertinent, ob quos coactum fuerat Concilium; præſertim cum emendatus jam Gilbertus in ipſo hoc Concilio errores ſuos retractarit.

XXVIII. Joachimus Abbas vir admodum pius, ſed non adeo in rebus Theologicis peritus Petrum Lombardum tanquam hæreticum, & inſanum traduxit, eo quod docuiſſet ſummam quandam rem eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quæ neque eſt generans, neque genita, neque procedens; unde ex mente hujus Abbatis Unitas in Divinis vera non fuit, & propria, ſed tantum collectiva ei, qua multi homines dicuntur unus populus, ſimilis. Damnatus hic error eſt in Concilio Lateranenſi IV. An. 1215. in quo cum Innocentio III. Patres contra nominatum Abbatem ajunt: *nos autem ſacro, & univerſali Concilio approbante credimus, & confitemur cum Petro* (Lombardo) *quod Una quædam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, &*

Spiritus S. tres ſimul perſonæ, ac ſingulatim quælibet earundem. Et ideo in DEO Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas: quia quælibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura Divina, quæ ſola eſt univerſorum principium: præterquam aliud inveniri non poteſt, & illa res eſt non generans, neque genita, neque procedens, ſed eſt Pater, qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus S. qui procedit - - - hanc Sanctam Trinitatem (confitemur) *ſecundum ſubſtantiam individuam, & ſecundum perſonales proprietates eſſe diſcretam.*

XXIX. Oppoſitum errorem, ſub ſpecie nempe aſſerendæ DEO ſimplicitatis perfectioris, amplexi ſunt Seculo IV. Aetius, & Eunomius Arii Sectatores, qui omnia Divina attributa tum inter ſe, tum cum eſſentia & natura Divina ita identificarunt, ut ea tantum verbis (qualiter Petrus, & Cephas differunt) non conceptu, aut diſtinctione rationis quam græci ἐπίνοιαν, & ἔννοιαν appellant) differre voluerint. Et vero opportunus erat hic error eorum impietati, qua negabant Filium Patri conſubſtantialem; nam excluſa omni penitus de DEO diſtinctione non magis Filium dici poſſe DEUM, quam ingenitum cenſuerunt; cum ergo ex conceſſis catholicorum Filius non ſit ingenitus; eum nec DEUM eſſe concludebant. Contra hos Hæreticos ex profeſſo pugnarunt S. S. P. P. Baſilius, Gregorius Nyſſenus, & Nazianzenus, aliique bene multi; ut infra videbitur.

§. II.

Utrum DEUS ſit ens omnino ſimplex, omnis realis compoſitionis expers?

XXX. Compoſitio realis eſt conjunctio partium re ipſa diſtinctarum, & multiplex eſſe poteſt. I. Fit ex partibus eſſentialibus realiter diſtinctis, ex materia & forma e. g.

ex

ex corpore, & anima. II. Ex partibus integrantibus e.g. ex membris, quæ efficiunt corpus integrum. III. Ex ſubſtantia, & ſubſiſtentia, ex quibus reſultat unum ſuppoſitum, ſeu perſona. IV. Fit ex ſubjecto, & accidente, ut conjunctio actus cum mente hominis, ex qua homo dicitur ratiocinans, ſeu cognoſcens: utrum igitur aliqua harum compoſitionum in DEO reperiatur, contra hæreticos ſupra allatos eſt definiendum.

ASSERTIO.

DEUS purus eſt ſpiritus, omnis realis compoſitionis expers, ſeu ex materia, & forma; ſeu ex partibus integrantibus; ſeu ex natura, & proprietatibus: ſive ex ſubjecto, & accidentibus.

Dogma hoc Catholicum ſimplicitatis Divinæ probatur I. contra Anthropomorphitas ex ſcripturis. Joan.4. v.24. dicitur: *Spiritus eſt DEUS, & eos, qui adorant eum in Spiritu, & veritate oportet adorare.* 2. ad Corinth. 3: *Dominus autem Spiritus eſt.* In aliis locis ea tribuuntur DEO, quæ ſoli vero Spiritui convenire poſſunt. Sic loco coarctari non poteſt. Jer. 23: *cœlum, & terram ego impleo.* Mutationi non eſt obnoxius. Malach. 3: *ego Dominus, & non mutor.* Immortalis eſt, & inviſibilis 1 ad Timoth. 1. nullis lineamentis, nulla imagine depingi poteſt. Iſ. 40: *cui ergo ſimilem feciſtis DEUM? aut quam imaginem ponetis ei?* Jam vero hæc omnia non in corpus, ſed in purum duntaxat Spiritum cadere poſſunt.

Probatur II. Ex communi P. P. doctrina, S. Irenæus l. 6. c. 16. ſic habet: *multum diſtat omnium Pater ab iis, quæ proveniunt hominibus, affectionibus, & paſſionibus; eſt ſimplex, & non compoſitus, cum ſit totus Spiritus, & totus ratio.* Origenes

nes l. 1. de principiis c. 1: *non ergo aut Corpus aliquod*, inquit, *aut in corpore eſſe putandus eſt DEUS*; *ſed intellectualis natura*, *ſimplex*, *nihil omnino in ſe adjunctionis admittens*, *ut ſit ex omni parte monas*, *& ut ita dicam*, *totus mens*. S. Gregorius Nazianz. Orat. 34. ita ait: *an Corpus eum dices? quonam ergo modo immenſus*, *infinitus*, *figuræ expers eſt*, *ac denique ejusmodi*, *ut nec tangi*, *nec oculis cerni queat? an hæc quoque in corpora cadunt? . . . . an vero corpus quidem eſſe ſtatues*, *immenſum vero*, *atque infinitum ceteraque hujus generis eſſe negabis? . . . quid enim afferri poteſt*, *cur colatur*, *atque adoretur*, *ſi circumſcriptus eſt? aut quid cauſæ eſſe dicemus*, *quin ex elementis conflatus ſit*, *atque in eadem denuo redigatur*, *ac prorſus intereat? compoſitio enim pugnæ initium eſt*, *pugna autem diſſidii*, *diſſidium ſolutionis*: *ſolutio porro nullo modo in DEUM ac primam illam naturam cadit. Quocirca nullum diſſidium admittendum eſt*, *ne ſolutio conſequatur*: *nec pugna*, *ne diſſidium oriatur*: *nec compoſitio*, *ne pugna exiſtat. Ac proinde ne Corpus quidem eſt*, *ne alioquin compoſitum quidem eum eſſe neceſſe ſit.* Mitto alios P. P. qui ex profeſſo contra Anthropomorphitas ſcripſerunt, quorum teſtimonia copioſe adfert doctiſſimus Petavius.

Graviſſima etiam rationum momenta Divinam ſimplicitatem manifeſte oſtendunt. Negari non poteſt, naturam ſimplicem perfectiorem eſſe, quam compoſitam; in natura enim ſimplici nihil reperitur perfectibile, nihil quod ſe haberet per modum materiæ perficiendæ a forma; ſicut ſe neceſſario aliquid habet in omni natura compoſita; hinc eſt, naturam, quo perfectior eſt, eo eſſe ſimpliciorem: quam ob rem apud Dionyſ. *de Eccleſ. Hier.* angelorum cognitiones, quæ ſimpliciores ſunt, eo dicuntur eſſe perfectiores, & diviniores θεοπρεπεῖς, καὶ θεοειδεῖς μᾶλλον; quo imperfectiores ſunt, eo eas exiſtimat magis μερικὰς, id eſt conciſas, & partiales eſſe:

cum

cum igitur DEO tribuenda ſit natura perfectiſſima, compoſitio omnis abeſſe debet. Hoc argumento urget Gilbertum Porretanum Bernardus l. 5. de Conſiderat. his verbis: *mihi non deeſt, quid cogitem melius ejusmodi DEO tuo. Quæris quid? mera ſimplicitas. Nam vero judicio natura ſimplex multiplici antefertur.* Rurſus cum compoſitum concurſu fiat, & collectione partium, id, ex quo illud fit, prius eſt eo, quod inde fit: quis vero cogitet, DEO eſſe quid prius; alioquin non foret ens primum, ens a ſe, ſed ens ſecundum, & ab alio, nempe ab hac partium collectione. Hoc argumento utitur Origenes l. I. Periarchon c. I. ubi ait: *DEUM, qui omnium eſt principium, compoſitum eſſe non eſt putandum, ne forte priora illo principio inveniantur elementa eſſe, ex quibus compoſitum eſt omne, quidquid illud eſt, quod compoſitum dicitur.* Ex quo etiam illud ſequitur, quod non eſt primum, indigere eo, quod ante ſe eſt, & quod non eſt ſimplex, indigere iis ſimplicibus, quæ in ipſo ſunt, & ex quibus conſtat: Jam vero quis ignoret, DEUM, ob ſummam αὐτάρκειαν, ſeu ſufficientiam, indigere non poſſe alio ad exiſtendum? Hoc argumentum adhibet D. Anſelmus (in Monol. c. 10.) ita arguens: *omne compoſitum ut ſubſiſtat, indiget his, a quibus componitur, & illis debet quidem, quod eſt; quia quidquid eſt, per illa eſt, & illa quod ſunt, per illud non ſunt, & idcirco penitus ſummum non eſt.* Certe pars quævis DEUM componens eſſet DEUS plenus, & perfectus, quia ens a ſe; & non eſſet, quia tantum cum altera parte conflaret DEUM plenum, & perfectum.

XXXI. Ex hactenus autem dictis contra diverſos variorum temporum Hæreticos manifeſte colligere licet, nullam compoſitionis phyſicæ ſpeciem cum Divina natura congruere. Ac primo quidem DEUS componi non poteſt ex *materia, & forma*, aut *ex corpore, & anima*, aut *ex partibus integrantibus:* in omni enim ejusmodi compoſito materia

 eſt

eſt imperfectior forma, & ab hac ſeparari ac dividi poteſt. Corpus conſtat neceſſario partibus, quæ poſſunt a ſe invicem divelli, nec totum ubique exiſtere poteſt: quod ex partibus integrantibus conſtat, adeo imperfectum eſt, ut ab illis totum pendeat, ut quælibet illius pars in ſe ſit quid incompletum, alterationi, ac mutationi obnoxium. Jam vero hæc omnia quomodo cum idea entis perfectiſſimi (a quo vel umbra imperfectionis eſt removenda) conciliari poſſint, non apparet. Sed nec ulla in DEO compoſitio datur *ex natura, & perſonis*, nec *ex perſonis inter ſe conjunctis;* nam natura neque unitur perſonis; quippe quæ eſt realiter idem cum illis; neque perſonæ inter ſe uniuntur: ut enim inter ſe diſtinguuntur perſonaliter, ita inter ſe identificantur eſſentialiter. Neque obeſt, quod P. P. ſubinde conjungi invicem, unirique perſonas dicant; ut ſpeciatim D. Auguſtinus, & Athanaſius, quorum ille (*Sermon.* 189. *de temp.*) tres perſonas aſſerit dividi proprietatibus, ſed ſociari natura; hic vero *contra Sabell:* ait, trinitatem vere exiſtentem conjunctam eſſe; nam exponendi ſunt dicti P. P. non de unione quadam propria, ſed de conjunctione eſſentialis identitatis. Denique nemo dixerit, DEUM compoſitum eſſe ex *ſubjecto, & accidente:* cum enim ex neceſſitate naturæ ſuæ ſit perfectiſſimus, atque per eſſentiam ſuam ſit id, quidquid eſt; in eo accidens nullum fingi poteſt. *Quidquid* (ait S. Aug. l. 15. de Trinit. c. 5) *ſecundum qualitates illic dici videtur, ſecundum ſubſtantiam, vel eſſentiam eſt intelligendum. Abſit enim, ut Spiritus ſecundum ſubſtantiam dicatur DEUS, & bonus ſecundum qualitatem.*

Reſpondetur objectis hæreticorum.

XXXII. Opponitur I. pro Anthropomorphitis. Scriptura DEO tribuit ea, quæ corpori ſunt propria. I. Membra humani corporis, ut *oculos* ad Hebr. c. 4: *& non eſt ulla creatura*

tura inviſibilis in conſpectu ejus, omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis ejus. *Aures*, Pſ. 33. *oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.* *Nares*, Gen. 8: *odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis.* *Faciem*, Pſ. 79: *oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.* *Linguam*, Pſ. 44. v. 19: *Brachia*, Iſ. c. 51. v. 5: *Dexteram*, Pſ. 117. v. 16. *Manus*, Jer. c. 18. v. 6. *Pedes*, Pſ. 8. v. 8. II. Tribuuntur DEO affectiones animi; ut *Iraſci*, Pſ. 6. v. 1: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* *Pœnitere*, Gen. 6. v. 7. *Obliviſci*, Pſ. 12. v. 1. *Neſcire*, Math. 25. v. 12. *Jurare*, Pſ. 109. v. 5. *Gemere*, & *Poſtulare*, ad Rom. c. 8. *Contriſtari*, ad Epheſ. c. 4. v. 30. Hæc, aliaque plurima ſcriptura continet, quibus humano ſeſe intelligendi modulo accommodans res Divinas per corporeas, & humanas hominibus explicat; quæ ne cum Judæis, aliiſque carnaliter ſapientibus, DEUM corporeum opinantibus hæreticis, carnaliter, & ad literam intelligantur:

R. Inprimis generatim, ſcripturam hæc omnia non ideo DEO tribuere, ut revera in eo membra, & corpus eſſe notet; ſed ut ſe humano concipiendi modo accommodet, & per hæc vim, & efficaciam, vel quid ſimile myſticum, & ſpiritale eis apte reſpondens ſignificet. Hunc figuratum, & metaphoricum quaſi ſcripturæ ſenſum eſſe, ex locis aliis colligere licet, quibus ſumma ſimplicitas DEO attribuitur, & omnis imperfectio, omniſque defectus ab eo procul removetur. Ita paſſim reſpondent ſacræ ſcripturæ interpretes, ex quibus unum Theodoretum (*Quæſt. 20. in Gen.*) in re obvia citaſſe ſufficiat: *Stolidi*, inquit, *non animadverterunt, Dominum DEUM per homines hominibus loquentem, audientium infirmitati ſermones accommodare. Et quoniam oculis nos videmus, virtutem ejus, per quam videt, ſcriptura vocat oculos; & rurſus audiendi facultatem vocat aures &c.* Sic omnia, quæ in objectione propo-

nun-

nuntur, ſenſu figurato exponi debent, ut ſpeciatim, & quam breviſſime oſtendi poteſt. Dicitur I. Oculos habere DEUS; quod omnia videat, nihilque eum lateat, ut adeo per oculos intelligatur ipſa inſpectio Divina: *DEUS totus*, inquit S. Hieron. in Pſal. 93. *oculus eſt*, *quia omnia videt*. Per aures præſertim intelligitur miſericordia, & benignitas DEI, qua ſupplices exaudire dignatur; unde Pſaltes Regius ait: *fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ*. Per nares notatur vis percipiendi per ſe ipſum, quod ſolent homines naribus percipere, & odorari; unde eſt, quod de eo dicatur Gen. c. 8. *odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis*; id eſt, percepit, & acceptavit DEUS holocauſtum Noe, tanquam rem ſibi gratam, & ſuavem, ut ait Cornelius a lapide in locum cit. Dum faciem DEI nominant ſacræ litteræ, per eam infinita invisibilis Divinitatis eſſentia intelligitur: hinc dum ipſe Dominus ad Moyſen DEI eſſentiam videre cupientem, per interpoſitum Angelum reſpondens ait: *poſteriora mea videbis*, *faciem autem meam videre non poteris* (Exod. 33. v. 23.) id ita intelligendum eſt, quaſi diceret: divinitatem meam videre non poteris, ſed incarnationem, ſeu humanitatem meam; quibus verbis juxta Tertullianum, Origenem, Nazianzenum, & Auguſtinum humanitas Chriſti videnda promittitur Moyſi, & re ipſa viſa eſt in monte Thabor, quando *transfiguratus eſt ante eos*. Per linguam DEI myſtice pariter intelligitur Spiritus Sanctus, per quem hominibus in terris loquitur DEUS, eiſque ſecreta ſua manifeſtat; unde Pſalmiſta ait: *lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*; id eſt Spiritus Sancti dirigentis linguam quaſi calamum ſuum. De brachio DEI ita loquitur Doctor Angelicus 1. q. 1. Art. 10. ad 3: *cum Scriptura nominat DEI brachium*, *non eſt ſenſus literalis*, *quod in Deo ſit membrum hujuſmodi corporale*; *ſed id*, *quod per hoc membrum ſignificatur*, *ſcilicet virtus operativa*. Per dexteram DEI intelligitur modo Unigenitus DEI Filius; ut cum Pſ. 117. dicitur: *dextera Domini*

mini fecit virtutem; interdum notatur gloria Patris, ſeu æterna beatitudo; ut cum Pſ. 109. dicitur: *ſede a dextris meis*, id eſt, impera proximus mihi in ſumma gloria, ut inquiunt Hieronymus, & Theodoretus. Manus Dei interdum filium divinum ſignificat, per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil; interdum Divinam poteſtatem notat; ut cum Jerem. c. 18. dicitur: *ſicut lutum in manu figuli*, *ſic vos in manu mea*, *domus Iſrael.* Interdum etiam flagellum Dei, punitionem, vel percuſſionem indicat, cum Job. c. 19. de ſe ipſo ait: *manus Domini tetigit me.* Per pedes Dei intelligitur ſtabilimentum virtutis ejus, qua ubique præſens eſt & univerſa illi ſubjecta ſunt, ipſo per Iſaiam dicente: *cælum ſedes mea*, *terra autem ſcabellum pedum meorum.* Unde D. Hieronymus ait: *DEUS totus pes eſt*, *quia ubique eſt.* Copioſiores ejus generis explicationes reperies apud interpretes Sacræ Scripturæ.

Quando vero affectiones humanas iræ, pœnitentiæ, triſtitiæ &c. Deo tribuunt Sacri Scriptores, ſumi non debent proprie, & ad literam, ſed metaphorice, & improprie; non quoad affectum, & interiorem animi motum, ſed quoad effectum. *Pœnitentia DEI*, inquit D. Auguſtinus l. 1. contra Adverſ. legis c. 20. *non eſt poſt errorem: ira DEI non habet perturbati animi ardorem: miſericordia DEI non habet compatientis miſerum cor, unde in latina lingua nomen accepit: zelus DEI non habet mentis livorem; ſed pœnitentia DEI dicitur rerum in ejus poteſtate conſtitutarum hominibus inopinata mutatio: ira DEI eſt vindicta peccati: miſericordia DEI eſt bonitas opitulantis: zelus DEI eſt Providentia, quæ non ſinit eos, quos ſubditos habet, impune amare, quod probibet.* *Iraſci* igitur dicitur Deus in ſcripturis, non inordinato animi motu, qui in Deo locum habere nequit; ſed impios juſta ultione feriendo, & ob demerita puniendo. *Pœnitere* dicitur, non quod more hominum pro transactis ſuis operibus pœnitentia commovea-

tur; qui enim novit omnia, eum operum ſuorum pænitere non poteſt: ſed DEUM pænitere idem eſſe ſcias, ac eum mutare ſententiam non quoad affectum, ſed quoad effectum, & terminum, non mutando intentionem a primo propoſito, ſed opus duntaxat a primo inſtituto. *Oblivisci* pariter dicitur aliquando, non ex aliquo memoriæ lapſu, ſed quia impiis quibusdam interdum non miſeretur, non quidem ex ullo crudelitatis affectu, ſed juſto, & occulto judicio. *Neſcire* dicitur non defectu cognitionis; quæ in DEO eſt infinita, ſed ita, ut in eo neſcire idem ſit, ac reprobare. *Jurare* vero DEI idem eſt, ac immobiliter promittere. Gemere, & poſtulare dicitur DEUS pro nobis juxta illud Rom. 8: *poſtulas pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, non quod re ipsa DEUS, ſeu Spiritus S. gemat, deſideret, aut poſtulet; ſed quia gemere, & poſtulare nos facit, dum gemendi atque poſtulandi *cordibus noſtris inſpirat affectum*, ut inquit S. Fulgentius. *Contriſtari* denique dicitur Spiritus Sanctus; non quod in illum triſtitia aliqua cadat; ſed quia homines peccatis ſuis dant cauſam, quæ ex ſe nata eſt contriſtare.

Inſtabis. Homo Geneſ. 1. factus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem DEI; atqui ſi DEUS eſſet corporis expers, homo non foret ad imaginem DEI; quæ enim convenientia corporis, & Spiritus? R. Homo creatus dicitur ad imaginem DEI non ratione corporis, ſed ſpectata anima intellectuali, quæ cum DEUM cognoſcere poſſit, illiusque poſſidendi ſit capax, imaginem Divinam aliquo modo exprimit. *Inviſibilis DEI imago*; inquit S. Ambroſius in Pſ. 118, *non in eo eſt, quod videtur, ſed in eo utique, quod non videtur.*

XXXIII. Opponitur II. pro hæreticis aliis. Videtur in DEO eſſe compoſitio aliqua ex ſubjecto, & accidente; cum multa ei de novo adveniant, quibus ante carebat. Ac inprimis

mis quidem Tertullianus contra Hermogenem diſputans c. 3. ita loquitur: *ex quo eſſe cœperunt, in quæ poteſtas Domini ageret, ex illo per acceſſionem poteſtatis & factus, & dictus eſt Dominus.* Item l. de Reſurrect. Carn. c. 14: *accipe igitur & cauſam, qui apud DEUM diſcis tam optimum, quam & juſtum: de ſuo optimum, de noſtro juſtum. Niſi enim homo deliquiſſet, optimum ſolummodo DEUM noſſet, ex naturæ proprietate: at nunc etiam juſtum eum patitur ex cauſæ neceſſitate.* Deinde S. Auguſt. *l.* 5. *de Trin. c.* 4. ait; non omnia, quæ de DEO affirmantur, ſecundum ſubſtantiam dici. Certe decreta Divina, utpote libera, naturæ Divinæ de novo accedunt, ſuntque effectus Divinæ voluntatis, adeoque per modum accidentis adveniunt.

R. Diſtinguendo propoſitionem: multa DEO de novo adveniunt extrinſece, & objective per ordinem ad creaturas C. ſubjective, & intrinſece per ordinem ad Divinam virtutem, & potentiam N. Nam allatæ denominationes Domini, Creatoris, Judicis &c. vel ſpectantur extrinſece, & cum reſpectu ad creaturas, quas connotant; & hoc ſenſu non ſunt DEO æternæ, ſed ipſi accidunt, cum nempe objectum creatum, ad quod referuntur, exiſtit: ita DEUS titulum, & appellationem Domini, ac judicis ab æterno non habuit, quia nulla fuit ab æterno creatura, in quam Domini, aut judicis jura, poteſtatemque exercuerit. Sin vero illæ appellationes ſpectentur intrinſece, ac ſubjective relate ad Divinam virtutem, quæ ſemper eadem eſt, ac immota, DEO non adveniunt, ſed ei ſunt eſſentiales. Neque ex extrinſecis his denominationibus ulla in DEO fit mutatio, ſed mera tantum ad res creatas mutatio: tota enim mutatio rebus creatis, qua ab uno ſtatu ad alium tranſeunt, accidit. Nec alius certe ſenſus fuit Tertulliani, qui rite diſtinguit inter denominationem Dei, & Domini, inter poteſtatem DEO internam, & appellationem ex uſu

illius poteſtatis derivatam. *DEI nomen dicimus* (ait c. 9. contra Hermog.) *ſemper fuiſſe apud ſemetipſum, & in ſemetipſo, Dominum vero non ſemper: diverſa enim utriuſque conditio. Deus, ſubſtantiæ ipſius nomen, id eſt Divinitatis: Dominus vero non ſubſtantiæ, ſed poteſtatis ſubſtantiam ſemper fuiſſe cum ſuo nomine, quod eſt Deus, poſtea Dominus, accedentis ſcilicet rei mentio.* S. vero Auguſtinus recte aſſerit, non omnia, quæ ſunt in Deo, dici ſecundum ſubſtantiam; dantur enim in ipſo relationes, quæ ſubſtantiæ nomine non appellantur: ſubſtantia quippe dicitur ad ſe, relationes vero, ſeu perſonalitates ad alium. Nomen igitur ſubſtantiæ loco citato non opponit S. Doctor accidenti, ſed relativo. Porro decreta Divina libera quidem ſunt objective, ac terminative ſumpta; ſed ſubjective, interne, ac ratione principii ſunt ipſa DEI voluntas, quæ cum ad creaturas refertur, libera dicitur; quia nulla eſt neceſſaria relatio DEUM inter, & creaturam, qua ille non indiget. Mutatio igitur in DEUM non cadit, ſed in creaturam, quæ novum incipit eſſe Divinæ connotationis objectum; ſed de hoc argumento, ſuo loco fuſius dicetur.

XXXIX. Opponitur III. In DEO Unitas eſt eſſentiæ, & Trinitas perſonarum; igitur compoſitio quædam ex eſſentia, ac perſona. Rurſus (ex dictis de eſſentia DEI) attributa eam conſtituentia DEUM componunt; imo in eo datur compoſitio ex genere, & differentia, ut fatentur Auguſtinus, & Damaſcenus, quorum hic 7. Inſtit. ita ait: *genere autem ſummo continetur hæc corporis expers eſſentia, ut DEUS, ut Angelus, ut animus, ut dæmon.* R. Ad veram compoſitionem neceſſariam eſſe diſtinctionem, & unionem; cum compoſitio ſit unio diſtinctorum. Porro Divinæ perſonæ, qua parte in natura, ſeu eſſentia uniuntur, non diſtinguuntur; & qua parte diſtinguuntur, non uniuntur, ſed relative ſibi mutuo opponuntur: quomodo igitur compoſitionem aliquam efficere poſſunt?

ſunt? Rurſus attributa Divinam eſſentiam conſtituentia non componunt DEUM re ipſa, ac phyſice, ſed quoad noſtrum duntaxat concipiendi modum: cum enim attributa Divina non cognoſcamus intuitive, & prout ſunt in ſe; ſed abſtractive, & prout ſunt in alio; fit, ut unum attributum Divinum ſeparetur ab alio, & ſine hoc cognoſcatur, & quidem cum fundamento in re, quatenus in DEO reperitur revera & hæc, & illa in creaturis diſtincta perfectio, quæ per imperfectum noſtrum intelligendi modum ſic ſeparantur. Cognoſcuntur non quidem ut pars, ſeu ita, ut judicentur eſſe pars Phyſica DEI, ſed tantum cognoſcuntur, ac ſi eſſent pars, atque adeo DEUS per noſtrum concipiendi modum non quidem cognoſcitur ut compoſitum, ſeu ita, ut exiſtimetur eſſe conſtitutum phyſicum, ſed tamen cognoſcitur, ac ſi eſſet compoſitum, ſeu per noſtram intelligentiam fit Compoſitum.

Quod ad compoſitionem ex genere, & differentia attinet (quam multi Theologi cum Clemente Alexandr. l. 5. Strom. Cyrillo Alexandr. Dialog. 2. de Trinit. & Petavio rejiciunt) ajo, eam in DEO non dari, ſi attributa DEI ſumantur ut Divina, ſeu ut conjuncta cum conceptu aliquo proprio DEI tranſcendente; nam ſi hoc modo ſumuntur, contracta intelliguntur per aſeitatem, ut aiunt, ſeu attributum ſoli DEO proprium, adeoque ut prædicata DEO propria. Sin vero attributa Divina præciſa ſpectes a Divinitate, componi intelligetur DEUS ex genere, ac differentia: facta enim hac mentali ſeparatione conceptus ſolius entis, ſeu ſubſtantiæ, aut conceptus relativi erunt tales conceptus, qui univoce, & ob eandem rationem DEO, & creaturæ convenient. Neque obeſt, quod genus perficiatur per differentiam; nihil autem perfectibile in DEO reperiatur: nam genus hoc perficitur logice duntaxat; prædicatum nempe in ſe perfectiſſimum, & per abſtractionem mentis noſtræ ſecundum unicam perfectionem conſi-

deratum conjungitur tantum per differentiam cum perfectione altera, non autem perficitur phyſice, qualis ſola perfectibilitas DEO repugnat.

§. III.

An, & quomodo Attributa Divina tum ab Eſſentia, tum a ſe invicem diſtinguantur?

XXXV. Myſterium Trinitatis ineffabile fundatur in identitate eſſentiali mixta diſtinctione perſonali, ſeu in eo, quod DEUS ſit unus in eſſentia, ſeu natura, & trinus in perſonis realiter inter ſe diſtinctis, quam identitatis, & diſtinctionis commixtionem ſuo loco aſſeremus contra varios hæreticos, adverſus quorum errores Catholicam hujus myſterii veritatem declaravit Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. Hoc loco controverſia duntaxat erit de ipſa attributorum Divinorum tum ad invicem, tum ad naturam Divinam comparatorum diſtinctione; circa quam (ut §. 1. expoſui) in utramque partem graviter eſt erratum; nam alii cum Gilberto Porretano inter Divinam eſſentiam, & proprietates diſtinxerunt; alii cum Aetio, & Eunomio nullam, ne quidem rationis, diſtinctionem in DEO agnoverunt.

Catholicis certum eſt, attributa Divina realiter, ac proprie nec inter ſe diſtingui, nec ab eſſentia, neque hanc, neque illa proprie ab ipſis perſonalitatibus; tametſi perſonalitates diſtinguantur inter ſe diſtinctione propria, ac reali. Certum rurſus eſt, diſtinctionem rationis tum inter naturam Divinam & perſonalitates, tum inter illam, & attributa, tum inter hæc ad ſeſe invicem comparata intercedere, ut ſequentes aſſertiones docebunt.

Hoc

Hoc tamen in argumento variæ ſunt ſcholæ opiniones, in quas abierunt ſcholaſtici, ut myſterium hoc ſupra humanam quidem rationem poſitum, cum ipſo tamen naturali lumine non pugnare Trinitatis hoſtibus oſtendant. Qui Scoti doctrinam profitentur, invexerunt in Trinitatem diſtinctionem ut aiunt, formalem ex natura rei, qua eſſentia a perſonis, & attributa ab eſſentia, tum a ſeſe mutuo etiam, non ut res a re, ſed ut formalitates a formalitatibus diſtinguantur. Qui Angelici Doctoris mentem ſeſe aſſequi autumant, eſſentiam a perſonis virtuali intrinſeca diſtinctione ſecernunt, uti & attributa ab eſſentia, & inter ſe; quam diſtinctionem dicunt eſſe capacitatem, qua realiter identificata in ordine ad ſuſtinenda prædicata contradictoria æquivalent realiter diſtinctis, ſicque virtute ſunt diſtincta; quamquam plures Scholæ Thomiſticæ Sectatores ſuam virtualem ita exponant, ut non re ipſa, ſed nomine a ſola rationis ratiocinatæ diſtinctione differat. Alii alias diſtinctiones ingenii potius oſtentandi, quam myſterii explicandi cauſa excogitarunt. Durandus *(in* 1. *Diſt.* 33. *q.* 1.*)* diſtinctionem inter eſſentiam, & relationes docet eſſe realem modalem; qualis ſcilicet intercedit inter rem, & modum rei; alii admittunt, intercedere diſtinctionem mediatam, ſeu in tertio, ita ut natura Divina diſtinguatur a Paternitate non ratione ſui, ſed mediante Filiatione ſecum realiter identificata, & a Paternitate realiter diſtincta. Quæ mens fuerit D. Thomæ in hoc argumento, facile colligi poteſt ex *P.* 1. *q.* 39. *a.* 1. ⊙, ubi ſic loquitur: *Ex quo ſequitur, quod in DEO non ſit aliud eſſentia, quam perſona ſecundum rem, & tamen, quod perſonæ realiter ab invicem diſtinguantur. Perſona enim ſignificat relationem, prout eſt ſubſiſtens in natura Divina; relatio autem ad eſſentiam comparata non differt re, ſed ratione tantum.* Eandem ſententiam amplexus eſt doctiſſimus noſter Suarius *l.* 3. *de Trinit. c.* 4. Ut igitur & contra Hæreticos, & contra quosdam ſcholaſticos ſimplicitas Divina magis aſſeratur; ſit

AS-

ASSERTIO I.

Inter Attributa Divina tum abſoluta, tum relativa ad Eſſentiam comparata, & abſoluta invicem nulla eſt omnino diſtinctio realis.

XXXVI. Probatur 1. auctoritate Script. & Conc. Eſſentia Divina, & Attributa de ſe invicem in abſtracto prædicantur. Sic *Joan.* 14. Chriſtus de ſe ipſo ait: *Ego ſum via & veritas, & vita.* Proverb. 8: *Ego ſapientia habito in Conſilio* 1. ad Corinth. 1. Prædicamus Chriſtum DEI *virtutem, & DEI Sapientiam.* Atqui inter illa nulla omnino eſt diſtinctio realis, quæ de ſe invicem in abſtracto prædicantur. In Conc. Remenſi A. 1147, præſide Summo Pontifice Eugenio III, contra Gilbertum Porretanum ita eſt definitum: *credimus, & confitemur ſimplicem naturam divinitatis eſſe DEUM;* cum vero Gilbertus, teſte Petavio, nomine DEI non naturam ipſam, ſed perſonam Divinam intelligeret; haud dubie Concilium hoc eodem ſenſu appoſite ad errorem Gilberti, DEI nomen pro perſona uſurpavit; atque ſenſu errori Gilberti prorſus oppoſito, definivit, naturam divinitatis eſſe DEUM, hoc eſt, perſonam Divinam. In Conc. Lateran. IV. ſub Innocent. III. A. 1215. contra errorem Joachimi Abbatis celebrato dicunt Patres; *in DEO eſſe tres quidem perſonas, ſed unam eſſentiam, ſubſtantiam, ſeu naturam ſimplicem omnino.* Item *licet alius ſit Pater*, aiunt, *alius Filius, alius Spiritus S. non tamen aliud; ſed id, quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus S. idem omnino.* Igitur ex mente Concilii præciſa diſtinctione perſonali Natura & Pater, Natura & Filius, natura & Spiritus S. eſt *idem omnino*, hoc eſt, excludens omnem aliam diſtinctionem realem. Denique in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. A. 1439. celebrato, Joannes Theologus latinorum partes agens Seſſ. 18. ſic græcos alloquitur: *vos quæritis, an idem ſit in Divinis perſo-*

ſonis ſubſtantia, & perſona, ſeu hypoſtaſis. Nos vero dicimus, ſubſtantiam, & perſonam, ſive hypoſtaſin eſſe idem re, differre autem noſtro modo intelligendi; ita ut perſona conſtet ex ſubſtantia, & proprietatibus. Nunc igitur quoniam ratione diſtinguuntur, ſubſtantia quidem communicatur perſonis, proprietates vero nullo modo communicantur: idque provenit ex vi relationis. In eodem etiam Concilio uſurpatum eſt a Theologis ſequens effatum: *in Divinis omnia ſunt unum, ubi non obſtat oppoſitio relativa.* Atqui attributa Divina nec inter ſe, nec cum eſſentia Dei habent oppoſitionem relativam.

Probatur II. Conſenſu P. P. ac ratione. S. Auguſtinus (l. 7. de Trin. c. 3.) ait: *ſecundum quod Sapientia eſt, & eſſentia.* Et c. 6. *Non aliud eſt DEO eſſe, aliud perſonam eſſe, ſed omnino idem.* Et paulo infra: *quemadmodum illi hoc eſt eſſe, quod DEUM eſſe, quod bonum, quod magnum eſſe; ita hoc illi eſt eſſe, quod perſonam eſſe.* Idem D. Doctor libro 15. ait: *Una ergo, eademque res dicitur, ſive dicatur æternus DEUS, ſive immortalis, ſive incorruptibilis, ſive immutabilis: itemque cum dicitur vivens, & intelligens, quod eſt utique ſapiens, hoc idem dicitur. Non enim percepit Sapientiam, qua eſſet Sapiens, ſed ipſe Sapientia eſt.* S. Anſelmus Monologii c. 17. *cum igitur,* inquit, *illa natura nullo modo compoſita ſit, & tamen omni modo illa bona ſit; neceſſe eſt, ut illa omnia non plura, ſed unum ſint.* S. Bernardus l. 5. de conſiderat. c. 7. contra Gilbertum Porretanum ita arguit: *quid eſt DEUS? quo nihil melius cogitari poteſt. Si approbas, non oportet aſſentiaris eſſe aliquid, quo DEUS ſit, & quod DEUS non ſit. Hoc enim ſine dubio melius. Quomodo non melius DEO, ſi DEUS non eſt, quod dat DEO, ut ſit? at melius illam divinitatem, qua dicunt DEUM eſſe, non aliud, quam DEUM eſſe fatemur. Non eſt ergo in DEO, niſi DEUS. Quid, inquiunt, negas DEUM habere Divinitatem? Non, ſed quod habet hoc eſt. Negas Divinitate*

DEUM eſſe? Non, ſed non alia, quam quæ ipſe eſt. Aut ſi tu aliam inveniſti, adjuvet me Trinitas DEUS, adverſus illam tota me contumacia erigo. Quaternitas orbem diſterminat, non ſignat Deitatem. DEUS Trinitas eſt, DEUS trium ſingula perſonarum . . . multa dicuntur eſſe in DEO, & quidem ſane, Catholiceque, ſed multa unum. Alioquin ſi diverſa putemus, non quaternitatem habemus, ſed centenitatem, verbi cauſa, dicimus magnum, bonum, juſtum, & innumera talia; ſed niſi omnia unum in DEO, & cum DEO conſideres; habebis multiplicem DEUM. Hactenus Bernardus. Omitto Patres alios, qui non modo auctoritate ſua, quæ graviſſima eſt, ſed rationum momentis aſſertionem noſtram ſtabiliunt. An non DEUM confitemur ens optimum, ens perfectiſſimum? Ita ſane: Atqui ens perfectiſſimum non foret, ſi maxima, quæ excogitari poteſt, identitate ſibi perfectiones omnes non identificaret: nam ens quod per ſuam eſſentiam entis plenitudinem continet, ita ut non niſi per conceptum ejus perfectiones diſtinguantur, perfectius videtur eo, in cujus eſſentiali conceptu omnes perfectiones non includuntur. Certe ens ſimpliciſſimum, ut ſupra citatus Bernardus arguit, omnem prorſus realem diſtinctionem excludit. Atque hæ omnes auctoritates & rationes non minus realem formalem, aut virtualem, aut mediatam, quam realem entitativam diſtinctionem impugnant; quod quidem non eo Conſilio dictum volumus; ut expreſſe damnatam fuiſſe Scotiſticæ, aut Thomiſticæ Scholæ opinionem aſſeramus, abſit. Arguendo duntaxat, non affirmando, illam ex mente Conciliorum, & P.P. rejectam fuiſſe arbitramur.

AS-

ASSERTIO II.

Inter Attributa Divina tum abſoluta, tum relativa comparata ad eſſentiam, & abſoluta ad invicem datur diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſeu cum fundamento ex parte DEI.

XXXVII. Probatur I. Omnibus iis ſcripturæ locis, quibus de Deo plura prædicantur, bonitas, juſtitia, ſapientia, immortalitas &c. Unde Chriſtus Joan. 16. ait: *omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt.* II. Ex Concilio Florentino paulo ante citato. III. Ex S. S. Baſilio, & Gregorio Nyſſeno, qui contra Aetium, & Eunomium ex profeſſo diſputarunt. Unicum Baſilium audiamus: *Qui enim*, inquit l. 1. contra Eunom. *ridiculum non eſt, ſi quis procreandi vim ipſam eſſe dicat eſſentiam? aut providentiam rurſus eſſentiam? itidemque præſcientiam; ac denique efficientiam omnem eſſentiam eſſe ſtatuat? quod ſi omnia iſta ad unum ſignificatum pertineant, neceſſe eſt, ut idem inter ſe valeant nomina, ut in polyonymis evenit; cum & Simonem, & Petrum, & Cepham eundem hominem dicimus . . Quinam ergo manifeſtæ inſaniæ non ſit, proprium unicuique nomini ſignificatum negare ſubjici?* Deinde *nullum eſſe nomen*, ait, *quod totam DEI naturam comprehendat, & quantum ſatis eſt, explicet: Quare multa eſſe, ac diverſa, quæ ſingula propriam habent ſignificationem.* Et in l. de recta fide contendit eum, qui dicit Deum, non exprimere *hoc ipſum, quod eſt Pater, ei porro, quod eſt Pater, deeſt hoc, quod eſt creator: tum iſtis deeſſe, addique oportere bonitatem, ſapientiam, virtutem, ac cetera, quæ in Sacra Scriptura nominantur.* IV. Manifeſta in his auctoritatibus ratio ineſt; ea enim æquivalenter diſtingui dicuntur, quæ, etſi unicam, ac ſimpliciſſimam habeant entitatem, multis tamen diſtinctis ob naturæ ſuæ præſtantiam, ac excellentiam æquivalent; ita ut cum fundamento diverſis conceptibus exprimi poſſint: jam vero quis neget ſic ſe habere

naturam Divinam? ex eo enim, quod DEUS per identitatem contineat omnem perfectionem, aſeitatem, juſtitiam, ſapientiam, immenſitatem &c. Adeoque diverſiſſima connotata reſpiciat; quorum alia manifeſtant ſolam aſeitatem, alia ſolam juſtitiam, alia ſapientiam; fundamentum profecto habetur, ut nunc cognoſcatur ſola juſtitia non cognita ſapientia, nunc ſola aſeitas non cognitis attributis reliquis &c. Adeoque ut formentur divinorum attributorum conceptus non ſynonymi, ſed revera intentionaliter ſeparantes unum attributum ab altero: cujus ſeparationis fundamentum duplex eſſe, quisque facile intelliget; unum ex parte DEI; ſeu ſummam, ac infinitam ejus perfectionem, qua æquivalet innumeris entibus realiter diſtinctis; alterum ex parte noſtra, tenuem nempe, ac finitam mentis noſtræ capacitatem, qua fit, ut uno, & ſimplici conceptu omnes DEI perfectiones concipere non valeamus.

Reſpondetur Objectis.

XXXVIII. Oppon. I. pro Gilberto. Illa inter ſe diſtinguuntur realiter, de quibus enunciantur prædicata contradictoria; atqui ejusmodi prædicata enunciantur de attributis Divinis; nam ut ex laudatis alias P.P. conſtat, Aſeitas radix eſt ſapientiæ; hæc autem non eſt radix ſui ipſius. Juſtitia Divina punit impios; miſericordia non punit, ſed parcit &c. R. Has propoſitiones vel non eſſe contradictorias, ſi nempe varietur ſuppoſitio; vel vero de attributis Divinis, prout ſunt in ſe, affirmari non poſſe. Nam ſi in hac propoſitione: *Aſeitas eſt radix Sapientiæ*, prædicatum affirmatur de ſubjecto prout eſt in ſe, & realiter, falſa eſt propoſitio: non enim Aſeitas prout eſt in ſe, & in ſenſu reali eſt radix Sapientiæ; ſed tantum aliter, ac eſt in ſe, & per mentem abſtracta, ſeu ut aiunt in ſenſu intentionali; quia nempe ex hoc prædicato velut a priori ordinata cogitatione reliquæ omnes

per-

perfectiones deducuntur. Alterius generis propoſitiones, ſi non ſervetur eadem ſuppoſitio, veræ quidem ſunt, ſed non contradictoriæ: nam verum eſt, Juſtitiam verſando circa objecta juſtitiæ punire, & miſericordiam verſando circa objecta miſericordiæ non punire. Sin vero ſervetur eadem ſuppoſitio, erunt quidem contradictoriæ, ſed ſimul cum veritate affirmari non poterunt; cum miſericordia æque, ac ipſa juſtitia, verſando circa objecta juſtitiæ, puniat.

Inſtabis. Intellectio DEI eſt prior volitione Divina; ideo enim DEUS ſemetipſum amat, quia ſe perfecte cognoſcit, non viciſſim; inter cognitionem igitur, & volitionem Divinam datur aliqua diſtinctio realis. R. Cum diſtinctione, intellectio DEI eſt prior volitione natura, & realiter N. in ſubſiſtendi conſequentia, & quoad noſtrum concipiendi modum C. Independenter a noſtra intelligentia intellectio, & volitio idem eſt ſimpliciſſimus actus; qui tamen prout ab intellectu noſtro concipitur ſub ratione veri, intellectio, & prout concipitur ſub ratione boni, volitio dicitur. Quod ſi dicas, cognitionem dirigere ad amorem, & volitionem; id autem quod dirigit, eſſe natura prius eo, ad quod dirigit. R. In Divinis cognitionem non dirigere ad ipſam volitionem (quæ cum neceſſaria ſit in DEO, eique realiter identificata, directione nulla eget) ſed ad liberam duntaxat volitionis ad objecta contingentia applicationem, quæ quidem poſterior eſt Divina cognitione; ſed non eſt aliquid DEO identificatum; nam ex dicendis eſt habitudo ex Divina volitione, & objecto volito reſultans.

XXXIX. Oppon. II. Cum Eunomio apud Nyſſænum p. 408. Si hic conceptus ἄναρχος *principii expers* non ſignificat idem, quod hic conceptus ἄφθαρτος *incorruptibilis*; per primum conceptum non proponitur DEUS ut incorruptibilis, & per alterum non proponitur ut principii expers. Jam

vero cum illud, quod non eſt incorruptibile, ſit corruptibile, & illud, quod non eſt principii expers, ſit factum, aut genitum; hic conceptus ἄναρχος ſignificabit quidem DEUM principii expertem, & ingenitum, ſed ſimul eum notabit corruptioni obnoxium, adeoque erroneus erit: Alter conceptus ἄφθαρτος ſignificabit DEUM incorruptibilem, ſimul tamen genitum, aut factum; id quod rurſum eſt erroneum. Ex quo ſequitur, quemvis conceptum verum alicujus attributi Divini, debere repræſentare omnia reliqua attributa, & eſſe cum illis ſynonimum: igitur nulla erit inter Divina attributa diſtinctio rationis, ſed nominum duntaxat diſcrimen. Certe Divina attributa cum ſint a ſe, nec ab eſſentia, nec a ſe invicem ita ſeparari poſſunt, quin ſeſe mutuo implicite ſaltem includere intelligantur; atque adeo conceptus attributorum Divinorum erunt ſynonimi, neque per diſtinctionem ratiocinatam diſtincti.

Ut hanc Eunomianorum objectionem diſſolvas, ſcias velim, omne quidem, quod in ſe non eſt incorruptibile, eſſe corruptibile, & omne, quod in ſe non eſt principii expers, eſſe factum, aut genitum; non tamen omne id, quod non eſt per noſtrum conceptum incorruptibile, eſſe corruptibile, aut quod non eſt per noſtrum concipiendi modum principii expers, eſſe idcirco aut genitum, aut factum. Nam ex eo, quod mens noſtra repræſentet aliquid ut principii expers, non negat illud eſſe incorruptibile, etſi id tale eſſe non affirmet; & ex eo, quod aliquid repræſentet ut incorruptibile, non negat, id eſſe principii expers, etſi rurſus non affirmet. Ceterum attributa Divina ſumi poſſunt vel ut talia, & ſic includunt implicite reliquas perfectiones; vel ſumi poſſunt pro conceptu ſuo proprio, ſicque ab aliis præciſa, & abſtracta alias perfectiones non includunt. Difficultas major eſt, an attributa relativa inter, & naturamDivinam non detur diſtinctio aliqua, unde ſit AS-

ASSERTIO III.

Ad explicandas prædicationes, ex fidei regulis, & mente P. P. de Natura Divina, & Perſonalitatibus factas, ſufficit ſola diſtinctio Perſonalis mixta identitate eſſentiali.

XL. Probatur I. Auctoritate Concilii Lateranenſs ſupra citati, & Florentini, cujus verba itidem ſupra ſunt recitata. In Remenſi Concilio Eugenius III. relationes, & eſſentiam ait *non dividi, niſi mathematica abſtractione.* II. Oſtenditur ratione. Prædicationes contradictoriæ, quæ de Natura, & Perſonalitatibus vere affirmari dicuntur, ſunt ſequentes: *Pater generat, Natura non generat; Filius gignitur, Natura non gignitur; Spiritus S. Spiratur, Natura non Spiratur; Natura eſt communicabilis, Pater non eſt communicabilis; Natura non eſt multiplex, Perſona eſt multiplex; Pater diſtinguitur a Filio, Natura non diſtinguitur a Filio.* Atqui per ſolam diſtinctionem perſonalem mixtam identitate eſſentiali (quam fides docet) prædicationes illæ contradictionem non important; illa enim diſtinctione intellecta, propoſitiones in eo ſenſu, in quo ex regulis fidei, & mente P.P. cum veritate de natura Divina, & Perſonis prædicari poſſunt, variant ſuppoſitionem, ita ut ſenſus ſit: *Pater generat generatione perſonali, ſeu multiplicante Perſonas, ſeu opponente Perſonam Perſonæ; Natura non generat generatione naturali, generatione multiplicante naturas, aut opponente naturam naturæ.* Hoc enim ipſo, quod natura identitate eſſentiali ſit Pater, qui generat generatione perſonali, de natura itidem ex mente P. P. negari non poteſt, quod generet generatione perſonali multiplicante tantum perſonas, & opponente perſonam perſonæ. Ob eandem rationem reliquæ propoſitiones ſimilem ſenſum habent e. g. Natura eſt communicabilis communicatione naturali, ſeu eſſentiali, excludente

mul-

multiplicitatem naturæ; & Pater non eſt communicabilis communicatione perſonali, ſeu excludente multiplicitatem perſonarum. Item perſona eſt multiplex perſona; natura non eſt multiplex natura. Pater diſtinguitur a filio diſtinctione opponente perſonam perſonæ, ſeu multiplicante perſonas; quæ tamen non opponit naturam perſonæ, nec multiplicat naturas; & natura non diſtinguitur a filio diſtinctione multiplicante naturas, & opponente perſonæ naturam. Ex quo apparet, nominatas propoſitiones ex mente P. P. fideique regulis contradictorias non eſſe. Neque inde ſequitur id, ob quod hæc doctrina multis ſuſpecta fuit, nempe hac ratione Myſterium Trinitatis ſingularem nullam difficultatem continere; neque minus ſic naturam differre ab abſolutis attributis, quam a perſonis. Nam illud Myſterium inde retinet difficultatem ineffabilem homini viatori, quod ipſa rationis diſtinctio naturam inter, & perſonas fieri non poſſet, niſi fides doceret, abſolutam hanc unicam numero ſimpliciſſimam ac æternam ſubſtantiam, ſeu naturam ſimul in perſonis realiter diſtinctis eſſe. A perſonis natura quidem differt ſola rationis diſtinctione, ſicut unum attributum ab altero; ſed tamen fundamenta utrinque ſunt diverſa; cum ſola diverſa, quæ reſpiciuntur, connotata ſufficiant attributis per mentem ſeparandis; ut autem Natura a Perſonis ſecernatur, fundamentum ſuppeditare debeat ipſa perſonalis cum identitate eſſentiali mixta diſtinctio.

XLI. Opponitur I. Eſſentia, ſeu natura Divina vere, & realiter dicitur Filius, & Paternitas vere, ac proprie non poteſt dici Filius; atqui ſi nulla daretur, præter diſtinctionem rationis, realis aliqua diſtinctio inter naturam Divinam, & relationes, iſta vere ſimul affirmari non poſſent; nam licet diſtinctio rationis ob vim præciſionis efficere poſſet, ut non omnis conceptus affirmatus de Paternitate affirmetur de natura, ac viciſſim; non tamen facere poſſet, ut quod affirmatur

de

de Paternitate, negetur de natura, ac viciſſim; ſicut etſi diſtinctio rationis inter naturam, & omnipotentiam efficere quidem poſſit, ut conceptus de omnipotentia affirmatus, non affirmetur de natura; non tamen inde fieri poteſt, ut conceptus affirmatus de omnipotentia negetur de natura. Certe ſuppoſita etiam perſonali diſtinctione veræ ſunt hæ propoſitiones contradictoriæ: *Natura eſt Filiatio*, *Paternitas non eſt Filiatio*; ergo præter diſtinctionem perſonalem neceſſario admittenda eſt alia. Ita quidem ratiocinantur Scholaſtici aliqui nimium ingenioſi, quorum mentem ſupra expoſuimus; At enim nullam requiri diſtinctionem aliam præter perſonalem, mixtam identitate eſſentiali, quisque facile intelliget, ſi rite propoſitiones allatas diſtinxerit. Natura omnino eſt Filiatio per identitatem eſſentialem, non multiplicantem naturas; & Paternitas etiam eſt Filiatio per eandem identitatem; non autem Filiatio per identitatem perſonalem, excludentem multiplicitatem perſonalem; ut ſupra eſt dictum. Nam quidquid affirmatur de natura, affirmari quoque de perſonis poteſt; ſicut igitur natura eſt Paternitas identitate tantum impediente multiplicitatem naturæ, identificata tamen diſtinctioni, quæ multiplicat perſonas, atque perſonam perſonæ opponit; ita Paternitas non eſt Filiatio diſtinctione tantum multiplicante perſonas, identificata identitati eſſentiali, quæ omnem multiplicationem naturæ excludit. Porro ulterior ratio, cur id, quod affirmatur de natura, ſimpliciter, & ſine addito non poſſit affirmari de Paternitate, ratio, inquam, eſt ipſa diſtinctio perſonalis mixta identitate eſſentiali, qua fit, ut ſine addito non poſſit affirmari: *Pater eſt Filius*, etſi dici poſſit, *natura eſt Filius*; prima ſiquidem propoſitio in ſenſu a P. P. & fidei regulis proſcripto hunc habet ſenſum: *Pater eſt Filius identitate perſonali*, id quod certe per diſtinctionem perſonalem enunciari non poteſt. Aliud eſt de natura Divina comparata cum attributis abſolutis e. g. omnipotentia; cum enim in Divinis nulla detur diſtinctio mul-

multiplicans naturam, aut attributa eſſentialia, ſeu opponens ea naturæ, totum fundamentum concipiendi conceptu diſtincto naturam, & diſtincto omnipotentiam, ſunt connotata extrinſeca, quæ quidem ſufficiunt, ut natura concipiatur, ſine omnipotentia, ſine iis, quæ de illa affirmantur; non item ſufficiunt ad hoc, ut negetur de natura omnipotentia, aut ea, quæ de hac affirmantur, de illa negentur.

XLII. Opponuntur ſecundo variæ contradictiones, & conſectaria erronea, quæ ex hac noſtra ſententia deduci videntur. I. Divinitas, ajunt, eſt quid eſſentiale, & non eſt quid perſonale: at perſonalitas eſt quid perſonale, & non aliquid eſſentiale; atqui eſſentiale, & perſonale inter ſe realiter diſtinguuntur. II. Natura, quæ realiter eſt Filiatio, & Spiratio, refertur in ſenſu aliquo reali ad Patrem, in aliquo eſt genita, eſt Spirata: at vero Paternitas naturæ identificata nulla ratione refertur ad Patrem, nullo modo dici poteſt genita, aut Spirata. III. Si omnia, quæ affirmantur de eſſentia DEI, ſervata eadem ſuppoſitione itidem poſſent affirmari de perſonis, & viciſſim; tunc ſicut vere affirmari poteſt: Pater perſonaliter, ſeu per paternitatem, & generationem activam diſtinguitur a Filio, eſt generans, ſeu Pater; ita vere dici poſſet, Patrem eſſentialiter, ſeu per naturam diſtingui a Filio, eſſe generantem, eſſe Patrem. IV. Sequitur veram eſſe hanc propoſitionem: *Eſſentia diſtinguitur a Filio, eſt generans*, ſicut verum eſt dicere: *eſſentia perſonaliter diſtinguitur a Filio, aut eſſentia eſt Pater generans;* nam a ſenſu reſtricto ad non reſtrictum legitima eſt illatio. V. Denique ſequeretur, ſimpliciter, & ſine addito dici poſſe, Patrem in Divinis eſſe crucifixum, ſicut ſine addito, & catholice dicitur, *DEUM eſſe Crucifixum:* item dici poſſe, beatam virginem eſſe Matrem Patris, aut Spiritus S. ſicut catholice ſine ullo addito dicitur *Mater DEI*: at hoc alterum dici non poteſt, & primum olet Sabellium, & putidum gregem patripaſſianorum.

rum. His igitur ſingulis reſpondendum eſt, oſtendendumque, non aliam deſiderari, præter perſonalem, diſtinctionem.

I. Divinitas eſt quid eſſentiale hoc ſenſu, ut excludat multiplicationem eſſentiæ, non tamen ut excludat multiplicationem perſonarum; & eodem modo perſonalitates ſunt quid perſonale multiplicans tantum perſonas, non tamen excludens unitatem eſſentiæ; ut adeo quomodo inde præter perſonalem alia diſtinctio inferri poſſit, minime appareat. Eadem ſiquidem indiviſibilis, & ſumme identica res, ut fide docemur, & excludit multiplicitatem eſſentiæ, & multiplicat perſonas per diſtinctionem perſonalem mixtam identitate eſſentiali; ita ut eadem omnino in ſe una ſub alio duntaxat conceptu Natura, Eſſentia, identitas eſſentialis, perfectio excludens multiplicitatem naturæ; & ſub alio perſona, multiplicans perſonalitates, Paternitas, Filiatio, & Spiratio dicatur. II. Paternitas ſervata eadem ſuppoſitione, & in eodem ſenſu refertur ad Patrem, quo ipſa natura: hæc quippe non refertur ad Patrem, niſi prout ſibi non tantum identificat identitatem eſſentialem, ſed & diſtinctionem perſonalem; cum igitur & Paternitas eandem identitatem, ac diſtinctionem eſſentialiter, ac in ſe habeat, eandem quoque relationem, ac reſpectum habebit. III. Cur affirmari poſſit, Patrem perſonaliter, non autem eſſentialiter differre a Filio; ratio eſt, quia prior loquendi modus ſignificat, Patrem diſtingui a Filio diſtinctione multiplicante perſonas; alter ſignificaret, Patrem diſtingui diſtinctione multiplicante naturas. Ex quo minime ſequitur, Paternitati in ſenſu reali, ſervata eadem ſuppoſitione, convenire aliquid, quod non itidem conveniat eſſentiæ: nam ſicut Paternitas per perſonalitatem perſonaliter ſumptam generat, Pater eſt, a Filio diſtinguitur, ſeu quod idem eſt, ſicut ſibi identificat generationem multiplicantem perſonas, & diſtinctionem opponentem perſonam perſonæ; ita & per naturam perſonaliter ſumptam generat, Pater eſt, a

Quæres, utrum inter Naturam, & Perſonas intercedat diſtinctio perſonalis, qualis inter Patrem eſt, ac Filium? R. Ita omnino eſſe; cum æque natura ſibi identificet diſtinctionem multiplicantem perſonas, atque hæ eſſentiam identificant. Sicut tamen ex dictis ſimpliciter dici non poteſt: *Natura generat*, quia ſic notaretur multiplicatio naturæ; ita dici non poterit ſimpliciter: *Natura diſtinguitur a Filio*, quia ſic ſignificaretur diſtinctio eſſentialis. Neque ex hac perſonali inter naturam, & perſonas diſtinctione quid inconveniens inferri poteſt: ſicut enim illa admiſſa vere affirmari poteſt, naturam perſonaliter diſtingui a Filio, ita ſervata eadem ſuppoſitione vere enuntiari poterit, naturam perſonaliter diſtingui a ſe ipſa, ſicut nempe natura eatenus diſtinguitur a Filio, quatenus identificatur Patri identitate eſſentiali, mixta tamen diſtinctione multiplicante perſonas; ita naturam perſonaliter diſtingui a ſe ipſa verum erit, quatenus ſecum ipſa identificatur identitate eſſentiali, quæ tamen mixta eſt diſtinctione multiplicante perſonas, alteramque alteri opponente. Nec inde timeri poteſt quaternitas perſonarum, quæ ſequeretur duntaxat, ſi natura diſtingueretur a perſonis diſtinctione naturæ opponente naturam perſonis. Verum hæc ſufficiant relate ad hoc argumentum explicaſſe de Myſterio individuæ Trinitatis: de quo ſuo loco uberius tractabitur.

CAPUT IV.

DE INFINITATE DEI.

XLIII. Infinitas (quæ ex vi nominis carentia eſt termini, & finis) attributum quidem dicitur negativum quoad modum ſignificandi, non item quoad rem ſignificatam; cum ſummam, eamque poſitivam in DEO perfectionem arguat. Non hic agitur de infinitate ſecundum molem, aut quantitatem,

aut multitudinem, cujusmodi infinitas cum ſumma Dei ſimplicitate, & perfectione ſtare non poteſt, cum includat partium diſtinctionem, compoſitionem, & imperfectionem, neque agitur hoc loco de infinitate durationis, quæ eſt æternitas, aut extenſionis, quæ eſt immenſitas Divina, de quibus poſtea. Quæſtio igitur eſt de infinitate naturæ Divinæ, ac Divinarum ejus perfectionum, an ſcilicet Deus ſit infinite perfectus in omni genere perfectionis, ita ut quodvis attributum Divinum ſeu abſolutum, ſeu relativum ſit perfectio ſimpliciter infinita? Inficiantur hoc Sociniani, quibus conſtitutum eſt omnia religionis Chriſtianæ capita convellere; contra quos ſit

ASSERTIO UNICA.

DEUS eſt in omni genere infinite perfectus, ita ut quodvis Attributum Divinum ſeu abſolutum, ſeu relativum ſit perfectio ſimpliciter infinita.

XLIV. Probatur I. Ex Scriptur. & S. S. P. P. Pſal. 144. dicitur *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis.* In quæ verba ita loquitur D. Auguſtinus: *ideo dixit: quia magnitudinis ejus non eſt finis: ne forte incipias velle laudare, & putes laudando te velle finire, cujus magnitudo finem habere non poteſt.* Greg. Nyſſ. Orat. 12. contra Eunom. de Deo differens; *ipſum, quod eſt*, ait, *vita eſt in ipſo operans, quæ neque major, neque minor ex acceſſione, vel ſubtractione fit: nam quod in majus fit incrementum, in infinito locum non habet.* Et S. Damaſcenus l. 1. de fide Orthod. c. 9. *ex omnibus porro nominibus*, inquit, quæ Deo tribuuntur, nullum æque proprium videtur, atque ὁ ὢν, id eſt, *qui eſt.* . . *Nam totum eſſe velut immenſum quoddam, ac nullis terminis definitum eſſentiæ pelagus complexu ſuo ipſe continet.* Unde probatur II. Aſſertio ratione a laudato modo Damaſceno indicata. Deus eſt ens a ſe: ergo illimitatus, & infinitus: quod enim ha-

habet eſſe a ſe, atque adeo ſibi neceſſario dat, quidquid poteſt dare (poteſt autem dare, quidquid melius eſt, quam prædicatum ipſi oppoſitum; nam ſi non poſſit dare aliquid, illud ipſi non erit melius, quam prædicatum oppoſitum) neceſſario ſibi dat omnem perfectionem. Adde, DEUM utpote ens a ſe, eſſe ſibi, & omnibus aliis ſumme ſufficientem ad exiſtendum, ut adeo omnium rerum perfectiones, ſaltem eminenter, debeat continere.

Neque opponi poteſt cum Socinianis, hæc de DEO dicta eſſe per exaggerationem, aut metaphoram; vel deſignare duntaxat virtutis operativæ in DEO præſtantiam, non autem naturæ infinitatem; vel ea infinita dici reſpectu noſtri, quibus infinita videntur, etſi infinita in ſe non ſint: quo ſenſu ſæpe ea infinita in ſcripturis dicuntur, quæ ſunt ingenti numero. Hæc inquam triplex Socinianorum reſponſio impia, & inſulſa opponi non poteſt: nam inprimis gratis, & ſine fundamento dicitur, hæc per metaphoram eſſe dicta; ſunt quidem ſæpius in ſcripturis ejusmodi loquendi rationes, quæ ex rebus creatis depromptæ ad DEUM transferuntur, ut ſupra fuſius oſtendimus; verum ſi ad libitum quæ de DEO in ſcripturis affirmantur, ad ſenſum metaphoricum detorquere liceat, nihil erit tam clarum, tamque certum, quod perditus aliquis ad figuratum ſenſum non adducat; poterit hac impia methodo vera DEI æternitas negari, quia interdum ſenſu metaphorico, quod antiquum eſt, æternum dicitur. Deinde ſi in DEO eſt virtus operativa infinita, neceſſe eſt & infinitam cognoſcere ejus naturam; proprietas enim eſſentiæ modum, ac rationem ſequitur. Denique ex ſubjecta materia, ex antecedentibus, & conſequentibus, ex uſu communi, ac recepto ea numero infinita dicuntur, quæ ſunt numero inſigni; verum ubi ſermo eſt de infinitate DEI, abſit, ut ſenſum hunc popularem approbemus, & ſequamur.

XLV.

XLV. Quodlibet attributum divinum, etiam relativum, infinitum ſimpliciter eſſe, ex infinita DEI perfectione deducitur: quodvis enim attributum divinum includit exigentiam identitatis realis cum omnibus perfectionibus divinis, atque adeo illas æquivalenter continet: atqui ſimpliciter infinite perfectum eſt, quod continet omnes perfectiones Divinas. Hinc D. Auguſtinus l. 6. de Trinit. c. 6. ita loquitur: *Tantus eſt ſolus Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus S. Quantus eſt ſimul Pater, Filius, & Spiritus S. in ipſo enim DEO cum adhæret æquali Patri Filius æqualis, aut Spiritus S. Patri, & Filio æqualis, non fit major DEUS, quam ſinguli eorum, quia non eſt, quo creſcat illa perfectio: perfectus autem ſeu Pater, ſeu Filius, ſeu Spiritus S.* Neque dicas, relationes Divinas ſibi mutuo opponi, atque adeo quamvis earum excludere a ſe aliquam perfectionem nempe relationem oppoſitam: illud vero, quod a ſe excludit aliquam perfectionem, non eſſe ſimpliciter infinitum. Nam ut alias dictum, opponuntur ſibi duntaxat relationes Divinæ oppoſitione perſonali mixta identitate eſſentiali, atque adeo quævis earum excludit a ſe aliquam perfectionem per excluſionem identitatis perſonalis cum illa, non autem per excluſionem identitatis eſſentialis: ſic Filiatio Divina importat exigentiam identitatis eſſentialis cum Paternitate; hanc igitur æquivalenter continet, ut propterea infinitam perfectionem contineat. Etſi autem tres relativæ in DEO ſint perfectiones, juxta Symbolum tamen D. Athanaſii, & S. Auguſtinum tres perfecti, tres boni ſine addito dici non poſſunt, partim quia ſignificaretur diſtinctio eſſentialis (cum perfectio ſimpliciter prolata notet perfectionem eſſentialem, & abſolutam) partim ob uſum P. P. & Conc. quibus locutiones noſtræ ſunt conformandæ, partim ob Hæreticorum locutiones, quæ ſunt vitandæ, licet interdum adhibita explicatione Theologica non ſint falſæ.

Quæ-

Quæritur porro, utrum quodvis attributum ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, qualem ex D. Anſelmo alio loco deſcripſimus? Quod ad abſoluta attributa attinet; dubitari non poteſt, quodlibet eſſe talem perfectionem; quia melior eſt, quam omnis alia perfectio ab ipſa realiter diſtincta, ut proinde nulla alia realiter diſtincta eidem poſſit eſſe æqualis. Attributa relativa cenſemus cum ſuario, non eſſe perfectiones ſimpliciter ſimplices; hæ enim a perfectionibus ſimplicibus, ſeu puris, quæ nullam habent immixtam imperfectionem, in eo differunt (juxta Anſelmum, qui primus in *Monol. c.* 11, & *in Prolog. c.* 5. perfectionem diſpeſcuit in ſimplicem, & ſimpliciter ſimplicem) quod illæ non tantum ſint ſine imperfectione, ſed inſuper ſint meliores omni alia perfectione, cum qua ipſæ in eodem ſuppoſito identificari non poſſunt: atqui talis perfectio nec eſt Paternitas, nec Filiatio, nec Spiratio paſſiva; nec enim Paternitas melior eſt, quam Filiatio, cum qua in eodem ſuppoſito identificari non poteſt; nec hæc eſt melior, quam Spiratio paſſiva, a qua rurſus realiter diſtinguitur. Neque inde ſequitur, naturam Divinam, quæ eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, eſſe perfectiorem perfectionibus relativis: non enim ex conceptu ſuo perfectio ſimpliciter ſimplex eſt perfectior perfectione ſimplici, ſed hoc ei duntaxat ſuperaddit, quod ſit melior omni alia perfectione ſecum in eodem ſuppoſito non identificata.

CAPUT V.

DE IMMUTABILITATE DEI.

XLVI. Mutari idem ſonat, ac pati viciſſitudinem ſtatus, id quod enti alicui triplici modo evenire poteſt; vel enim mutatur ens aliquod ex accidente vel ratione partis, vel

per ſe, quod mutationis genus rurſus fit per ortum, aut interitum; vel ſecundum quantitatem, aut qualitatem, vel ſecundum locum. Immutabilitas igitur DEI dicitur eſſentialis perſeverantia in eodem eſſe, per quam idem ſemper eſt, eodemque in ſtatu permanet, incapax omnino, qui perfectionem aliquam aut acquirat, aut amittat: Hanc perfectionem ipſi etiam Ethnici Philoſophi in DEO ſolo lumine naturali agnoverunt. Plato *l.* 11. *de Rep.* apud Euſeb. Præparat. Evangel 13. tradit, *DEUM, ac quæ DEI ſunt, quia quam optimo ſunt ſtatu, commutari non poſſe, ſed neque a ſe ipſo mutatum, variatumque iri.* Magiſtro ſuo conſentiunt Platonici Proclus in *Commentariis ad Rempubl. Plat.* Alc nous in *l. de Doctrin. Plat.* Plotinus *Enn.* 4. *l.* 8. *c.* 2. Princeps etiam Peripateticorum, & ex Pythagorica Schola Philolaus eandem de DEO doctrinam tradunt; ille quidem (l. 1. de cœlo c. 9.) quod Divinum eſt, immutabile eſſe penitus aſſerit, hic apud Philonem de mundi opificio (edit. Pariſ. græc. lat. p. 23.) fatetur, unum eſſe ſempiternum DEUM, ſtabilem, & immobilem. Stoici tamen (ut refert Origenes l. 3. contra Celſum) DEUM mutationi obnoxium fecerunt; ubi e contrario Hermogenes immutabilitatis dotem DEO adeo neceſſariam eſſe duxit, ut materiam increatam, & DEO coævam fecerit, ne forte, ſi DEUS eam de novo condidiſſet, mutationi fuiſſet obnoxius. Vorſtius, & Sociniani quandam in DEO mutationem, non quidem ratione ſubſtantiæ, ſed decretorum, admittunt, quaſi decreta DEI ab ejus natura realiter diſtincta forent. Contra quos ut dogma catholicum ſtabiliatur, ſit,

AS-

ASSERTIO UNICA.

DEUS eſt omnino immutabilis.

XLVII. Probatur I. Ex ſcripturis. Num. 23. dicitur: *Non eſt DEUS quaſi homo ut mentiatur; nec ut Filius hominis, ut mutetur. Malach.* 3: *ego Dominus, & non mutor. Jac.* 1: *apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Sap. c.* 7; *& cum ſit una* (Divina Sapientia) *omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innovat.* Et Pſal. 101. v. 13. *tu autem Domine in æternum permanes.* Ac. v. 28: *mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*, id eſt, ut verſum hunc exponit Chryſoſtomus, *tu vero immobilem habes naturam, & mutatione præſtantiorem; neque enim*, ut recte Cyrillus Theſauri 13. p. 127. advertit, *idem eſſet, ſi in aliud quidpiam, quam eſt, mutari poſſet.* Mutabilem quoque DEUM non eſſe ratione cognitionis, & voluntatis, quaſi aliquid de novo cognoſcat, aut velit, quod ante vel ignorabat, vel nolebat, ſequenta teſtimonia ſpeciatim oſtendunt: *omnia nuda*, inquit Ap. ad Hebr. 4. *& aperta ſunt oculis ejus*, & ad Rom. 11: *o altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ DEI.* Proverb. 19: *multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit.* Iſ. 46: *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Ex quibus apparet, dogma catholicum de immutabilitate Divina clariſſime in ſcripturis eſſe expreſſum.

Probatur II. Unanimi P. P. conſenſu, ex quibus præcipue ſunt audiendi P. P. Concilii Nicæni, & Conc. Lateranenſis IV, atque D. Auguſtinus; nam plures commemorare ſuperfluum foret, cum nullus ſit, qui ab aliis diſcrepet. In Symbolo Nicæno contra Arianos dicitur: *eos autem, qui dicunt* . . .

vel creatum, *vel mutabilem*, *vel convertibilem Filium* DEI, *anathematizat Catholica*, *& Apoſtolica Eccleſia.* Ubi notandum, Arianos inter, & Patres Concilii conveniſſe, DEUM eſſe prorſus immutabilem; unde Ariani aſſerebant Filium DEI eſſe mutabilem, quia volebant eum eſſe creaturam; e contrario P.P. definiunt Filium DEI immutabilem eſſe, quia ſentiunt, eum eſſe DEUM verum de DEO vero, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri. In Concilio Later. 4. C. firmiter expreſſe definitur, DEUM eſſe *incommutabilem.* S. Auguſtinus Tract. 4. in primam Joan. *mutari neſcit*, inquit, *nulla ex parte corrumpitur*, *nec proficit*, *quia perfectum*, *nec deficit quia æternum eſt.* L. 1. Confeſs. C. 4. *opera mutas*, ait DEUM alloquens, *nec mutas conſilium.* Et L. 12. de Civit. DEI C 14. *fecit*, inquit, *hominem in tempore non novo*, *ſed æterno*, *immutabilique Conſilio.* Probatur etiam III. dogma iſthoc ratione. Ex dictis omne, quod mutatur, mutatur vel ex accidente, vel ex parte, vel per ſe, idque mutatione contradictionis ortus, & interitus, ſeu tranſeundo de non eſſe ad eſſe, & viciſſim; aut mutatione contrarietatis, mutando nempe quantitatem, qualitatem, aut locum; atqui ex accidente, aut ex parte, aut mutando quantitatem, qualitatemve ſimpliciſſimus DEUS (qui ut omnis partis, ita omnis accidentis interni, ſicque omnis quantitatis, qualitatiſque eſt expers) mutari non poteſt, neque hoc ens neceſſarium tranſire poteſt a non eſſe ad eſſe, aut viciſſim, neque juxta dicenda immenſus localis mutationis eſt capax. Tota iſthæc ratio a S. S. P. P. uſurpata fundatur in notione entis perfectiſſimi, quod nulli omnino mutationi poteſt eſſe obnoxium, utpote quæ imperfectionem involvit: nam mutatio vel fit in melius, vel in deterius, vel in æquale: in melius DEUS mutari non poteſt, quia non eſſet optimus; non in deterius, quia deſineret eſſe perfectiſſimus; non in æquale, quia aliquid aut de novo obtineret, aut relinqueret, utrumque autem DEI perfectioni, & ſimplicitati adverſatur. XLVIII.

XLVIII. Quam facile autem eſt dogma hoc catholicum aſſerere, tam difficile videtur ea, quæ opponuntur, diſſolvere ut colligi poteſt ex Proclo (*apud Philop. de æternit. mundi arg.* 3.) Hermogene (cujus Hæreſin integro libro confutavit Tertullianus) Origene, qui hac difficultate commotus (teſte Methodio Martyre apud Photium) mundum ab æterno extitiſſe cenſuit. Argumento autem ſequenti ſunt uſi: DEUS ab æterno non fuit Creaturæ Dominus, mundi conditor, Rex &c. nam ſicut Pater eſſe quis non poteſt, ſi Filius non ſit; neque quis eſſe poteſt Dominus ſine poſſeſſione, ut urget Origenes Periarchon l. 1. c. 2. ob quam etiam rationem advertente Tertulliano contra Hermogenem c. 3. & Auguſtino in 1. de Geneſ. ad lit. ſupremum illud ens in Scriptura nunquam κύριος ante creatum hominem, in quem videlicet proprie tanquam mandata Domini intellecturum dominari poſſit, compellatur; hoc namque nomen Gen. 2. v. 4. primum inſonat. Atqui nunc DEUS eſt creaturæ Dominus, conditor mundi, Rex &c. Igitur tranſivit a non eſſe Domini, conditoris, Regis ad eſſe hujusmodi: igitur mutatus eſt. Quanta ingenia hæc olim difficultas non exagitarit modo, ſed perdiderit etiam, & Proclus, & Origenes infelices teſtes ſunt: ſed & ipſe Auguſtinus (l. 12. de Civ. DEI. c. 15.) hac difficultate aliquantum ſuſpenſus, eam ſine ſolutione reliquit; *ut qui hoc legunt*, inquiens, *videant, a quibus quæſtionum periculis debeant temperare, nec ad omnia ſe idoneos arbitrentur.* l 5. tamen de Trinit. c. 16. Dubium hoc reſolvit, dicens, ejusmodi denominationes eſſe pure extrinſecas, & relativas, ad eum modum, quo ratio pretii, pignoris &c. nummo relativa, & extrinſeca eſt, adeoque inferre mutationem duntaxat externam, quæ DEUM nec perfectiorem, nec imperfectiorem reddit, nec intrinſece facit alium, ſed conditionem tantum ex parte creaturæ, & mundi, qui tranſit de non eſſe ad eſſe, adeoque intrinſece immutatur, purificat, ſub

qua ſemper DEUS erat conditor, Dominus, Rex: ſemper enim, & neceſſario DEO conveniebat, ut ſi quæ creatura fuerit, ea ſubjiciatur dominio, ſubjiciatur regimini, ab ipſo tanquam cauſa ſua pendeat: unde per creationem mundi mutatus eſt DEUS pure extrinſece, non intrinſece. Præterea, quæ ex Tertulliano, & Auguſtino de uſurpatione τȢ *Dominus* adducta ſunt, conſulto originario textu non probant id, quod intenditur: nempe DEUM creato homine Domini ſibi primum titulum uſurpaſſe; in citato enim verſu non ponitur vox *Adonai*, quæ dominium exprimit, ſed vox *Jehova*, quæ ineffabilem Divinam ſubſtantiam, non autem hoc dominationis attributum notat, cui tantum, quod Judæi religionis cauſa illud non enunciant, vox *Adonai* in legendo ſubſtituitur. Neque urgeri poteſt argumentum, ſi dicatur, agere eſſe DEO intrinſecum, actionem non minus recipi in cauſa, quam in effectu, eam eſſe perfectionem cauſæ, per quam ab actu primo tranſit ad actum ſecundum: cum igitur DEUS non ab æterno, ſed in tempore egerit, condendo mundum, recepit perfectionem aliquam intrinſecam, quam ab æterno non habuit, nempe actionem, adeoque intrinſece eſt mutatus. R. enim, actionem nihil aliud eſſe, quam habitudinem dependentiæ, qua effectus, qui mutatur, & eſſe acquirit, reſpicit ſuam cauſam, adeoque nec effectui, nec cauſæ eſt intrinſeca entitas, aut accidens quoddam ipſis phyſice unitum, ſed pura relatio, quæ ex cauſa, & effectu, adeoque ex DEO, & mundo reſultat. Sed & id, quod additur, falſum eſt: actio quippe non eſt perfectio cauſæ, ſed potius effectus; cauſæ enim extrinſecam duntaxat agentis denominationem addit. Actio proinde etiam creativa non eſt Divini aliquid, ſed neque creati, quia pura relatio, niſi in ſenſu D. Thomæ, cui *p. 3. q. 2. a. 1.* omnia, quæ in tempore eveniunt, relationes etiam, ſunt creaturæ.

Im-

Impugnant porro immutabilitatem Divinam ex eo, quod Deus videatur Conſilium ſuum ſæpius mutaſſe, ac retractaſſe, quod ante voluit; quodque pænitentia, dolore, ira, odio, amore, aliisque ejus generis affectibus nonnunquam motus eſſe legatur. Sic mutavit Conſilium quando mundum diluvio extinxit, quem conſervare decreverat; quando Ezechiæ imperavit, ut diſponeret domui ſuæ, quia jamjam erat moriturus, *Iſ.* 38. aut cum Ninivitis denunciavit intra 40 dies urbem eſſe ſubvertendam, *Jonæ* 3. mutat quotidie, quando hominem peccatorem odio habet, eundemque ſubinde juſtum diligit. Certe fides nos docet, Deum olim factum eſſe hominem; quod qua ratione ſine illius mutatione fieri potuerit, non apparet. Hæc objecta ut ſtrictim, ac ordine diſcutiantur, notandum generatim, quod D. Auguſtinus loco alibi citato inſinuat; Deum, quæ voluit, ab æterno voluiſſe, reſque novas feciſſe, non *novo*, ſed *ſempiterno Conſilio*: Hinc I. hominem (quem condidit, & ſubinde delevit aquis ultricibus) ab æterno & creare, & ſubinde delere conſtituit. II. Ezechiæ mortem propinquam, & Ninivitis urbis ſubverſionem denunciavit non abſolute, ſed ſub aliqua conditione, nempe niſi fieret aliquid, cujus intuitu aliud contingeret. Itaque juxta legem naturæ, aut Juſtitiæ Divinæ mortem oppetere debebat Ezechias, & interire Ninive; ſed hæc pœnitentia veniam, ille precibus ſuis longiorem vitam promeruerunt. III. Quando Deus peccatori modo eſt infenſus, modo propitius, non eſt mutatio ex parte Dei, ſed ex parte hominis, qui modo eſt objectum amoris, modo objectum odii: Ens enim perfectiſſimum, & ſimpliciſſimum actu unico, & invariabili ab æterno odit hominem pro eo tempore, quo injuſtus eſt; & eum diligit pro eo tempore, pro quo eſt juſtus. Eadem reſponſio eſt, ſi dicatur, Deum alio modo ſe geſſiſſe in Teſtamento veteri, alio in novo; conſtituiſſe in illo ceremonias varias, ac

ritus,

ritus, quos tamen in hoc penitus abrogavit. Nam iſta quidem mutata fuerunt; ſed non mutatum eſt DEI Conſilium, quo ab æterno voluit, & ea in veteri lege vigere, & in nova abrogari, pro diverſitate nempe populi: Judæis carnalibus, & rebus terrenis immerſis illa congruebant; non nobis, quibus datum eſt DEUM in Spiritu, & veritate adorare. IV. Cum DEUS factus eſt homo, naturam ſibi extraneam ſuæ quidem aſcivit, & in unitatem perſonæ aſſumpſit; ſed non ideo natura Divina novam aliquam perfectionem in ſe ſuſcepit, ut dicetur de incarnatione. Denique quomodo pænitentia, dolor, ira, odium, aliæque affectiones DEO conveniant, alibi eſt dictum.

XLIX. Graviorem difficultatem obmovent immutabilitatis Divinæ hoſtes ex libertate Divina. Certum ſiquidem eſt, DEUM relate ad creaturas liberum eſſe, & libertatem ipſi eſſe intrinſecam; quia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Non minus certum eſt, ac exploratum, id quod eſt liberum, poſſe eſſe, vel non eſſe; alioquin liberum non foret, ſed neceſſarium: ſic voluntas, qua DEUS voluit ab æterno, mundum condere, potuit in ipſo non eſſe: ergo potuit aliquid DEO intrinſecum non eſſe. Quomodo ergo iſtud conciliari poteſt cum ejus immutabilitate? Rurſus cognitiones in DEO ſunt contingentes, ſicut volitiones illius ſunt liberæ: quis igitur non videt, DEUM, quoad actus ſuos mutari poſſe? En paucis verbis comprehenſa tota vis argumenti, quod olim præſtantiſſimis Theologis adeo implicatum eſt viſum, ut in diverſiſſimas explicationes dividerentur. Huic ut ſatisfaciamus, ſtrictim notandum eſt, cognitiones, & volitiones Divinas non eſſe contingentes, non liberas, ſi ſumantur quoad entitatem, & in ſe, ſecundum quod nempe DEO intrinſecæ ſunt; contingentes, & liberas duntaxat eſſe, ſi accipiantur quoad ſuam terminationem, & habitudinem ad creaturas. Cognitio nempe, & volitio

litio Divina, non ut in nobis hominibus, eſt aliquid a Deo vel productum, vel ex eo qua demum cunque ratione prodiens, ſed eſt ipſe Deus; illa eſſentialiter determinata ad cognoſcendum omne objectum; iſta utpote ſumme libera potens ſine ulla ſui mutatione intrinſeca nunc hoc, nunc illud objectum proſecutive reſpicere, atque idem etiam pro diverſis temporibus proſecutive, & repulſive; id eſt, ſe applicare objectis, ita ut nunc det denominationem voliti, nunc noliti, hoc amatum, illud odio habitum denominet. Tota ergo mutatio in cognitione Divina ſe habet ex parte objecti; quod ſi aliter ſe habet, cognitio eſſentialiter ad omne cognoſcibile cognoſcendum determinata, videre debet aliud; tota mutatio ex parte voluntatis conſiſtit in terminatione, ſeu habitudine diverſa ejusdem omnino immutatæ Divinæ volitionis, quæ proinde mutationes Deo ſunt omnino extrinſecæ. Neque autem inde ſequitur, hac ratione, ſi nempe velle, & nolle Divinum non importat mutationem Deo intrinſecam, nihil fore, quod vetet dicere, Deum ſumme liberum, quæ ſemel voluit, poſſe iterum nolle; ſicut hoc ipſo, quod creare, & deſtruere non importet mutationem Deo intrinſecam, quæ creavit, poteſt iterum deſtruere. Nam etſi velle, & nolle Divinum non importet mutationem Deo intrinſecam; inconſtantiam tamen, & levitatem argueret in illo ſupremo, & ſapientiſſimo ente; cum inconſtantis animi non leve argumentum ſit, quod nunc cognitis, viſisque omnibus circumſtantiis placuit, non emergentibus novis circumſtantiis reprobare. Verum de hoc argumento fuſius, ubi de libertate Dei agetur.

CAPUT VI.

DE IMMENSITATE, ET ÆTERNITATE DEI.

§. I.

De Immenſitate Divina.

L. Immenſitas Dei eſt illimitata Dei rebus omnibus præſentia, per quam res omnes pervadit, ac penetrat, iiſque per ſeſe, ac intime adeſt abſque ulla limitatione, ac termino. Quibus verbis inprimis deſignatur, Deum rebus præſentem eſſe non tantum cognitione, & operationis virtute; ſed etiam Subſtantia. Deinde notatur modus, quo rebus omnibus præſens eſt, non per diviſionem, vel multiplicationem, vel per contactum quendam phyſicum, uti ſolent corpora in loco eſſe, & a nobis repræſentari; unde fit, ut mens noſtra phantaſmatibus, & corporeis imaginibus aſſueta Dei infinitatem, & immenſitatem ſibi delineare non poſſit. Denique ſignificatur Deum ratione immenſitatis nullo loco contineri, ac circumſcribi poſſe; ſed ſuppoſita quavis rerum, ac locorum multitudine, eum pluribus aliis, & infinitis adeſſe idoneum eſſe. Circa hanc Dei perfectionem præter gentiles errarunt I. plerique Judæi, rudes ſcilicet, & imperiti, qui cenſebant inviſibilem, & incomprehenſibilem Deum templo Jeruſalem poſſe concludi, ut loquitur S. Hieronymus ad *C. Iſaiæ 66.* quod idem teſtatur Cyrillus *l. 2. contra Jul.* & *l. 5. in Joan.* Judæis accenſet Samaritanos Hilarius *l. 2. de Trinit. utrorumque præſumptio*, inquit, *aut collis edito, aut extructæ domus concavo DEUM, intra quem omnia, & extra quem nihil ejus capax eſt continebat.* Inter veteres Hæreticos II. errabant Valentiniani, Gnoſtici, ac Manichæi, de quibus Irenæus, Tertullianus,

nus, Epiphanius, & Auguſtinus. III. Patres etiam nonnulli (ut Clemens Alexandrinus, Auctor reſponſionum, & quæſtionum ad Orthodoxos, & Lactantius) huic errori admodum faviſſe ſunt viſi; Primus enim *Stromat* 2. hæc ſcribit: *DEUS appropinquans: ego ſum, inquit, Dominus; procul quidem ſubſtantia . . . proxime autem poteſtate, qua univerſa ſinu ſuo complectitur.* Alter inter opera Juſtini Reſp. ad quæſitum II *Res alias, quæ continere aliquid dicuntur, hoc eſſentia continere*, ait, *ſolum vero DEUM voluntate ſua continere hanc rerum univerſitatem.* Tertius *l. de Opificio DEI. c.* 16. de mente hominis diſputans, eam collocandam decernit in capite tanquam in arce; *ſicut ipſe mundi Dominus*, inquit, *in ſummo eſt;* quibus verbis cœlo videtur DEUM omnino includere. IV. Eraſmus pariter ambigebat, an DEUS eſſet in antro ſcarabæi, aliiſque locis obſcænioribus. Eugubinus docet, DEUM e ſupremo cœlo, cui affixus eſt, omnia cernere, ac regere, quaſi cunctis præſens foret, cum ipſis adſit non ſubſtantia; ſed potentia duntaxat, ac ſcientia. Denique inter Calvinianos Vorſtius ita ſenſit, quem ex profeſſo confutarunt Becanus *in ſumma*, & Theophilus Raynaldus in ſuo *de Theologia Naturali opere diſp.* 7. *q.* 1. *a.* 6. Ut omnes hos abſurdos errores refutemus, ſit

ASSERTIO UNICA.

DEUS eſt immenſus, ita ut ubique ſit omnibus rebus quoad ſubſtantiam intime præſens, omniaque loca complectatur.

LI. Probatur & teſtimoniis Scripturarum, & communi P. P. Suffragio, & ratione. Deuter. 4. *ſcito ergo hodie*, inquit Moyſes populum alloquens, *& cogitato in corde tuo, quod Dominus ipſe ſit DEUS in cœlo ſurſum, & in terra deorſum,*

Job. 11. dicitur: *Excelſior cœlo eſt . . . profundior inferno. . . longior terra . . . latior mari.* Jerem. 23: *nunquid non cœlum, & terram impleo, dicit Dominus?* Pſ. 138: *quo ibo a ſpiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? ſi aſcendero ad cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum ades.* Iſaiæ c. 66: *hæc dicit Dominus: cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Regum 3. v. 8: *ſi cœli cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi.* Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Et in Act. Ap. 17: *in ipſo vivimus, movemur, & ſumus.* Ex P. P. primus pro hoc dogmate adducendus eſt Clemens. Alex. qui, ut ſupra videtur faviſſe adverſariis, ita mutata l. 7. Stromat. priore ſententia DEUM ubique eſſe, non autem *certis, ac definitis locis eſſe concluſum* diſertis verbis pronuntiat. S. Athanaſius l. contra Sabellii gregales: *ne quæratis*, inquit, *loci magnitudinem tantam, ut quæ poſſit DEI magnitudinem capere. Non enim immenſum in menſo eſt.* Et (Epiſt. ad Serapionem) Filii, & Spiritus S. Divinitatem probat ex immenſitate, quæ ipſis eſt propria. Adde S.S. Hieronymum ad *Cap. 66. Iſaiæ*, Ambroſium *l. 1. de fide c. 16.* Gregorium Magnum *in Cant. Cantic.* a Magiſtro laudatum l. 1. diſt. 37. Optime D. Auguſtinus l. 7. de Civ. DEI. c. 30: idem DEUS, inquit, *ubique totus, nullis incluſus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes ſectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cœlum, & terram præſente potentia, non abſente natura:* Et Serm. 1. de Verb. Ap. DEUM ait eſſe *ultra omnia, extra omnia, præter omnia.* Tota autem hæc doctrina ſtabilitur ratione deprompta ex infinita, & ſumma DEI perfectione, quæ requirit, ut ſit ubique; immenſitas enim cum ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, enti perfectiſſimo eſt tribuenda: alioquin ens perfectiſſimum nec eſt, nec concipitur. Certe DEUS operatur ubique in omnibus creatis; atqui non agit per operationem ab eſſentia divulſam, & diſtinctam, cum iſtud non patiatur

ſum-

ſumma ejus ſimplicitas; igitur per operationem ab ejus eſſentia indiſtinctam; adeoque Deus, qui in rebus omnibus operatur, in iis quoque intime adeſt per naturam, & ſubſtantiam.

Neque opponi poteſt I. In Scripturis paſſim inculcari, Deum eſſe in cœlo; nam non ideo hoc dicitur, quia eſt in cœlo tantum, ſed quia eſt in cœlo ſpeciali modo, quo ſe beatis per gloriam communicat. Neque II. Dedecere Deum puriſſimum, ut intime præſens ſit rebus quibusdam fœdiſſimis: non enim magis dedecet Deum rebus illis intime præſentem eſſe, quam illas produxiſſe, & productas conſervare; neque rebus illis magis inquinatur, quam lux cæno, & anima corpore leproſo, cui intime præſens eſt. Dedecentia ergo illa, quam Eraſmus ſuſpicatur, merum figmentum eſt errantis imaginationis, quod Hugoni Victorino (*Tract. I. ſummæ Sent. c. 4.*) adeo inſulſum eſt, ut ne reſponſione dignum eſſe arbitretur. Neque III. ſequitur, Deum, hoc ipſo quod ſit ubique, eſſe extenſum, & diviſibilem; nam huic objectioni occurrit Auguſtinus Epiſt. ad Dardanum his verbis: *Etſi DEUS ſit immenſus, non tamen eſt per ſpatia locorum quaſi mole diffuſa, ita ut in dimidio mundi ſit dimidius, atque ita per totum totus, ſed in ſolo cœlo totus, & in ſola terra totus, & in cœlo, & in terra totus ſolus, & nullo contentus loco, ſed in ſe ipſo ubique totus.* Neque IV. objici poteſt, denominationem *exiſtens ubique* eſſe perfectionem Divinam, & tamen contingentem, adeoque in Deo dari perfectionem contingentem; nam denominatio exiſtentis ubique eſt quidem Divina perfectio ſecundum id, quod dicit intrinſecum Deo, ſeu prout importat immenſitatem Divinam; non ſecundum id, quod dicit Deo extrinſecum, ſeu ſecundum locum omnem realem, & creatum, in quo per ſuam ubiquitatem Deus exiſtit, qui Deo omnino contingens eſt. Qui autem cum D. Thoma negant, Deum in loco eſſe, ver-

bis tantum, loquendique modo a nobis diſſentiunt: volunt enim DEUM in loco non eſſe, quia non habet partem extra partem, non dimenſionem quantitativam, non figuram, aut ulla ambientis corporis vincula, ſepes, vel terminos, & quia magnitudinem ſuam a pura virtutis ſuæ diffuſione non deſumit. V. Si quæras, utrum DEUS ſit etiam in ſpatiis, ut aiunt, imaginariis? R. Breviſſime cum Simonneto (Tract. 1. de DEO, Diſp. 1. Art. V.) DEUM in illis ſpatiis non eſſe poſitive, quaſi illis extra ſe poſitis, & extantibus coexiſteret: eſſe tamen negative, & æquivalenter, noſtro nempe modo concipiendi, & loquendi. Habet nempe DEUS extra mundum realem, & intrinſecam præſentiam interminatam, poteſtque extra cœlos producere corpora majora in infinitum; quibus productis intime per interminabilem ſuam præſentiam adeſſet, quamvis in ſe prorſus immotus, & immutatus. Intellectus ergo noſter ſumit occaſionem concipiendi extra mundum capacitatem quandam per modum extenſionis incorporeæ, & penetrabilis quaquaverſum in infinitum diffuſæ, in qua DEUS adeſt, operarique poteſt; unde quando concipimus, & dicimus, DEUM eſſe in ſpatiis imaginariis, imperfecte quidem loquimur, ſed tamen cum fundamento in re: etſi enim DEUS nec ſit, nec poſſit eſſe realiter in ſpatiis imaginariis, quia nec datur, nec dari poteſt extra mundum extenſio illa incorporea, penetrabilis, & interminata; in illis tamen eſt æquivalenter, & per noſtrum concipiendi modum, quia propter intrinſecam ſuam, & interminabilem extra cœlos præſentiam tam poteſt producere corpora in infinitum majora, illiſque, eodem prorſus modo permanens, intime adeſſe, quam ſi revera extra cœlos foret extenſio illa interminata, in eaque tota DEUS quaſi diffuſus, & extenſus extaret.

§. II.

§. II.

De Æternitate Divina.

LII. Aeternum, etiam in Scripturis, multipliciter ſumitur. Primo pro eo, quod ſemel exiſtens nunquam eſt interiturum; quo ſenſu dicitur Eccleſiaſtis c. 1. v. 4: *terra autem in æternum ſtat.* Deinde accipitur pro eo, quod etſi finem ſit habiturum, diu tamen valde perſtiturum eſt: ſic Levit. 25. v. 45. Deus ordinat: *de advenis, qui peregrinantur apud vos . . . hos habebitis famulos, & hæreditario jure tranſmittetis ad poſteros, ac poſſidebitis in æternum.* Rurſus æternum uſurpatur pro eo, cujus finis humana non poteſt auctoritate adduci; ſic Ex. 12. præcipitur Judæis: *celebrabitis diem hanc cultu ſempiterno* Denique idem ſonat, ac quod caret initio, ſucceſſione, & fine ;qualiter ſumpta æternitas definitur a Boetio (l. 5. de Conſol. Philoſ. Proſa 6.) *interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio.* Dicitur 1. *Poſſeſſio;* quia conſtans, firma, ac quieta duratio eſt: illud enim poſſidere cenſemur, quod firmiter, ac quiete habemus. II. Dicitur *tota ſimul*, eo quod hæc duratio nullam ſucceſſionem admittat. Eſt enim velut unicum punctum, quod omnia durationum genera ſibi invicem ſuccedentia complectitur. Quod æternitas nullam ſucceſſionem agnoſcat, præter P. P. infra nominandos ipſi veteres Philoſophi cenſuerunt. Plato in Timæo: *non dicimus de illa*, inquit, *erat, eſt, & erit: ſed illi revera ſolum eſt competit. Hæc enim*, ait Proclus ad eundem, *ſimul, & confertim eſt tota.* Plotinus Enneade 3. l. 7. c. 1. ita habet; *vita infinita eſt, eo quod tota ſimul conſiſtit . . . cum nihil præterierit, vel ſit futurum: aloquin jam tota non eſſet.* Plutarchus in lib. de εἰ apud Delphos: *eſt DEUS*, inquit . . . *in nullo tempore, ſed in æternitate, . . . cujus nihil eſt prius, nihil poſterius, neque futurum, neque præteritum, at ſolum eſt per ſe revera ens, quod neque fuit, ne-*

que

que futurum eſt. Dicitur III. *Poſſeſſio perfecta*, ut intelligatur in hoc uno puncto omnia ſimul contineri, nihilque ipſi deeſſe. IV. Denique dicitur *interminabilis vitæ*, hoc eſt, quæ nec initium habuerit, nec finem habitura ſit, imo nec habere poſſit. *Vera æternitas*, ait S. Anſelmus in Monol. c. 24. *eſt interminabilis vita, ſimul perfecte tota exiſtens.* In hoc argumento rurſus errarunt Sociniani cum Vorſtio Calviniſta, qui exiſtimarunt æternitatem Divinam ſucceſſioni, variiſque temporum differentiis eſſe obnoxiam; contra quos ſit ſequens

ASSERTIO.

DEUS ſolus æternus eſt æternitate propria, nulli temporum ſucceſſioni obnoxia.

LIII. Articulum fidei proponit dicta Aſſertio contentum in Symbolo Athanaſii: *æternus Pater, æternus Filius* &c. Et in Conc. Later. IV, ut legitur in cap. firmiter de ſumma Trin. *confitemur, quod unus ſolus eſt verus DEUS æternus* &c. Probatur autem clariſſimis ſcripturis. Pſ. 89. v. 2. dicitur: *priuſquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, a ſeculo, & uſque in ſeculum tu es DEUS.* Pſ. 9. v. 8: *Dominus in æternum permanet.* Et Pſ. 101: *tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Apoſtolus ad Rom. c. 16. ſcribit: *ſecundum præceptum æterni DEI.* Ex quibus teſtimoniis apparet, DEUM ita eſſe æternum, ut viciſſitudini temporis non ſit obnoxius; quomodo enim dici poſſet, idem ſemper eſſe, ac permanere, ſi ſingulis pene momentis vel aliquid prius ipſi decederet, vel novum aliquid accederet. Pervulgata quoque hæc S. S. P. P. eſt doctrina: *DEUS ſemper eſt*, inquit Greg. Naz. Or. 38, *nam erat, & erit hujus temporibus fluxæ, caducæque naturæ ſegmenta ſunt.* S. Auguſt. l. de vera Relig. c. 49. *in æternitate*, ait, *nulla ſpatia temporis cerno, quia ſpatia temporis præteritis, & futuris motibus conſtant. Nihil autem præterit in æterno, & nihil*

hil futurum eſt. Denique S. Anſelmus in Proſolog. c. 19. ita loquitur: *de æternitate tua nihil præterit, ut jam non ſit; nec aliquid futurum eſt, quaſi nondum ſit. Non ergo fuiſti heri, aut eris cras; ſed heri, & hodie, & cras es: imo nec heri, nec hodie, nec cras es, ſed ſimpliciter es extra omne tempus.* Omnia iſta teſtimonia fundantur in immutabilitate Divina, & ſummæ perfectionis neceſſitate. Si enim Deus eſt immutabilis, quomodo tranſibit a die hodierno in craſtinum, ab uno tempore in alterum? omnium quippe a ſe diſtinctarum immanentium actionum, quæ ſolæ ſucceſſionem temporariam faciunt, incapax eſt actus puriſſimus. Quomodo item, & a qua cauſa *Ens a ſe* initium habet, aut unde finem metuat ens neceſſario exiſtens, & immutabile?

LIV. Ex his facile deduci poteſt, ſolum Deum eſſe æternum, ita ut nullum ens creatum, propria hac ſucceſſionis experte æternitate, ab æterno exiſtere potuerit (quidquid ſit de æternitate ſucceſſiva, quam olim mundo Plato, & Ariſtoteles tribuerunt) prout cenſuerunt Palamitæ inter græcos, Palamæ Theſſalonicenſis Epiſcopi Sectatores; & Auguſtinus Steuchus Eugubinus inter latinos; quorum illi lumen illud, quo in monte Thabor Chriſtus refulſit, æternum fuiſſe, increatumque lumen, oculis tamen aſpectabile, & a Divina ſubſtantia diſtinctum admiſerunt; ille vero in Coſmopæia tradidit, lucem aliquam ab æterno refulſiſſe Divinam, a Deo diſtinctam, quæ ſit Dei gloria, & habitatio; de quibus erroribus videri poteſt Petavius *l.* 1. *Dogm. Theolog. C.* 11, & 12. Aeternitatem Soli Deo eſſe propriam, oſtendit Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. ita de Deo loquens: *qui ſolus* habet immortalitatem; quo *immortalitatis* nomine æternitatem intelligendam eſſe admonent S. S. P. P. ac præſertim Auguſtinus *Tract. in Joan.* ubi *quid eſt*, inquit, *quod ait Apoſtolus de Deo: qui ſolus habet immortalitatem; niſi quia hoc aperte dixit: ſolus habet incommutabilitatem, quia ſolus ha-*

bet veram æternitatem. Contra illos autem æterni, & a Deo diſtincti luminis fabulatores idem Auguſtinus l. 6. de Trinit. ita loquitur : *omnis ſubſtantia, quæ DEUS non eſt, creatura eſt; & quæ creatura non eſt, DEUS eſt.* Rurſus æternitatem Deo hactenus aſſertam, nulli creaturæ competere poſſe, præter alios P. P. manifeſte declarant S. S. Athanaſius, & Baſilius, quorum prior diſput. 2. contra Arianos ita ait : *Etſi DEUS creaturas ſemper poſſit facere; at res creatas æternas eſſe facere non poteſt :* Alter autem l. 2. contra Eunom. *nos autem*, inquit, *ejusdem inſaniæ eſſe putamus tum creaturæ æternitatem adſcribere, tum creaturæ Dominum hoc teſtimonio privare.* Jam vero hæc Patrum teſtimonia ſumi debere de æternitate illa perfecta ſucceſſionis vacua, an non ratio ipſa evincit? Nonne in quavis perfectione ſupremus gradus pertinet ad ipſum Deum? Atqui ſummus gradus in durandi perfectione, perfectiſſimus durandi modus eſt, perſeverare ſine principio, ſine fine, ſine ulla ſucceſſione; hic igitur Soli Deo erit tribuendus. Certe etſi mundus ſemper extitiſſe Platonicis permittatur, non idcirco tamen dicendum erit, eum fore Deo coæternum, ut optime obſervat Boetius ſupra citatus his verbis : *non recte quidam,* ait, *cum audiunt viſum Platoni mundum hunc nec habuiſſe initium temporis, nec habiturum eſſe defectum, hoc modo Conditori conditum mundum fieri coæternum putant. Aliud enim eſt per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit: aliud interminabilis vitæ totam pariter complexam eſſe præſentiam, quod Divinæ mentis proprium eſſe manifeſtum eſt.* Atque hæc, quæ hactenus dicta ſunt, ſufficiant de perfectionibus Dei negativis; nam quæ alii tractant hoc loco de inviſibilitate, & incomprehenſibilitate Dei, eo pertinent, ubi de humanis actionibus, earumque præmio, ſeu beatitudine tractabitur. Modo nobis de Attributis Dei poſitivis, ſeu affirmantibus, ut ea appellat Doctiſſimus Petavius, ſermo erit.

CON-

CONTROVERSIA II.

DE

SCIENTIA DEI.

Proprietatum illarum, quas affirmantes, & græco vocabulo θετικὰς dicimus, explicandarum initium merito ducitur ab intelligentia, ſeu ſcientia Dei, præcipuo nempe, omnibusque noto Divinitatis charactere, quem nemo, niſi extreme amens, agnoſcere non poteſt. *Illud proprie, ac ſoli principi omnium Naturæ* (inquit Cyrillus l. XI. Comment. in Joan.) *tribuendum eſt, omnia ſcire nullo docente, ac præ oculis nuda, ac aperta habere*, idem *Divinitatis id eſſe proprium* agnoſcit (l. 32. Theſauri) *ut nihil ignoret.* Pleni ſunt hujus prærogativæ teſtimoniis non gentilium modo, ſed & cujusvis generis ſcriptorum libri; ſacris autem in literis infinita Dei ſcientia, & comprehendens univerſa cognitio paſſim extat, atque per omnes utriuſque teſtamenti paginas eſt expreſſa; ut adeo a nobis majoris claritatis gratia totum hoc argumentum in certa capita ſit diſtribuendum. Inprimis igitur agendum erit de exiſtentia, varietate, dotibus, ac proprietatibus Divinæ ſcientiæ, deinde explicandum eſt ejusdem objectum; ac demum, quodnam ſit medium excellentiſſimæ illius cognitionis, ſeu quo modo Deus ſingula cognoſcat, inquirendum venit: ubi potiſſimum de ſcientia circa actus ſalutares (quæ ad conciliandam efficaciam gratiæ, & certitudinem prædeſtinationis cum libero arbitrio voluntatis humanæ atque ad dirigenda decreta Dei prædefinitiva, præprimis opportuna videtur) uberior erit tractatio.

CAPUT I.

De Exiſtentia, diviſione, proprietatibus, ac dotibus Scientiæ Divinæ.

I. De Exiſtentia ſcientiæ Divinæ amplior nobis ſermo non erit, cum, etſi tacerent ſacræ literæ, ipſum naturæ lumen (quod exiſtentiam DEI vel ipſos gentiles, cæcoſque ceteroquin homines docuit) oſtendat ſimul, ſapientiſſimum, rerumque omnium conſcium, ſupremum hunc mundi, cælique Rectorem eſſe oportere. Ariſtoteles ipſe agnovit, hanc ſcientiam DEO non ſupervenire, non accidere; ſed ſubſtantialem eſſe, atque ab ipſo indiſtinctam; non cognoſcendi δύναμιν, ſeu facultatem, ſed νόησιν ὀυσίαν, ſeu ſubſtantialem intellectionem, ne ſcilicet DEO *laborioſa intelligendi perpetuitas ſuperveniat.* l. 12. Metaph. c. 9. ob quam etiam rationem, cum ſemetipſam ſuprema ea mens intelligat, ejus intellectionem intellectionis eſſe intellectionem dicit ἔςιν ἡ νόησις νοήσεως νόησις. Eandem ſupremam mentem Plotinus (*Enn.* 6. *l.* 9.) ipſum intelligendi actum eſſe contendit, cui accedit Maximus Tyrius in 1. *Diſſert.* & Alcinous *c.* 10. At vero ex Scripturis, quæ Divinam ſcientiam teſtantur, ſequentes ſunt præcipuæ: Pſal. 138. dicitur: *Domine tu cognoviſti omnia.* Job. 12. v. 13: *apud ipſum eſt ſapientia, & fortitudo, ipſe habet conſilium, & intelligentiam.* Eſther. c. 14. v. 14. *Domine, qui habes omnium ſcientiam.* Apoſt. denique Rom. 11. v. 33. inquit: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ DEI!* & ad Coloſſ. 2. v. 3: *in quo* (Chriſto) *ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Certe DEUM alio loco demonſtravimus eſſe ens perfectiſſimum, quo nihil melius eſſe, & cogitari poteſt: quis autem dubitet, ens perfectiſſimum res omnes ſcientia perfectiſſima neceſſario complecti? Inquirendum igitur ſupereſt, quibus dotibus, proprietatibus, ac prærogativis gaudeat ſcientia DEI & a quibus im-

imperfectionibus ſit removenda? Cui quæſtioni locum dediſſe videtur idea, & notio ſcientiæ creatæ, quæ certas quasdam admixtas habet imperfectiones, quibus profecto obnoxia eſſe non poteſt increata intelligentia: unde hoc loco præ oculis habenda eſt regula ex S. Auguſtino l. 2. ad Simplicianum deprompta: quoties ratio per nomen aliquod ſignificata, detractis omnibus imperfectionibus, quas in creaturis admixtas habet, ita remanet, ut nullam exprimat imperfectionem, toties eadem tanquam pura perfectio DEO proprie, ac ſtricte convenit. Sit igitur

ASSERTIO I.

Eſt in DEO ſcientia certa, ac evidens, ſimpliciſſima, infinita, æterna, & immutabilis.

II. Probatur per partes. Primo Eccli. c. 23. dicitur: *oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* Quibus verbis manifeſte exprimuntur Divinæ ſcientiæ claritas, ac certitudo, quæ ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, quibus proinde ſi careret DEUS, non eſſet, quidquid melius eſt eſſe. Certe ſi ſcientia DEI non eſſet evidens & certa, foret mera opinio, & conjectura: quomodo autem opinio cadere poſſit in ens perfectiſſimum, minime apparet. Hinc D. Auguſt. Tract. 37. in Evangel. Joan. ait: *cum dicitur a DEO verbum dubitationis, cum DEUM nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur Divinitas.* Deinde ſimplicitatem Divinæ ſcientiæ (qua unico intuitu omnia ſimul complectitur) propriam eſſe, ex iis colligi poteſt, quæ Controverſia I. de ſimplicitate DEI docuimus. Hinc recte Auguſtinus l. 2. ad Simplicianum q. 2: *cum dempſero*, inquit, *de humana ſcientia mu-*

tabilitatem, & tranſitus quosdam a cogitatione in cogitationem . . . cum hæc cuncta detraxero, & reliquero ſolam vivacitatem certæ, atque inconcuſſæ veritatis una, atque æterna contemplatione cuncta colluſtrantis, imo non reliquero (non enim hoc habet humana ſcientia) ſed pro viribus cogitavero, inſinuatur mihi utcunque ſcientia DEI. Notatur id ipſum Sap. 7. v. 22. his verbis: *eſt in illa* (Sapientia) *Spiritus intelligentiæ Sanctus, Unicus, & multiplex*, ſcilicet ſecundum noſtrum concipiendi modum, propter diverſa objecta, ad quæ ſe extendit; *ſed non diverſis obtutibus*, inquit Petrus Damiani Opuſc. 36.c.7, *diverſa conſiderat, ut cum intendit præteritis, vacet a præſentibus; ſed uno duntaxat, ac ſimplici potentiſſimæ Majeſtatis intuitu ſimul omnia comprehendit.* Tertio infinita eſt DEI ſcientia; *Sapientiæ* enim *ejus non eſt numerus Pſal.* 146. Certe ens, quod ſupremum, & perfectiſſimum exiſtendi gradum obtinet, non poteſt non habere vim intelligendi ex omni parte in ſuo genere infinitam, ac illimitatam. Denique de æternitate, & immutabilitate ſcientiæ Divinæ ſequentia ſunt teſtimonia. Proverb. c. 8. Sapientia increata de ſe ipſa dicit: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata ſum* &c. DEUM immutabilem eſſe priore controverſia pluribus Scripturis oſtendimus; cum autem ſcientia DEI ab eo non diſtinguatur; immutabilis non foret, ſi quæ in ejus ſcientiam mutatio caderet. *Sicut omnino tu es*, inquit D. Auguſtinus l. 13. Confeſſ. c. 16. *tu ſcis ſolus, qui es incommutabiliter, & ſcis incommutabiliter, & vis incommutabiliter.*

III. Etſi unica ſit, eaque ſimpliciſſima DEI ſcientia, utpote quæ ab ejus natura non diſtinguitur; pro varietate tamen objectorum, & rationis formalis, ſub qua diverſa illa objecta conſiderat, multiplex a Theologis aſſignari ſolet ſcientiæ Divinæ diviſio. Dividitur I. in neceſſariam, & contingentem;

illa

illa dicitur ea, quæ antecedit omne Dei Decretum, & abſolute non poteſt non eſſe in Deo, quia eſt de objecto neceſſario, ut de eſſentia Divina, de perſonis Divinis, de poſſibilibus. Libera eſt, quæ ſupponit liberum voluntatis Divinæ Decretum, & abſolute poſſet non eſſe, quia eſt de objecto contingenti, nempe creaturis vel exiſtentibus, vel abſolute, aut conditionate futuris; nam cum hæc omnia poſſint non eſſe, poſſunt etiam non ſciri a Deo; ſi enim non eſſent, nec ſcirentur, nec ſciri poſſent, non propter defectum aliquem intellectus Divini, ſed quia non forent cognoſcibilia, unde quod eorum ſcientia ſit contingens, non Deo, ſed ipſis eſt tribuendum, eo quod Divinus intellectus ex eſſentiali perfectione ſit ſumme completus, ac determinatus ad ſciendum omne cognoſcibile; atque ita res illæ non ſciuntur contingenter a Deo, niſi quia non ſunt niſi contingenter ſcibiles. Dividitur II. Scientia Dei in Scientiam approbationis, & reprobationis; priore Deus cognoſcit illa, quæ probat, & imperat; unde hæc ſcientia in recto importat actum Divini intellectus, quo Deus cognoſcit, & in obliquo actum voluntatis Divinæ, quo Deus ſibi complacet in eo, quod cognoſcit. Poſteriore autem ſcientia Deus cognoſcit ea, quæ prohibet, & improbat: non raro Deus in ſcripturis dicitur ignorare ea, quæ novit per ſcientiam reprobationis, juxta illud Habacuc. c. I: *mundi ſunt oculi tui, ne videas malum;* & illud Matth. 25: *Amen dico vobis: neſcio vos.* Non quod ignoret ea, ſed quia non ſcit cum complacentia. Rurſum alia ſcientia dicitur practica, & alia ſpeculativa. Prior ea dicitur, quæ aut eſt de objecto non operabili, ut cognitio, qua Deus ſe ipſum cognoſcit; aut de objecto operabili, ſed non prout operabile eſt, ut cognitio, qua Deus cognoſcit, quid aut qualis ſit res creata? Poſterior ea dicitur, quæ eſt de objecto operabili, prout tale eſt, præſcribendo, quid, aut quomodo ſit operandum. Hæc autem ſcientia dicitur cauſa rerum, non quod ſit immediatum

pro-

productionis principium; ſed quia prælucet voluntati Divinæ applicanti potentiam executivam, ipſam potentiam agentem dirigit. Sed de hoc alibi. Denique omnium celeberrima diviſio eſt in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, viſionis, & inter utramque mediam: nam ſic dividi debet ratione objecti, aiunt hujus diviſionis patroni, ſcientia Divina, ſicut dividitur ipſum objectum ſcibile; hoc autem in triplex genus diſtribui poteſt: nam objectum aliud eſt pure neceſſarium, ideoque ab omni DEI Decreto independens; quale præter DEUM ſunt omnes veritates neceſſariæ: Aliud objectum eſt pure contingens, adeoque pendens ab actuali DEI Decreto; qualia ſunt omnia contingentia pro aliquo tempore abſolute exiſtentia: Aliud demum objectum eſt inter utrumque medium; defectibile quidem, ac contingens, ſed nulli abſoluto Dei Decreto obnoxium, qualia ſunt contingentia omnia ſub aliqua conditione futura e. g. pœnitentia impii ſub hac vel illa Dei illuſtratione futura; dicitur autem tale aliquod objectum medium, quia ita eſt ab utroque diverſum, ut ſimul ab utroque aliquid participet; nam ab objecto pure neceſſario habet independentiam a Decreto abſoluto, & ab objecto pure contingente defectibilitatem. De hac diviſione famoſa extitit in Scholis controverſia a centum, & amplius annis non ſine magno animorum æſtu agitata, de qua alibi erit amplior diſputandi locus.

Explicuimus hactenus proprietates ſcientiæ Divinæ; nunc quibus dotibus prædita ſit, quæque ab ea ſint removen,da videamus. Ac inprimis dubium eſſe non poteſt, in Deo dari intellectum proprie talem, a quo intellectio non reali quidem diſtinctione, ſed per mentem noſtram diſtinguitur: quid enim nomine intellectus venit? certe nihil aliud, quam virtus, δύναμις, ſeu facultas intelligendi; atqui hæc virtus locum habet inter virtutes ſimpliciter ſimplices, quarum nulla carere poteſt Deus. Et certe Deus vere, & proprie intelligit; igitur vere,

ac

ac proprie facultatem habet intelligendi, cum ab actu teneat argumentum ad potentiam. Hinc optime Doctor Angelicus hic q. 14. A. 1: *immaterialitas alicujus rei eſt ratio*, ait, *quod ſit cognoſcitiva: & ſecundum modum immaterialitatis eſt modus cognitionis:* Si igitur DEUS ſumme eſt immaterialis (ut reipſa illum eſſe alibi demonſtravimus) ſumme erit cognoſcitivus; id quod includit intellectum, & intellectionem; Hos autem conceptus eſſe ratione noſtra ab invicem diſtinctos, ex iis patet, quæ de diſtinctione rationis ratiocinatæ inter Attributa Divina diximus. Quæſtio igitur præciſe eſt, utrum ſcientia Divina ſit independens a potentia proprie productiva, ab omni ſpecie ut vocant, impreſſa, & a motivo intelligendi? Sit igitur

ASSERTIO II.

Scientia Divina neque eſt habitus, neque actus a DEO realiter diſtinctus; adeoque pendere non poteſt, ne quidem per noſtrum cogitandi modum, a potentia Phyſice effectrice.

IV. Pars prima aſſertionis conſtat ex dictis: nam ſi ſcientia DEI foret habitus, vel eſſet qualitas quædam, vel aggregatum ex multis certorum actuum ſpeciebus facilitans ad ſimiles actus; utrumque autem repugnat ſummæ ſimplicitati Divinæ, quæ conſiſtere nequit cum reali intellectus Divini & habitus diſtincti compoſitione. Propter eandem rationem ſcientia DEI non poteſt eſſe actus realiter diſtinctus a DEO, quia realis ejus cum intellectu Divino conjunctio eidem ſummæ ſimplicitati obeſſet; unde & ſcientia DEI, & facilitas, quam habet ad intelligendum, eſt ipſamet ejusdem eſſentia vitaliter tendens in objectum, habenſque vim cognoſcendi infinitam. Ex quibus patet etiam pars altera: ſi enim ſcientia DEI penderet a potentia phyſice effectrice, daretur in DEO actus realiter diſtinctus, daretur potentia paſſiva,

Intellectus Divinus perficeretur per aliquid a ſe realiter diſtinctum; cum actus vitalis perficiat potentiam ſuam, quæ omnia DEO repugnant. Quod autem ne quidem concipi poſſit in DEO cum fundamento in re potentia intelligendi effectrix ſuæ intellectionis, ſequitur ex prioribus; ſicut enim non poſſumus ſine fictione concipere Patrem in Divinis ſeniorem, Filium juniorem, intellectum eſſe ſubjectum recipiens, & intellectionem qualitatem, aut accidens receptum, quia ſic cognoſcendo intellectus noſter Patri, & Filio, intellectui, & intellectioni adderet aliquid, quod revera in ipſis non reperitur: pari ratione ſine fictione concipere non poſſumus in Divino intellectu virtutem effectricem cognitionis, & in cognitione rationem eliciti, aut producti, quia cognoſcendo intellectum Divinum eſſe principium effectivum, & cognitionem eſſe effectum, adderemus Intellectui Divino, & Intellectioni Divinæ aliquid, quod revera in ipſis non reperitur; ut recte arguit D. Thomas Q. 41. A. 4. ad 3. Hinc facile etiam intelligitur diſcrimen, cur etſi Intellectus Divinus in ſe ſit actus puriſſimus, concipi tamen poſſit ut facultas, ut virtus, & capacitas intelligendi ſine actuali intellectione; non item concipi poſſit ut actus primus intelligendi phyſicus, ut potentia productiva ſuæ intellectionis; nam vis cognoſcendi objectum, & ipſa actualis cognitio ſunt Attributa DEO propria, ac per mentem noſtram diſtincta, ut adeo concipi poſſit vis intelligendi Divina ſine identitate cum actuali intellectione: eam tamen ſine fictione concipere non poſſumus, aut judicare ut productivam, ut receptivam actualis intellectionis, quia adderetur illi quidquam, quod ipſi revera non competit; quando vis Intellectiva Divina nec eſt productiva, nec receptiva ſuæ intellectionis.

Quæritur porro a Theologis, utrum in Intellectu Divino detur ſpecies intelligibilis, & motivum intelligendi? nomine

qui-

quidem ſpeciei intelligibilis communiter venit qualitas aliqua menti adjuncta, in eaque recepta, qua completur, fitque proxime capax ad cognoſcendum objectum; talem autem ſpeciem in DEO non dari ex dictis liquet; cum enim ejus intellectus ſe ipſo ad cognoſcendum ſit ſumme completus, reſpuit omne complementum ſibi ſuperadditum. De ratione tamen, & conceptu formali ſpeciei intelligibilis non eſt, ut ſit accidens, qualitas, complementum; cum velut fœcunditas intellectionis intellectui poſſit eſſe identificata. Motivum autem intelligendi, ſeu objectum formale intellectionis illud dicitur, ob quod intellectus objectum cognoſcit, ſeu id moveat intellectum proprie, ac phyſice, movendo nempe eum, ut ſe ab intrinſeco moveat ad cognoſcendum objectum, ſeu improprie, & objective duntaxat, perducendo nempe intellectum ad hoc, ut intellectio ſibi identificata ad hoc potius, quam aliud objectum terminetur. Hinc ſit

ASSERTIO III.

Datur in DEO ſpecies intelligibilis, & motivum intelligendi?

V. Probatur ex effato S. Auguſtini N. I. & II. inſinuato. Quoties a conceptu aliquo detrahi poſſunt omnes imperfectiones, quas in rebus creatis admixtas habet, ita ut relinquatur pura perfectio, toties idem conceptus tribuendus eſt DEO, tanquam pura perfectio; atqui ejusmodi conceptus eſt & ſpecies intelligibilis, & motivum intelligendi. Ac inprimis ſpecies intelligibilis a ratione producti, qualitatis, accidentis, complementi ſeparata nihil aliud eſt, quam fœcunditas intellectionis, quæ reddit intellectum intellectionis per ſe fœcundum; quæ perfectio ſumma eſt in genere intellectivi. Hinc Doctor Angelicus (Q. 14. a. 2. ☉.) ait: *ipſa ſpecies intelligibilis eſt ipſe intellectus Divinus, & ſic ſe ipſum, per ſe ipſum*

intelligit. Et eadem q. a. 5, ⊙. *alia autem a ſe non videt in ipſis, ſed in ſe ipſo, in quantum eſſentia ſua continet ſimilitudinem aliorum ab ipſo;* & ibidem ad 2: *ea vero quæ ſunt alia a Deo, intelliguntur a Deo, in quantum eſſentia Dei continet ſpecies eorum.* Quod alterum ſpectat; dubitari non poteſt, omne, quod Deus cognoſcit (ſeu ſit increatum, ſeu creatum) ſe habere ut rationem cognoſcendi, ut conditionem objectivam, quæ determinet intellectum Divinum indifferentem ad hoc, vel illud cognoſcendum; quod autem ita ſe habet, objecti formalis, & motivi intelligendi pure objectivi appellationem meretur. Quod ipſa veritas cognita ejusmodi ratio, aut conditio ſit, manifeſta P. P. teſtimonia oſtendunt. Juſtinus q. 58. ait: *nec eſt cauſa ejus, quod futurum eſt, prænotio, ſed quomodo futurum eſt, cauſa eſt prænotionis: neque enim prænotionem ſequitur, quod futurum eſt, ſed quod futurum eſt, prænotio.* Origenes l. 7. in Ep. adRom. c. 8: *non propterea*, inquit, *erit aliquid, quia id ſcit DEUS futurum; ſed quia futurum eſt, ſcitur a DEO, antequam fiat.* Hieronymus in 6. Iſaiæ: *non quod præſcientia DEI vaſtitatis cauſam attulerit, ſed quod vaſtitas futura DEI majeſtati prænota ſit.* Denique Auguſt. l. 5. de Civ. Dei c. 10: *neque enim ideo peccat homo, quia DEUS illum peccaturum præſcivit, qui ſi nolit, omnino non peccat; ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſcivit.* Et de Gen. ad lit. c. 32. *cognitio fieri non poteſt, niſi cognoſcenda præcedant: præcedit cognitionem, quidquid cognoſci poteſt; niſi enim prius ſit, quod cognoſcatur, cognoſci non poteſt.*

Neque opponi poteſt 1. ſpeciem intelligibilem eſſe virtualem objecti repræſentationem, qui conceptus videtur notare imperfectionem; nam ſpecies ex genere ſuo non eſt virtualis phyſica objecti imago, quod omnino imperfectionem includeret; ſed præſcindit ab eo, utrum phyſice, an intentionaliter, ſit virtualis imago; eſt proinde duntaxat fœcunditas intel-

telligendi, & quidem pure logica reſpectu Dei, nempe pura cognoſcendi capacitas, phyſica reſpectu creaturæ. Simili ratione ſpecies intelligibilis ex genere ſuo nec dicit eſſe complementum intellectus phyſicum, nec mere logicum, ſed ab utroque præſcindit: complet nempe pure logice Intellectum Divinum, phyſice etiam intellectum creatum. Neque dici poteſt II. hac ratione etiam in Deo admitti debere memoriam proprie dictam; nam ex eo quod admittatur ſpecies intelligibilis, ſequitur omnino dari etiam memoriam: ſi nempe ſumatur ut ſecreta ab omni imperfectione pro pura ſpecie intelligibili objecti, quod jam ſemel eſt cognitum; non tamen ſi accipiatur pro capacitate redeundi ad præteritam aliquam cognitionem, aut excitandi ſpecies jam conſopitas, vel pro intelligendi habitu, ſeu facilitate cogitandi de objecto aliquo per repetitos actus acquiſita: de priore igitur, non hac memoria agit Auguſtinus l. de prædeſt. & gratia c. 5. ita loquens: *DEUS omnium rerum tam præteritarum memoria, quam imminentium ſcientia plenus eſt.* Neque objici poteſt III. rationem, cur Deus objecta cognoſcat, non ſe tenere ex parte objecti, ſed ex parte Dei; cum Deus ob omniſcientiam ſuam ſit de ſe determinatus ad intelligendam omnem veritatem. Nam etſi omniſcientia Divina ſit quidem Unica determinatio ſubjectiva intellectionis ad cognoſcendam omnem veritatem, non tamen eſt determinatio objectiva: Intellectus enim de ſe eſſentialiter determinatus ad cognoſcendam quamlibet veritatem, nunc hanc, & non aliam cognoſcit, quia hæc eſt, & non alia veritas. Eſt quidem veritas objectiva conditio, qua poſita Intellectus Divinus ad illam cognoſcendam abſolute eſt determinatus; ſed tamen abſoluta hæc determinatio ab ipſa veritate cognita intrinſece conſtituitur; cum denominatio cognoſcentis hoc, illudve objectum non ſit adæquate intrinſeca Divino intellectui; nam hujus denominationis forma eſt habitudo, eſt ratio, eſt modus reſultans ex intellectione Divina,

 &

& objectiva veritate, quam hoc modo, hac ratione, hac habitudine intellectio Divina reſpicit. Neque IV. ex hac doctrina ſequitur, intellectionem, qua Deus cognoſcit res creatas, non eſſe tam perfectam, quam illam, qua ſe ipſum cognoſcit: Nam cognitionis perfectio non deſumitur ab objecto formali ſecundum ſe ſpectato, ſed ut applicato per ſpeciem intelligibilem: cum igitur DEUS, etiam dum creaturas cognoſcit, moveatur ad hanc cognitionem a creaturis ut applicatis per ſpeciem increatam ab ipſo, eaque ſpecie, qua ſe ipſum cognoſcit, indiſtinctam, cognitio, ad quam determinat creatura, erit æque Divina, æque perfecta, quam cognitio, ad quam determinat ipſa eſſentia Divina. Demum ſi de Divina, de cujus dotibus hactenus egimus, ſcientia quæratur, utrum diſcurſiva ſit, an judicativa? D. Thomas q. 14. a. 7. ☉. copioſe, multiſque argumentis probat, eam diſcurſivam non eſſe; præcipuum ejus argumentum paucis inſinuare juvat. In ſcientia diſcurſus eſt progreſſus a noto ad ignotum, vel ſaltem a magis noto ad minus notum, atque adeo importat vel ſucceſſionem cognitionum, vel ignorantiam, aut minorem notitiam: hæc vero omnia in ens perfectiſſimum convenire non poſſunt. Quo tamen non obſtante Scientia Divina eſt judicativa, qua nempe Mens ſuprema certa redditur de veritate objecti: Scientia enim ex genere ſuo eſt cognitio certa, ac evidens tum effectus, tum cauſæ, tum mutuæ connexionis; quæ ſi eſt cognitio effectus per cauſam prius cognitam, ſeu effectus ex cauſa, eſt diſcurſus, Deoque repugnat; ſin vero eſt cognitio effectus per cauſam, vel in cauſa ſimul cognita, ſimplex eſt utriuſque intuitus, judicium eſt certificans de veritate objecti, quale DEO neceſſario eſt tribuendum.

CAPUT II.

DE REBUS DIVINÆ SCIENTIÆ SUBJECTIS.

Scientiæ omni, cognitionique res ex adverſo cognita reſpondet, hoc eſt τῇ ἐπιςήμῃ τὸ ἐπιςητόν. Quare poſt explicatam Dei ſcientiam conſentaneum eſt, de iis rebus agere, circa quas ſcientia iſta verſatur, duplex autem generatim cognitionis Divinæ objectum ſecerni poteſt, primarium & ſecundarium: primarium eſt ipſemet Deus, quantus quantus eſt; ſecundarium res creatæ, & quæ in eis ſunt: Quæ vero a Déo diſtincta ſunt, ea ſunt bona, aut mala, præterita, præſentia, & futura. Ut igitur ordine progrediamur, ſit

§. I.

Oſtenditur DEUM ſe ipſum cognoſcere, & ſingillatim omnes creaturas ſeu poſſibiles, ſeu exiſtentes, omnia ſecreta cordis, omnia mala ſeu pœnæ, ſeu culpæ.

VI. Deum ſui ipſius intelligentia præditum eſſe, eleganti, eaque neceſſaria collectione concludunt Platonici, quorum interpres eſt Alcinous c. 10. Ita loquens: *quoniam autem prima mens præſtantiſſima eſt; neceſſe eſt, præſtantiſſimum ei intelligibile propoſitum eſſe. Nihil autem ſe ipſa præſtantius habet: quare ſemetipſam, notionesque ſuas ſemper intelliget.* Subſcribit ex eadem familia Plotinus, qui Enn. 5. l. 3. c. 13. ait, *hoc proprie eſſe intelligere, ſe ipſum cognoſcere.* Idem ſenſiſſe Ariſtotelem, etſi in ſecundo magnorum moralium c. 15. contrarius videatur, oſtendit doctiſſimus Petavius Dogmat. Theolog. l. 4. c. 3. ſed omiſſis gentilibus apud Chriſtianos res eſt exploratiſſima, Deum perfecte ſe, & in ſe univerſa cognoſcere. *Sicut novit me Pater*, inquit increata Sapientia Joan. 10. *& ego agnoſ-*

agnoſco Patrem. Quæ DEI ſunt, inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. 2. *nemo cognovit, niſi Spiritus DEI.* Et paulo ſupra: *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda DEI.* Id quod nemo melius, atque ſubtilius declaravit, quam Auguſtinus: *novit*, inquit l. 15. de Trin. c. 14. *omnia DEUS Pater in ſe ipſo: novit in Filio, ſed in ſe ipſo tanquam ſe ipſum; in Filio tanquam verbum ſuum, quod eſt de his omnibus, quæ ſunt in ſe ipſo. Omnia ſimiliter novit & Filius: in ſe ſcilicet tanquam ea, quæ nata ſunt de iis, quæ Pater novit in ſe ipſo. In Patre autem tanquam ea, quæ de quibus nata ſunt, quæ ipſe Filius novit in ſe ipſo.* Sed & omnia alia a DEO diſtincta, quantumvis exigua, & abjecta, non confuſe, & univerſe duntaxat, ſed diſtincte, & ſigillatim ſub Divinam cognitionem cadunt; quod rurſum ſacræ literæ paſſim, ac luculenta prædicatione commendant. Inprimis enim Gen. c. 1. in ipſa rerum origine ſigillatim opera ſua contemplatus dicitur DEUS, ac vidiſſe unumquodque eſſe bonum. Iisdem perfectis, *vidit*, inquit, *Deus cuncta, quæ fecerat; & erant valde bona.* Qui quidem contuitus DEI exactam rei cujusque notitiam, approbationemque ſignificat. Item Job. 28. præclare ſcientia hæc eadem illuſtratur: *tempus*, ait, *poſuit tenebris, & univerſorum finem ipſe conſiderat, lapidem quoque caliginis, & umbram mortis.* Et poſtea: *ipſe fines mundi intuetur; & omnia, quæ ſub cælo ſunt, reſpicit.* Pſ. 137: *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit; & alta a longe cognoſcit.* Preſſius hoc, & ſubtilius Eccleſiaſtici liber explicat: *omnis*, inquit C. 1. *ſapientia a Domino eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævum. Arenam maris, & pluviæ guttas, & dies ſeculi quis dinumeravit? altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* quæ omnia perveſtigari ab ſapientia docet, cujus auctor, conditorque eſt DEUS; itaque ſubjicit: *unus eſt altiſſimus creator omnipotens . . . ipſe creavit illam in Spiritu Sancto; & vidit, & dinumeravit, & menſus eſt.*

VII.

VII. Nominatim vero de rebus poſſibilibus, de hominibus, eorumque ſecretis cogitationibus, atque actionibus ſeu bonis, ſeu malis, innumera ſunt ſcripturæ teſtimonia, quæ horum ſingula cognoſci a Deo, dijudicarique confirmant. De rebus poſſibilibus teſtatur Eccleſiaſticus 23. his verbis: *Domino Deo, antequam crearentur, omnia ſunt agnita.* Et Apoſtolus Rom. 4. *vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt.* Si ita eſt, tam novit ea, quæ non ſunt, quam ea, quæ ſunt: quæ enim non cognoſcuntur, vocari nequeunt. De ſecretis cordium dicitur 1. Reg. 16: *homo videt ea, quæ parent: Dominus autem intuetur cor.* 1. Paral. 28: *omnia corda ſcrutatur Dominus & univerſas mentium cogitationes intelligit.* Pſ. 7. *ſcrutans corda, & renes DEUS.* Sexcenta alia per omnes ſcripturæ libros ſunt ſparſa, quæ referre hic non attinet. Ex quibus impietatis, ac perfidiæ voces ejusmodi convincuntur Pſ. 72: *quomodo ſcit DEUS; & ſi eſt ſcientia in excelſo?* quando (teſte Ambroſio l. 1. de off. c. 14.) *fruſtra latere aliquis ſe credit, cum oculus Domini lucidior ſole occulta omnia deprehendat, tenebroſa illuminet, & intimi cordis penetret conſcientiam, atque in alta, & profunda deſcendat.* De malis naturæ, pœnæ, & culpæ loquitur ſcriptura locis ſequentibus. Sap. 8. dicitur: *ſigna, & monſtra ſcit, antequam fiant.* Eccleſ. 11: *bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honeſtas a DEO ſunt.* Amos. 3: *ſi erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* Gen. 6: *videns DEUS, quod multa malitia hominum eſſet in terra.* Pſal. 68: *DEUS tu ſcis inſipientiam meam; & delicta mea a te non ſunt abſcondita.* Supervacaneum foret, hanc veritatem, adeo in ſcripturis expreſſam, variis S. S. P. P. Clementis potiſſimum Alexandr. Cyrilli, & Auguſtini (quorum loca adducit Petavius) teſtimoniis munire; unicam duntaxat juvat rationem adferre, qua paſſim nominati P.P. utuntur. Cum infinita ſit Dei ſcientia, nihil certe eſt, quod eam effugiat: ſi quid enim eſſet ejusmodi, jam hoc ipſo terminus ei conſtitueretur aliquis; quippe hoc excepto reliqua ſcire diceretur. Ac profecto minime

DEUS omniſcius haberetur, falſoque de eo ſcriptum eſſet, hunc *omnium habere ſcientiam*, vel *omnia*, *quæ ſub ſeculo ſunt*, *reſpicere:* ſi vel una rerum particula ei foret ignota. Quemadmodum omnipotens non eſſet, ſi res eſſet aliqua, quam facere non poſſet. Porro cum individua etiam, ac ſingularia intelligi, cognoſcique poſſint (neque enim nihil ſunt, ſed res aliquæ, & ad genus τȣ̃ ὄντος pertinent) ſub DEI notitiam neceſſario cadere debent.

VIII. Etſi hæc veritas tam ex fide, quam ratione adeo certa ſit, ut ab homine ſanæ mentis in dubium revocari non poſſit; ex veteribus tamen hæreticis aliqui quasdam difficultates obmoverunt. Inprimis citant ſcripturas aliquas, quibus oſtendi videtur, DEUM ignorare ſecretas cordium cogitationes: ſic Gen. 22. tentavit DEUS Abramum, ut ejus fidem exploraret; unde v. 12. ait: *nunc cognovi*, *quod times Deum.* Igitur antea id ignorabat. Et c. 18. *deſcendam*, *& videbo*, *utrum clamorem*, *qui venit ad me*, *opere compleverint: an non eſt ita*, *ut ſciam*, quæ loquendi ratio dubium indicare videtur. Rurſus in ſcripturis mali perſæpe dicuntur a DEO neſciri. Denique maxime huic doctrinæ oppoſitus eſſe videtur Hieronymus, qui in Comment. ad primum caput Habacuc *abſurdum eſſe ait*, *ad hoc DEI deducere majeſtatem*, *ut ſciat per momenta ſingula*, *quot naſcantur culices*, *quotve moriantur*; *quæ cimicum*, *& pulicum*, *& muſcarum ſit in terra multitudo; quanti piſces in aqua natent; & qui de minoribus majori prædæ cedere debeant.* His ut objectis ſatisfiat, Aio I. ignotam DEO non fuiſſe fidem, antequam eam publico experimento manifeſtam faceret: dixit enim DEUS c. 18: *ſcio*, *quod præcepturus ſit Filiis ſuis*, *ut cuſtodiant viam Domini.* Tentavit igitur virum optimum, non quod neſciret ejus fidelitatem; ſed ex ſapientiſſima providentia & merendi occaſionem ſubminiſtravit, & meriti præſtantiam, quæ alios latebat, palam voluit eſſe manifeſtam. Cum igi-

igitur Deus dixit: *nunc cognovi*, *quod timeas DEUM*, ſignificavit, fidem Abrami publico experimento tunc omnibus apertam patuiſſe. Rurſum dicitur Deus deſcendere, ut videat clamorem & ſcelera Sodomorum, non quod illa ignoraret, ſiquidem v. 20. dixerat: *Clamor Sodomorum multiplicatus eſt;* ſed ad doctrinam noſtram ita loquitur ſcriptura, ut ſignificet, judicibus accurate, ac omnibus depoſitis præjudiciis propriis examinanda eſſe reorum ſcelera. Aio II. eum Hebræorum loquendi eſſe morem, ut *ſcire* idem plerumque ſit, quod amare; & *neſcire* idem, quod odio habere, & procul a ſe abjicere. Demum Hieronymus citatus non de ſcientia pura eſt intelligendus; ſed de peculiari illa ſcientia, quæ providentia dicitur, ut ex iis, quæ ante, poſtve ſcripſit, apparet. Non voluit D. Doctor, Deum ignorare minuta aliqua, ſicque omniſcium non eſſe; negavit duntaxat, Deum minutiſſima hæc ita videre, ut videt res hominum, cum ea nempe ſingulari cura, exquiſitaque providentia, ac ſalutis procuratione; ſignificant id ſatis verba ſtatim ſubjuncta: *non ſimus tam fatui adulatores Domini*, *ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus*, *in nos ipſos injurioſiſimus*, *eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam eſſe dicentes.*

§. II.

An in DEO ſcientia ſit futurorum?

Quamquam univerſe conſtitutum eſt, omnium rerum penes Deum eſſe notitiam; eſt tamen propria quædam de futuris inquiſitio, quæ ad illam, de qua altera controverſia agemus, prædeſtinationem explicandam præmunire nos debet. Sermo autem hic præcipue eſt de futuris contingentibus, ac liberis, qualia ſunt bona, vel mala hominum opera, quæ rurſus ſpectari poſſunt vel abſolute, vel conditionate futura;

libera abſolute futura ea dicuntur, quæ aliquando erunt, etſi poſſint eſſe, vel non eſſe: futura conditionata ea ſunt, quæ erunt ſub conditione aliqua vel aliquando implenda, vel non implenda. Horum omnium quæritur, an DEUS habeat certam, ac infallibilem notitiam? Perdifficilis hæc ſemper eſt viſa quæſtio, ob conſenſum Divinæ præſcientiæ cum libero voluntatis motu atque propterea in graviſſimos errores prolapſa ſunt humana ingenia non ſolum imperitorum, ſed etiam doctiſſimorum. Ex horum numero inſignis eſt maxime Tullius, qui l. 2. de Divinat. omnem futurorum hujus generis notitiam adimit DEO, ut liberum arbitrium ſervet. Nempe ut obſervat Auguſtinus (l. 5. de Civ. Dei c. 9.) *utrumque arbitrabatur eſſe non poſſe; ſed ſi alterum confirmetur, alterum tolli. Si elegerimus præſcientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium* . . . *ipſe igitur, ut vir magnus, & doctus ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium; quod ut confirmaretur, negavit præſcientiam futurorum: atque ita dum vult facere liberos, fecit ſacrilegos.* Aliter Deo hujus univerſitatis conditori præſcientiam denegandam eſſe pugnabat impius Marcio: *ſi DEUS bonus* (inquit apud Tertull. l. 2. contra Marc. c. 5.) *& præſcius futuri, & avertendi mali potens, cur hominem, & quidem imaginem, & ſimilitudinem ſuam, & ſubſtantiam ſuam, per animæ ſcilicet ſenſum, paſſus eſt labi de obſequio legis in mortem, circumventum a Diabolo? Si enim & bonus, qui evenire tale quid nollet; & præſcius, qui eventurum non ignoraret; & potens, qui depellere valeret, nullo modo eveniſſet, quod ſub his tribus conditionibus Divinæ majeſtati evenire non poſſet. Quod ſi evenit, abſolutum eſt e contrario DEUM neque bonum credendum, neque præſcium, neque potentem.* Meminit & iſtius Marcionis calumniæ Hieronymus l. 3. contra pelag. Sociniani quoque certam horum futurorum notitiam Deo ineſſe inficiantur, voluntque iſta e veroſimilibus duntaxat conjecturis eidem eſſe perſpecta. Ita Socinus in Prælect. c. 11. & Crellius in

c. 6.

c. 6. Epiſt. ad Rom. in Problematibus Tomo 4. Contra hos ſit.

ASSERTIO. I.

Datur in DEO certa futurorum notitia, neque hæc pugnat cum libertate humana.

IX. Probatur ſcripturis, & antiquorum P.P. teſtimoniis, quæ copioſe collecta apud Petavium Theol. Dogm. de Deo l. 4. c. 6. videre poteris. Eccleſ. 23. dicitur: *Domino DEO, antequam crearentur, omnia ſunt agnita.* Pſ. 138: *intellexiſti cogitationes meas de longe.* Iſ. 48: *ſcio, quia prævaricans prævaricaberis, & tranſgreſſorem ex utero vocavi te.* Hinc Tertull. in Apolog. c. 20. *idoneum teſtimonium Divinitatis*, inquit, *veritas divinationis.* Et Auguſt. l. 5. de Civ. Dei c. 9. *confiteri eſſe DEUM, & negare præſcium futurorum, apertiſſima inſania eſt.* Idem Origenes apud Euſeb. l. 6. de præparatione aptiſſime declarat, & locum illum Danielis (*DEUS æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia, antequam fiant.* 13.) adferens futurorum aliquot prædictiones ſubjicit, quæ in ſcripturis expreſſæ certiſſimum exitum habuerunt; cujusmodi argumentorum per utriuſque teſtamenti paginas perpetua eſt copia. Hinc apud Iſ. Dominus, ad falſos convincendos Deos, ipſam hanc Divinitatis notam objicit: *accedant, & nuntient nobis, quæcunque ventura ſunt* &c. *annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dii eſtis vos.* Unde hanc præſcientiam tantos habere teſtes ſcribit Tertull. quantos fecit prophetas; veros utique, non falſiloquos, aut temere divinantes, quales inter ethnicos non pauci fuerunt. Quam rationem Cyrillus Alex. l. 4. in Iſ. Orat. 2. egregie illuſtravit; ut habet Petavius loc. cit. Quod autem conſenſum libertatis humanæ cum Divina præſcientia attinet, eum jam dudum elucidarunt Auguſtinus, Boetius, Origenes, Anſelmus Quilel-

mus Pariſienſis, ex quibus primum adverſus Ciceronem, Stoicoſque egregie diſputantem audire juvabit.

Omnis D. Doctoris ratio ad duo capita revocari poteſt. Primum enim negat omnem neceſſitatem libertati voluntatis obſtare. *Eſt altera*, inquit, l. 5. de Civ. Dei c. 10. *quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiam ſi nolumus, efficit, quod poteſt; ſicut eſt neceſſitas mortis.* Quæ quidem cum libertate pugnat. Altera eſt, ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe, ut fiat aliquid, vel ita fiat, ut *cum dicimus neceſſe eſſe, ut cum volumus, libero velimus arbitrio, & non ideo liberum arbitrium neceſſitati ſubjicimus, quæ adimat libertatem.* Hæc Auguſtinus, cujus verbis neceſſitas illa libertati contraria eſſe monſtratur, quæ ad unum aliquid definita eſt, ac determinata, tam ratione facultatis, ſive poteſtatis, quam actionis ipſius. Sic moriendi neceſſitas ejusmodi eſt, ut neque vivens mori non poſſit, neque non ſit moriturus; nam & cauſas in ſe habet moriendi neceſſarias, & re ipſa aliquando morietur. At eſt alia neceſſitas, quæ in facultate ipſa eſt abſoluta, in actione vero minime determinata; ut neceſſe eſt homini voluntate velle, vel nolle, quia naturalis, & inſita eſt facultas iſta: non eſt tamen volendi actio ipſa, vel nolendi neceſſaria. Verum de hac ipſa actione rurſum inquiritur, cur neceſſaria non ſit, ſi neceſſario præſcitur a Deo. Ac neceſſarium quidem illud a Tullio, contra quem diſputat Auguſtinus, cenſetur, quod certum habet ordinem cauſarum, in quo Stoici fati rationem reponebant. *Si ergo præſcita omnia ſunt futura* (inquiebat Cicero) *hoc ordine venient, quo ventura eſſe præſcita ſunt. Et ſi hoc ordine venient, certus eſt ordo rerum præſcienti DEO. Et ſi eſt certus ordo rerum, eſt certus ordo cauſarum. Non enim aliquid fieri poteſt, quod non aliqua efficiens cauſa præceſſerit. Si autem certus eſt ordo cauſarum, quo fit omne, quod fit, fato, inquit, fiunt omnia, quæ fiunt.* Hæc ita nectenti Tullio Augu-

guſtinus occurrens, *non eſſe conſequens*, ait, *ut ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſarum, ideo nihil ſit in noſtræ voluntatis arbitrio. Et ipſæ quidem noſtræ voluntates in cauſarum ordine ſunt, qui eſt certus DEO, ejusque præſcientia continetur . . . atque ita omnes qui rerum cauſas præſcivit, profecto in eis cauſis etiam voluntates noſtras ignorare non potuit, quæ noſtrorum operum cauſas eſſe præſcivit.* Quocirca non fiunt propterea neceſſario, quæ libere nos agimus; etſi DEUS illa neceſſario prævidit; quia prævidendo voluntates noſtras præſcivit ea ſponte eſſe facturas, ſicut & nos cum libere aliquid facimus, id neceſſario mente, intelligentiaque cognoſcimus; etſi neceſſario non facimus. Eandem rationem clarius exponit D. Doctor l. 3 de libero arbit. c. 4. *ſicut non ſibi adverſantur hæc duo*, ait, *ut tu præſcientia tua noveris, quod alius ſua voluntate facturus eſt: ita DEUS neminem ad peccatum cogens, prævidet tamen eos, quia propria voluntate peccabunt.* Rurſus: *ſicut tu memoria tua non cogis facta eſſe, quæ præterierunt, ſic DEUS præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt.* Altera Auguſtini ratio his verbis continetur: *neque enim ideo peccat homo, quia DEUS illum peccaturum præſcivit.* Non igitur res ideo ſunt futuræ, quia DEUS eas præſcivit, quaſi ejus præſcientia ſit ratio, & cauſa futuritionis; ſed ideo potius DEUS eas præſcivit, quia futuræ ſunt; DEI enim præſcientia res futuras non facit, ſed ſupponit. Ex quibus facile intelligitur, qualem Divina ſcientia inducat neceſſitatem, non illam abſolutam, & ut vocant antecedentem; ſed hypotheticam duntaxat, & conſequentem liberam voluntatis determinationem, quam DEUS liberam futuram eſſe cognovit.

ASSER-

ASSERTIO II.

DEUS novit etiam certa ſcientia futura conditionata.

X. Aſſertio hæc teſte Petavio certiſſima eſt (etſi eam veteres Thomiſtæ teſtante Ledeſma in opere de Auxiliis Diſp. 2. Conzales p. 1. Diſp. 44. & Gabriele Pennoto in propugnaculo humanæ libertatis l. 3. c. 26. communiter negarint) irrefragabilia enim pro hoc dogmate ſunt & ſcripturæ, & P.P. teſtimonia, ſimulque ab his ea in defenſionibus Divinæ providentiæ contra infideles proferuntur argumenta, ut quomodo oppoſitam opinionem ab omni errore immunem pronunciare poſſimus, minime appareat. Ac Deum quidem eventa illa noſſe, quæ ſub aliqua conditione futura erant, & ideo non ſunt facta, quia conditio illa defuit, pluribus exemplis, ac ſententiis ſcriptura perſuadet. Primum habetur 1. Reg. c. 23. cum David in urbem Ceilam fugiſſet, & Saul ad urbem obſidendam, Davidemque capiendum accederet, ſic Dominum interrogavit David: *Si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui mecum ſunt, in manus Saul? & reſpondit Dominus: tradent.* Interrogatio eſt de futuro, & quidem conditionato, ſi nempe ibi maneret David; conditio autem illa ponenda non erat: & tamen reſpondit Dominus: *tradent.* Igitur hoc futurum noverat. 4.Reg. 13: cum Deus decreviſſet Regi Joas tot victorias concedere adverſus Syros, quot vicibus jaculo percuſſiſſet terram, & Eliſeo jubente, ut terram percuteret, ter tantum percuſſiſſet; iratus eſt vir Dei contra illum, & ait: *ſi percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſive ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem.* Hæc cognitio certe erat futuri conditionati nunquam eventuri. Matth. 11. v. 21: *væ tibi Corozain*, inquit Chriſtus, *væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in Cilicio, & cinere pænitentiam egiſſent.* Ubi agitur de futura con-

converſione Tyriorum, & Sidoniorum ſub conditione, ſi nempe Chriſti miracula vidiſſent. Sap. c. 4: *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Quibus ex verbis colligit Auguſtinus, quosdam ſingulari Dei beneficio ex hac vita immatura morte ſubtrahi, quos, ſi diutius viverent, gratia, & ſalute privandos eſſe præſcivit. Hoc enim *donum Dei* eſſe ait l. de Corrept. & Grat. c. 8. *ut finiat homo vitam iſtam, antequam ex bono mutetur in malum; cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorari.* Oportet ergo Deo notum id fuiſſe, quod revera non contigit; contigiſſet autem, ſi vitam longius produxiſſet. Ejusmodi alia paſſim ſunt loca in ſacris libris contenta, quibus conſentiens eſt ingens P.P. Græcorum, latinorumque numerus, e quibus unicum in medium adferam.

Eſt autem cumprimis diſertus Gregorii Nyſſeni locus ex oratione de infantibus (T. 2. p. 764.) qui acerba morte ex hac vita ſubtrahuntur; de quibus eadem expromit, quæ in citato ſapientiæ loco ſcriptura docuit: nempe *Divinæ eſſe providentiæ, ejuſque perfectæ, non ſolum contractos mutare morbos; ſed etiam, ne omnino quiſpiam in illiciiis verſetur, proſpicere.* Cujus rationem ſic reddit, ut certiſſime dicat ſcire Deum, quid futurum eſſet, ſi longius ætatem duceret. *Eſt enim conſentaneum, ab illo (qui æque futurum novit, ac præteritum) prohiberi parvuli progreſſionem ad perfectam ætatem; ne malum illud, quod præſciens illa vis, & facultas cognoverit, in eo, qui victurus eſſet ita, perficiatur: atque ei, qui ea voluntate, arbitrioque victurus fuiſſet, materia nequitiæ vita fiat.* Hic ſane Gregorius oſtendit, non probabilem, nec incerto velut exitu ſuſpenſam, ac dubiam in Divina notitia verſari animi inductionem, non modo quæ potuit eſſe; ſed quæ re ipſa fuiſſet, ſi diutius vixiſſent. Tam enim nota eſſe futura ejusmodi dicit, quam ſunt ea, quæ præterita ſunt: at hæc perfecte, diſtin-

ctæque cognita Deum habere, nemo diffitetur: Prorſus ergo etiam illa futura ſine ambiguitate novit. Deinceps ſimilitudine quadam hoc declarat Gregorius ab convivii magiſtro ſumpta, qui certos prævidens crapula, & ebrietate lædendos eſſe, arcet a convivio; tum ſic colligit: *hoc ipſum eſt, quod dico, perfectæ providentiæ opus eſſe, ut non ſolum conflatæ jam affectiones curentur; ſed etiam antequam ſunt conflatæ, prohibeantur. Quod & nos de infantium morte opinati ſumus; nempe illum, qui ratione omnia gubernat, pro ſua benignitate materiam improbitati ſubtrahere: dum ei voluntati, quam præſciente omnia vi ſua cognovit, tempus non tribuit, ut re ipſa, factiſque ſe ſuis in ſumma illa improbitate monſtraret.* Similia habent S. Joan. Chryſoſt. l. 1. ad Stagirium; S. Cyrillus Alex. l. 3. contra Julian. de lapſu Adami; S. Proſper in Reſp. 8. ad excerpta Genuenſium; & Greg. M. l. 33. Mor. c. 17.

§. III.

Reſolvuntur momenta adverſariorum.

XI. Opp. I. Nonnulli ex ipſis antiquis negare videntur eſſe in Deo veram præſcientiam. Ita S. Aug. l. 2. ad Simpl. q. 2. Greg. M. l. 20. Mor. c. 23. Boetius l. 5. Conſol. Phil. Proſ. 6. Imo ſcripturæ ipſæ, quando ejusmodi futura prædicunt, perſæpe dubitationem præſeferunt; ut cum Jerem. 26. dicitur: *noli ſubtrahere verbum, ſi forte audiant, & convertantur unuſquiſque a via ſua mala.* Sic etiam Deus velut dubitans, primone, an ſecundo, an aliquo ex ſequentibus ſignis vincenda ſit populi Iſraelitici incredulitas, dixit ad Moyſen Ex. 4: *Si non crediderint, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis: quod ſi nec duobus his ſignis crediderint* &c. Item Chriſtus ad Samaritanam Joan. 4. ita ait: *ſi ſcires donum DEI, & quis eſt . . . tu forſitan petiſſes*

ab

ab eo. Rurſus ſi Deus futura mala præſcivit, cur cum potens ſit, ea non impedivit? ut loquitur Marcio apud Tertull. ſupra citatus. Denique hæc præſcientia omnem hominum induſtriam extinguit, & ſocordiam ingenerat: quorſum enim cura illa mortalium, & ſolicitudo in rebus ſuis ſeu hujus, ſeu alterius vitæ promovendis? cum quocunque ſe vertant hominum ſtudia, neceſſe ſit ea evenire, quæ Deus futura præſcivit.

R. Ad primum; citatos veteres præſcientiam in Deo quoad nomen duntaxat negantes, quoad rem minime ſuſtuliſſe; cum ideo *præſcientiam* nominare nollent, quia Deo omnia ſunt præſentia, neque quidquam eſt futurum. Ita D. Auguſt. *quid eſt* (inquit l. cit.) *præſcientia, niſi ſcientia futurorum? quid autem futurum eſt DEO, qui omnia ſupergreditur tempora? ſi enim in ſcientia res ipſas habet, non ſunt ei futuræ, ſed præſentes, ac per hoc non jam præſcientia, ſed ſcientia dici poteſt.* Adjungit & iſtius dicti hanc rationem; *quia niſi Deus futura tanquam præſentia intuetur, bis ea ſentit, uno quidem modo ſecundum futurorum præſcientiam; altero vero modo ſecundum præſentium ſcientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit ſcientiæ DEI, quod falſiſſimum eſt. Nec enim poteſt, quæ ventura prænoſcit, noſſe, cum venerint, niſi bis innoteſcant, & prænoſcendo, antequam ſint, & cognoſcendo, cum jam ſunt.* Quocirca eo delabitur, ut non dicendam putet præſcientiam, ſed ſcientiam; niſi quod reſpectu ad nos habito, uti futuræ ſunt res, ſic earum quoque cognitio præſcientia nominatur: at cum Deo res eædem, & in ejus æternitate ſint præſentes, earundem ſcientia dicitur. Simili modo loquitur Greg. M. & Boetius. Ad alterum aio, hanc vocem *forte* in ſcripturis non ad ſignificandam incertam quandam præſenſionem adhiberi, ſed aliis plane de cauſis, quas S. S. P. P. notant. I. enim Deus ſæpe loquitur more hominum, quibus incertus reipſa eſt eventus, ut obſervat Auguſt. II. ita loquitur, ut doceat homini ſemper arbitrium ſupereſſe,

 ut

ut habet Hier. in c. 26. Jer. III. iſtam loquendi rationem uſurpat, ut rei difficultatem, & hominum pervicaciam demonſtret. Interdum per τῦ *forte* notatur mera aut dubii, aut rei negatio, clarius per τῦ *utique exprimenda.* Ad tertium R. Marcionis objectioni abunde ſatisfeciſſe Tertullianum, duplicem cauſam aſſignando, cur Deus futura mala non impediat; nam Deus hominem liberum condens, eum ſuæ libertati permittit, & tanquam proviſor generalis in manifeſtationem gloriæ, ac juſtitiæ ſuæ hominum peccata convertit. Denique Divina præſcientia inutilem non reddit humanam ſolicitudinem: non enim aliter res prænoſcit, aut definit Deus, quam futuræ ſint; proinde prænoſcit, ac vult ſimul rerum illarum cauſas, & principia. Inter illas porro rerum cauſas induſtria, & labor numerantur; igitur ea ſunt adhibenda.

XII. Opp. II. Loca aliqua S. S. Auguſtini, & Fulgentii, qui affirmant nihil a Deo præſciri, niſi quod reipſa futurum eſt, & in Pelagianis irrident & damnant hanc non futurorum ſcientiam. Sic Auguſtinus quorundam e Secta Pelagii vaniſſimum commentum redarguens, qui dicebant parvulorum animas illas duntaxat ſine baptiſmate ex hac vita ſubtrahi, quas præſcivit, ſi ad ætatem provectiorem perveniſſent, male fuiſſe victuras, inter alia l. 1. de anima, & ejus origine ad Renatum c. 12. hæc habet: *quid quod ipſa exinanitur omnino præſcientia, ſi quod præſcitur, non erit? quomodo enim recte dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum? quomodo ergo puniuntur peccata, quæ nulla ſunt: id eſt, quæ nec vita iſta nondum incipiente commiſſa ſunt ante carnem, nec morte præveniente poſt carnem?* Rurſum l. de prædeſt. S. S. c. 14. eandem fabulam refutat, ac poſtquam locum illum e loco ſapientiæ: *raptus eſt* &c. retulit, ſic loquitur: *dictum eſt enim ſecundum pericula vitæ hujus, non ſecundum præſcientiam DEI, qui hoc præſcivit, quod futurum erat: non quod futurum non erat: id eſt, quod ei*
imma-

immaturam mortem fuerat largiturus, ut tentationum ſubtraheretur incerto: non quod peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet. Fulgentius autem l. 1. de veritate prædeſtinationis, dum eaſdem Pelagianorum nugas evertit, ſimiliter de præſcientiæ illius falſitate præſcribit his verbis: *abſurde dicitur, Deum præſciſſe parvuli futura peccata, quæ futura non eſſent. Neque enim Dominus rerum omnium conditor facienda præſciſſet, quæ facienda non erant. Scimus namque præſcientiam Dei ſic eſſe veram, atque incommutabilem, ut quæ futura præſcit, vere futura ſint.*

R. Cum diſtinctione, S. S. Auguſtinus, & Fulgentius irrident, ac damnant hanc præſcientiam, ſi ſtatuatur ut cauſa prædeſtinationis, & reprobationis, quemadmodum commenti ſunt Pelagiani; concedo: ſimpliciter conſideratam; nego. Præ oculis habendum eſt utriuſque Patris his in locis inſtitutum. Agebant nempe adverſus Pelagianos, & Semipelagianos, qui dicebant prædeſtinationem humani arbitrii meritis rependi; & cum urgerentur exemplo infantium, qui merito pares, occulto tamen judicio ita a Deo ſecernuntur, ut alii ex hac vita ſine baptiſmate decedant, alii contra baptiſmum, ac ſalutem conſequantur, reſpondebant tales perdi, & tales ſalvari, quales futuros illos in annis majoribus, ſi ad activam ſervarentur ætatem, ſcientia Divina præviderit; proinde a Deo omnium præſcio in iis, qui baptiſmate fraudantur, futura peccata puniri, in aliis futura bona opera mercede donari. *In tantum*, inquit Proſper in Ep. ad Auguſt. *quibuſcunque commentitiis meritis electionem DEI ſubjiciunt, ut quia præterita non extant, futura, quæ non ſint futura, confingant, novoque apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſint, & præſcita non acta ſint.* Eo ergo reſpicit D. Auguſtinus, & loco cit. præſcientiam abſolutam intelligit; talem certe, ex qua repræſentari jure pœna poſſit; cujusmodi non debet eſſe conditio-

 nalis

nalis illa, ob quam juſte nemo plectitur. Nam Pelagiani iſti ſecum ipſi turpiter diffidentes, cum præſcientiam illam verbo tenus conditionalem facerent, re tamen, & uſu abſolutam eſſe monſtrabant, eo quod conditionatis illis peccatis reipſa labem abſolutam inuri parvulis, eamque videri, punirique a Deo judicarent. Negavit igitur Auguſtinus Pelagianam ejusmodi præſcientiam, quæ cum rerum ponatur eſſe non futurarum, re tamen, & uſu futurarum, adeoque abſoluta ſtatuitur. Eadem ratione Fulgentius negavit non prorſus notitiam rerum ejusmodi, quæ poſita conditione forent; ſed abſolutam ſcientiam, ex qua ſola id poſſit fieri, quod Deum ex illa præſcientia facere Pelagiani putabant.

XIII. Opp. III. Scientia conditionatorum, illorum præſertim, quæ ob conditionem non implendam nunquam futura ſunt, varios defectus, ac imperfectiones involvit. I. Hæc cognitio: *ſi Adam obediret, fieret caput juſtitiæ originariæ*, videtur continere compoſitionem aliquam ex conditione, & conditionato, imo ſuſpenſionem, hæſitantiam, & abſtractionem in mente Divina, quæ omnia, ſicut in humanis, ignorantiam arguunt. II. Cognitio de conditionata Tyriorum pænitentia, ſi nempe Chriſtus eis prædicaſſet, certa non poteſt eſſe, ac infallibilis; cum objectum hujus ſcientiæ contingens ſit, & fallibile. III. Abſurdum eſt, formare judicium hypotheticum de re aliqua, de qua habetur judicium abſolutum. Atqui Deus, in cujus conſpectu omnia nuda ſunt, & aperta, habet judicia abſoluta de rebus omnibus: ſic abſolute videt Tyrios non agere pœnitentiam, & apud illos non fieri miracula, quæ apud Judæos ſunt facta: igitur abſurdum erit Deo tribuere judicium hypotheticum, quo judicet, Tyrios converſum iri, ſi apud illos fierent prodigia. Singulis ut ſatisfaciamus, R. ad primum; ſcientiam conditionatorum non importare compoſitionem aliquam; quia Deus unico, & ſim-

ſimpliciſſimo intuitu ex parte modi cognoſcendi videt, quæ plura ſunt, & compoſitionem habent ex parte objecti. Neque continet etiam hæc cognitio ſuſpenſionem, aut apprehenſionem quandam; cum licet illa cognitio in allato exemplo, ut ad objectum pure conditionatum præciſe terminata, nec judicet exiſtentiam obedientiæ, nec abſolutam prærogativæ capitis exiſtentiam; tamen eam judicat, affirmatque de Adamo ſub conditione. Hinc neque abſtractionem quandam dicit, neque præciſionem re ipſa, & pro ſtatu reali; cum Deus eodem omnino actu a ſe indiſtincto & veritatem conditionatam, & reliqua omnia inde derivanda, pro diſtinctis tamen per mentem noſtram ſignis, cognoſcat. Humanæ cognitiones conditionatæ aliquam ſemper ex parte conditionis important ignorantiam; cum homo tunc nihil cognoſcat aliud, quam quod ipſa contingens veritas explicat: Divina cognitio entitative, & in ſe eſt ſimul ſcientia viſionis, qua alia omnia in alio ſigno viſibilia videntur; etſi ea veritas conditionata non explicet, adeoque licet ea in ſigno objecti conditionati non videat, ſed ab iis præſcindat. Ad alterum aio, ſcientiam Divinam non obtinere infallibilitatem ſuam ab objecto; ſed eam habere a perfectione intellectus ſupremi, qui cum habeat infinitam in cognoſcendo perſpicaciam, eadem certitudine intuetur contingentia, ac libera, qua neceſſaria; nam etſi objectum conditionatum ſit liberum, ſit contingens, certo tamen, & infallibiliter cognoſcitur ex ſuppoſitione, quod ſit futurum. Ad tertium denique R. Deum non formare judicia ſeu abſoluta, ſeu hypothetica: hic enim intelligendi modus imperfectionem involvit. Simplici igitur intuitu cognoſcit veritatem judiciorum ſive abſolutorum, ſive hypotheticorum; imo intuens Deus veritatem abſolutam, non poteſt non ſimul intueri veritatem conditionatam; cum hæc æque ſit cognoſcibilis, ac illa: ſic Deus videns hanc veritatem: *Petrus interrogatus ab ancilla, negabit Chriſtum*, non poteſt non videre iſtam:

ſi

ſi Petrus interrogaretur ab ancilla, negaret Chriſtum: hæc enim veritas ex illa neceſſario conſequitur. Verum de hoc infra uberius.

CAPUT III.

QUOMODO, ET QUO IN MEDIO DEUS COGNOSCAT SE IPSUM, ET RES POSSIBILES?

XIV. Quæ hactenus de Scientiæ Divinæ proprietatibus, ac objecto allata ſunt, adeo explorata ſunt, & ſcripturarum, ac S. S. P. P. teſtimoniis ſtabilita, ut vix ſine ingentis erroris periculo in dubium revocari poſſint. Ea vero, quæ deinceps dicentur de medio, quo Deus cognoſcat omnia, inter ipſos Theologos ſunt controverſa, magniſque difficultatibus obnoxia; ut adeo ipſe myſteriorum alioquin Divinorum peritiſſimus Auguſtinus in Pſ. 49. dicere non dubitarit: *Ne forte hoc a me fratres expectetis, ut explicem vobis, quomodo cognoſcat Deus; hoc ſolum dico, non ſic cognoſcit ut homo, non ſic cognoſcit, ut Angelus: & quomodo cognoſcit, dicere non audeo, quoniam & ſcire non poſſum.* Nobis hoc loco propoſitum eſt, ab inanibus, & curioſis ſcholaſticorum quorundam quæſtionibus abſtinere, eaque duntaxat tractare, quæ ad explicanda graviſſima Divinæ gratiæ, prædeſtinationis, reprobationis, libertatis humanæ myſteria plane opportuna videbuntur. Cum autem ex triplici ſcientia N. 3. explicata, in Deo prima concipiatur illa, quæ naturalis, neceſſaria, & a D. Thomâ *ſimplicis intelligentiæ* dicitur; idcirco de hac initium faciemus. Jam vero præprimis ſciendum eſt, aliud eſſe rem cognoſcere in ſe, aliud rem cognoſcere in alio, aliud rem cognoſcere ex alio. Res in ſe cognoſcitur, quæ per

ſe

ſe ipſam determinat ad ſui cognitionem; in alio cognoſcitur, ſi illud aliud determinet intellectum ad cognitionem hujus ſimul rei repræſentativam; res denique ex alio cognoſcitur, ſi aliud determinet ad rem illam diſtincta cognitione percipiendam. Cum autem generale, certumque principium hic obſervandum ſit, ut omnis pura perfectio Deo tribuatur, dicaturque Deus neceſſario cognoſcere, quidquid cognoſci poteſt, & eo modo, quo cognoſcibile eſt absque imperfectione cognoſcentis, facile quiſque intelliget, Deum ex alio nihil cognoſcere poſſe; nam ut ſupra eſt explicatum, non poteſt ens perfectiſſime cognoſcens tranſire de una ad aliam cognitionem, atque ex noto aliud ignotum deducere; eadem cognitione, qua comprehendit aliud, jam in illo alteram illam inde deducendam veritatem contuitus. Unde quæſtio ſupereſt, utrum, & quomodo Deus ſe ipſum, reſque poſſibiles vel in ſe ipſo, vel in alio medio intueatur?

XV. Ac primo quidem Deum ſe ipſum in eſſentia ſua perfectiſſime, ſeu ut aiunt, comprehenſive cognoſcere, etſi ſcripturæ tacerent, ipſa evidens ratio loquitur. Quid enim nomine cognitionis comprehenſivæ venit? eam puto cognitionem, quæ perfecte æquat internam objecti cognoſcibilitatem tum intenſive, tum extenſive; comprehendi enim dicitur ab Auguſtino (l. de videndo Deum) *quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem.* Quis autem dubitet, cognitionem, qua Deus ſe ipſum, & in ſe ipſo cognoſcit, perfecte æquare ejusdem cognoſcibilitatem? æquat eam intenſive; quia Deus cognitione ſua ſe ipſum repræſentat ea claritate, qua ex ſe repræſentari exigit. Æquat eam extenſive, quia Deus cognitione ſua clare, & diſtincte repræſentat omnes ſuas perfectiones, omneſque earum gradus, quod manifeſte ſequitur ex priore: non enim poteſt Deus clare & diſtincte non repræſentare omnes ſuas perfectiones, ſi ſe ipſum repræſentat tan-

ta claritate, quanta ex ſe exigit repræſentari: utrumque autem ſequitur ex infinita intelligendi activitate, qua carere non poteſt ens, quo nihil melius eſſe, vel cogitari poteſt. Ob ſummam hanc cognoſcendi vim Deus in eſſentia ſua videt Attributa, ac viciſſim; unam relationem videt in alia, & hæc omnia videt in creaturis: Cum enim, ut dixi, comprehendat ſe ipſum, Attributa Divina cognoſcit ab ſua eſſentia inſeparabilia; Paternitatem cognoſcit ut principium Filii, & Spiritus S. Filiationem ut imaginem Patris, & principium Spiritus S. & Spirationem paſſivam ut Spiraculum Patris, & Filii; creaturas cognoſcit ut eſſentialiter a ſe pendentes, ut fundamentum, quod ſe ipſum ut connexionis terminum neceſſario reſpicit: quod ſi vero ita cognoſcit (prout ſumma ejus vis comprehenſiva exigit) quodvis hoc Divinæ menti repræſentatum objectum, eam determinabit ad cetera cognoſcenda; quia faciet, ut mens eſſentialiter ad omnia, & quidem eo modo, quo poteſt, cognoſcenda determinata etiam cetera poſſit, ſicque debeat intelligere. Negant quidem aliqui ex Theologis Deum ſe, ſuamque eſſentiam, cognoſcere in creaturis: cum enim creaturæ, inquiunt, connectantur duntaxat cum Deo ut omnipotente, cognoſceret duntaxat ſe ipſum in creaturis ut omnipotentem; atque adeo præſcinderet, ſeque non comprehenderet; id quod ſine imperfectione Deo tribui non poteſt; ita illi. At enim licet in fundamento terminus non cognoſcatur, niſi quatenus fundamentum notificat terminum, quando non aliunde intellectus notificati termini habet ſpecies proprias: cognoſcitur tamen etiam in fundamento terminus prout eſt in ſe, quando aliunde intellectus habet ſpeciem intelligibilem termini prout eſt in ſe: tunc enim determinatur a fundamento ad cognoſcendum terminum, quem aliter, quam prout eſt in ſe, cognoſcere non poteſt; ſed de his ſatis.

XVI.

XVI. Videndum porro eſt, quo in medio ſapientiſſimus rerum artifex poſſibilia omnia intueatur. Doctiſſimus Petavius prolixe, & ſubtiliter (*Dogm. Theolog. de Deo l.* 4. *c.* 9. 10. & 11.) diſſerit de ideis Divinis, earumque rationem ex veterum P.P. ſententia conſtituit. Omnis artifex, inquit, ratione, intelligentiaque utens ad agendum, operis in mente inſidentem habet ſpeciem, quam contuens, & in eam intentus, illius in opere ſimilitudinem conatur exprimere; quam impreſſam in animo figuram ac formam veteres *παράδειγμα*, & *ἰδέαν* appellarunt; qua de re audiendus eſt Auguſtinus, cujus illuſtris locus eſt in l. 80. q. quæſt. 46. ubi ſic ait: *ſunt namque ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum ſtabiles, atque incommutabiles, quæ ipſæ formatæ non ſunt, ac per hoc æternæ, ac ſemper eodem modo ſeſe habentes, quæ in Divina intelligentia continentur. Et cum ipſæ neque oriantur, neque intereant, ſecundum eas tamen formari dicitur omne, quod oriri, & interire poteſt, & omne, quod oritur, & interit.* Subjicit paulo poſt argumentum, quod in Deo eſſe ideas oſtendit, his verbis: *reſtat, ut omnia ſint condita ratione; nec eadem ratione homo, qua equus: hoc enim abſurdum eſt exiſtimare. Singula igitur propriis creata ſunt rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum eſt eſſe, niſi in ipſa mente Creatoris? Non enim extra ſe quidquam poſitum intuetur, ut ſecundum id conſtitueret, quod conſtituebat; nam hoc opinari ſacrilegum eſt. Quod ſi hæ rerum creandarum, creatarumve rationes in Divina mente continentur, neque in Divina mente quidquam, niſi æternum, ac incommutabile eſſe poteſt . . . non ſolum ſunt ideæ; ſed ipſæ veræ ſunt, quia æternæ ſunt, & ejusmodi, atque incommutabiles manent; quarum participatione fit, ut ſit, quidquid eſt, quoquomodo eſt.* Hanc rationem, quæ in Deo ideas eſſe demonſtrat, attigit alibi ſæpius Auguſtinus, ut in l. 12. de Civ. Dei, in quo ait: *in una Dei ſapientia eſſe immenſos quoſdam, atque infinitos theſauros rerum intelligibilium, in quibus ſunt omnes inviſibiles,*

atque incommutabiles rationes rerum etiam viſibilium, & *mutabilium; quæ per iſtam factæ ſunt.* Et aliis in locis *omnia*, *quæ fiunt*, inquit, *priuſquam fierent; in notitia fuerunt facientis;* ut adeo idea nihil ſit aliud, quam νόησις τȣ̃ Θεȣ̃, ſeu Dei intelligentis notio. Quæ ſi ita ſunt, ut ex Auguſtino oſtendimus, Deus in mente ſua habet ideas, ſeu exemplaria rerum omnium poſſibilium, & quidem perfectiſſima: igitur res omnes poſſibiles propriam habent cognoſcibilitatem, ut per ſe manifeſtum videtur. Nam Deus non poteſt non diſtincte, & ſecundum proprium eſſe ea cognoſcere, quorum habet ideas, & exemplaria perfecte exprimentia ea, quorum ſunt exemplaria. Si igitur propriam ſuam habent cognoſcibilitatem poſſibilia omnia, in ſe ipſis, hoc eſt, in ſuis ideis a Deo conſpiciantur, eſt neceſſe.

CAPUT IV.

Quo in medio DEUS cognoſcat res contingentes, & liberas abſolute futuras?

XVII. De qua hactenus egimus ſcientia, ea neceſſaria, naturalis, & *ſimplicis intelligentiæ* a Theologis appellatur: hanc per ordinatum noſtrum cogitandi modum ſequitur ſcientia pure contingens, libera, ſeu *viſionis* ita dicta, quod mens Divina per eam cognoſcat præter ſua decreta abſoluta omnes res contingentes pro aliquo tempore abſolute exiſtentes, præteritas, præſentes, & futuras. Ea, quæ abſolute futura ſunt, in triplici genere conſiderantur: alia contingentia, & libera ſunt ſoli Deo, ut creatio mundi; alia futura ſunt a cauſis neceſſariis, & juxta ordinem naturæ agentibus, ut mors ex tali morbo ſecutura; alia demum futura ſunt a cauſis creatis liberis, quæ pro ſua propria, & liberrima electione

age-

agere, vel non agere poſſunt; ut ſunt actiones voluntatum humanarum tum moraliter bonæ, tum peccaminoſæ. De his potiſſimum quæritur, in quo medio Deus illas actiones videat, an in ſe ipſo, vel cauſa quapiam alia, an in ſe ipſis? Quæ quidem controverſia initium, ac origo fuit omnium diſſidiorum, quæ tanto molimine agitata ſunt in famoſis de auxiliis congregationibus, quorumque ſolutio magna ex parte pendet ex varia circa gratiæ vim, & efficaciam ſententia: Nam ſi admittatur gratia ex ſe, & natura ſua efficax, hoc eſt, quæ independenter a prævíſo libertatis creatæ conſenſu, infallibilem habet, ac eſſentialem cum illo conſenſu connexionem, pronum eſt aſſerere, Deum actiones noſtras ſalutares certo cognoſcere in virtute gratiæ, ſeu in decreto abſoluto, quo ſtatuit illam gratiam conferre. Quod ſi ejusmodi gratia ex ſeſe efficax non admittatur; in illa ſane, & in decreto abſoluto eam concedendi, tanquam in medio, non poterit Deus futura illa certo, ac infallibiliter noſſe. Cum igitur Theologi in hoc argumento admodum ſint diſtracti, variarum opinionum conſpectum quam breviſſime exhibere, non abs re erit.

Sunt aliqui, qui univerſim exiſtimant, Deum contingentia abſolute futura perinde, ac poſſibilia, videre in ſe ipſo, ſeu in ſua omnipotentia, vel certe omniſcientia, quam aiunt eſſe cauſam rerum omnium. Alii futura hæc omnia arbitrantur a Deo videri in reali eorum cum æternitate coexiſtentia (quam opinionem inſinuat Petavius l. ſupra citato c. V.). Cenſent enim, futura eodem prorſus modo ab omni æternitate Deo fuiſſe præſentia, quo res ſingulæ ipſi præſentes ſunt, cum vere exiſtunt; hoc eſt, non objective tantum, ſeu ſecundum notionem, ſed & ſecundum realem ſuam exiſtentiam. Cum enim, inquiunt, æternitas ſit ſimul tota, nihil ei futurum, nihil præteritum eſt; ſed omnia ſemper ſunt præſentia: proinde rerum etiam ad finem mundi futurarum exiſtentiam ſemper occupa-

vit, & complexa eſt. Ita loquuntur Cajetanus, Gonetus, aliique R. R. Qui pro medio cognitionis futurorum aſſignant cauſam futuritionis eorundem, varias rurſus in partes ſunt diſtracti pro vario nempe, quod de *gratia* amplectuntur, Syſtemate. Thomiſtæ futura omnia etiam libera a Deo videri ſtatuunt in decretis abſolutis, efficacibus, & phyſice præmoventibus tanquam in medio; putant enim nihil omnino futurum eſſe libere in quolibet ſtatu naturæ ſeu innocentis, ſeu lapſæ, niſi quia Deus ita decrevit, ac præfinivit. Scotiſtæ ex iſtimant futura illa cognoſci in decreto quodam ex ſe efficaci, quod vocant condeterminans. Auguſtinianæ Scholæ Theologi duce Ægydio Columna, ejusque interprete Gabardo efficaciam gratiæ reponunt in inſpiratione ſanctæ dilectionis, aut cum R.R. in delectatione victrici oppoſitam concupiſcentiam ſuperante, & voluntatem indeclinabiliter ad agendum impellente; in qua futura libera Deum intueri exiſtimant. Janſenii diſcipuli (qui Auguſtiniani eſſe, aut dici amant) cum vim, & efficaciam gratiæ in hoc ſtatu repetant ex delectatione cœleſti relative ſuperiore, ac victrici (id eſt, quæ gradibus ſuperior eſt delectatione oppoſitæ concupiſcentiæ) in ejusmodi gratia, ſeu decreto eam conferendi, futura libera ſupernaturalis ordinis certo cognoſci affirmant. Qui Syſtema Molinianum, & Suarezianum ſequuntur, gratiamque ex ſeſe, & natura ſua efficacem rejiciunt; contendunt, Deum circa liberas hominum actiones nihil omnino abſolute conſtituere, niſi prius cognoverit, quid homo facturus eſſet, ſi in his, vel illis circumſtantiis collocaretur, ſi hæc, vel illa gratia ipſi conferretur: non quod præviſus ſub tali gratia voluntatis conſenſus ſit Deo cauſa, & ratio, quæ eum moveat, atque certo determinet ad gratiam largiendam; ſed ut noſtro concipiendi modo Deus dirigatur in ſuis decretis abſolutis formandis, ac ſalva remaneat ſub efficaci Dei motione humana libertas. Hinc hujus ſyſtematis defenſores duplici modo actiones futuras volun-

tati humanæ liberas a Deo videri contendunt, inprimis nempe in cauſa, ſeu in decretis ſuis efficacibus ex directione tamen, & ſub luce conditionalium conceptis; deinde in ſe ipſis, ſeu ut aiunt, in futuritione formali, qualem cum D. Thoma contra Thomiſtas præter cauſalem admittunt. Cum igitur variantes adeo ſint auctorum opiniones, animus nobis hoc loco non eſt, ex profeſſo oſtendere, quænam decreta in Deo, ſalva libertate, circa actus ſalutares admitti, negarive debeant; hoc enim argumentum alteri loco eſt proprium: hoc unum hic nobis eſt conſtitutum, ut quale ſit Divinæ de futuris ſcientiæ medium, pro inſtituto noſtro exacte declaremus, ſit igitur

ASSERTIO. I.

DEUS effectus creatos abſolute futuros nec poteſt videre in ſua omnipotentia, nec in ſola ſua omniſcientia, nec in ſua æternitate.

XVIII. Probantur priores duæ partes hoc modo: Deus quoad potentiam, & ſcientiam ſuam ſpectatus (præſcindendo ab omni decreto, quo volitionem ſuam effectui creabili applicet) non eſt connexus cum futuritione alicujus entis contingentis, ut per ſe patet; eandem ergo ideam continet Deus in ſua omniſcientia, eandem perfectionum ſuarum communicabilitatem in ſua omnipotentia, ſeu res aliqua contingens ſit futura, ſeu nunquam ſit futura. Atqui in medio ad unum, & alterum indifferente non poteſt videri, infallibiliter maxime, futuritio. *ſcientia* nempe *Dei* (ut inquit Doctor Angelicus p. 1. q. 14. A. 9.) *eſt cauſa rerum, voluntate adjuncta . . . unde non oportet, quod, quæcunque ſcit Deus, ſint, vel fuerint, vel futura ſint, ſed ſolum ea, quæ vult eſſe, vel permittit eſſe.* Hoc eſt, ſcientia *ſimplicis intelligentiæ*, qua Deus res poſſibiles cognoſcit, eſt cauſa directiva rerum juxta illud Pſ.

103: *omnia in ſapientia feciſti;* ſed non eſt cauſa ſine Divina voluntate imperante, & omnipotentia exequente. Minime autem ſcientia *viſionis*, de qua hic agimus, cauſa eſt rerum contingentium: tantum enim abeſt, ut res ideo ſit futura, quia Deus eam videt futuram; ut potius ideo eam futuram videat, quia re ipſa erit; ut auctoritates S. S. P. P. oſtendunt N. S. allatæ. Hinc iſthæc ſcientia etſi prior ſit rebus futuris tempore, non tamen prior eſt natura, ſeu ita, ut impediri non poſſit. Aliud enim eſt ſcientiam Divinam poſſe impediri, aliud eam falli poſſe: ſcientia, qua Deus videt noſtras actiones moraliter malas, falli quidem non poteſt, quia cum hac utpote infallibili omiſſio noſtrarum actionum non poteſt componi; impediri tamen poteſt, quatenus Deus ab æterno pro objecto hoc habere poteſt aliud, nempe omiſſionem peccati.

Quod autem Deus res contingenter, & libere futuras non videat in ſua æternitate (id quod tertia pars aſſertionis affirmat) ex eo probatur, quod ejusmodi futura non exiſtant re ipſa, & phyſice ab æterno. Ut enim Deus videat illa in reali cum æternitate coexiſtentia, deberent illa ab omni æternitate Deo re ipſa coexiſtere: Nam ut futura ſic videantur, non ſatis eſt, ut ab æterno exiſtat menſura aliena, ſed deberent etiam exiſtere phyſice ipſa menſurata. Atqui illa ab omni æternitate Deo non coexiſtunt: ſiquidem ad hoc requiritur, ut non tantum toti æternitati, ſed eidem etiam *ſemper* & omni tempore coexiſtant; ſicut ad hoc, ut locus e. g. Viennenſis dicatur exiſtere in immenſis, & infinitis ſpatiis, non ſatis eſt, ut alicubi coexiſtat immenſitati toti indiviſibili infinita ſpatia complectenti; ſed neceſſe foret etiam, ut ubique, & in ſpatiis infinitis eidem coexiſteret. Huc potiſſimum ſpectat auctoritas P. P. qui aiunt futura quidem eſſe Deo ab omni æternitate præſentia quoad notitiam, eſſe ab æterno in mente Dei; non item eſſe æterna extra mentem Dei, ac quoad naturam,

&

& exiſtentiam ſuam. Unicum Auguſtinum audire placet: *habet Deus* (inquit Serm. 11. de verb. Ap.) *electos apud ſe ipſum non in natura ſua, ſed in præſcientia ſua;* & l. 4. de Gen. ad lit. c. 18.: *Res antequam fierent, & non erant: erant in Dei ſcientia, & non erant in ſua natura.*

XIX. Contra priorem partem aſſertionis oppones quædam P.P. teſtimonia, quibus oſtendi videtur, Deum omnia cognoſcere in ſemetipſo, aut tanquam in cauſa, aut tanquam in idea illa repræſentante. *Licet omnia cæleſtia, & terreſtria, ac minima* (inquit Ambroſ. c. 1. in Symb.) *perſpiciat Deus, nihil tamen extra ſe intelligit, ſed ſingula in ſe intuetur.* Auguſtinus l. 5. de Gen. c. 15. ita ait: *vidit omnia, quando fecit; & ſicut vidit ea, ita fecit; non præter ſe ipſum videns, ſed in ſe ipſo.* Rurſum D. Dionyſius de Div. Nomin. c. 7: *Deus cuncta cognoſcit, non rerum, ſed ſui notitia.* Item *Divina ſapientia ſe ipſam cognoſcens ſcit alia.* R. his teſtimoniis nihil aliud intelligi, quam Deum non cognoſcere creaturas per ſpecies intelligibiles ab ipſis creaturis petitas; ſed per ſpeciem intelligibilem ſibi identificatam, & tum ſui, tum omnium aliarum rerum repræſentatricem. Eſſentia igitur Divina eſt ſpecies intelligibilis omnium rerum etiam futurarum ſed duntaxat ex ſuppoſitione, quod ſint abſolute futuræ, atque adeo illas repræſentat vel in ſe ipſis, vel adjuncto aliquo Dei decreto.

Oppones porro contra ultimam partem. Ex eo, quod æternitas ſit interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio, duratio eſſe cenſetur ſimpliciter infinita absque initio, & fine, ſimplex, & indiviſibilis absque ſucceſſione, immutabilis, ita ut omnia eidem ſint præſentia, nihilque præteritum, aut futurum; prout copioſa P. P. teſtimonia alibi citata oſtendunt. Jam vero ſi contingentia abſolute futura non forent Deo ab æterno phyſice præſentia, inprimis æternitas ſimplex

non eſſet ac indiviſibilis; quia omnes differentias temporis, & creaturas in illis exiſtentes non contineret ſimul, ſed ſucceſſive: Præterea immutabilis non foret; quia Deus nunc, & ab æterno cognoſceret actiones hominum ut futuras, deinde ut præſentes, demum ut præteritas, adeoque ſcientia Dei primum eſſet præſcientia futuri, deinde viſio præſentis, demum memoria præteriti. R. ad I. Æternitatem creaturas omnes in ſe non continere ſucceſſive ſucceſſione intrinſeca, ſe habente ex parte ſua; continere tamen eas ſucceſſive ſucceſſione extrinſeca ſe habente ex parte durationum creatarum: licet enim æternitas indiviſibilis ſit, totaque ſimul exiſtat, ob ſuam tamen infinitatem æquivalet omnibus creaturarum durationibus ſibi invicem ſuccedentibus, ipſique æternitati ſucceſſive coexiſtentibus; atque adeo etiam ipſæ creaturæ ſucceſſive coexiſtunt æternitati Divinæ pro ſua nempe temporis differentia, ita ut ſucceſſio iſta temporalis ſe habeat ex parte creaturarum, non item ex parte Dei eodem fere modo, quo creaturæ in diverſis locis coexiſtunt immenſitati Divinæ, ſucceſſione locali ad ipſas duntaxat creaturas pertinente. Hinc Deus ab æterno per ſuam æternitatem phyſice præſens eſt futuris hominum actionibus non ſemper, ſed pro ſecutura temporis differentia: ſicut Deus ob ſuam immenſitatem coexiſtit cuivis creaturæ pro ſua loci differentia; adeoque juxta id, quod conſequens eſt, ſicut ex eo (quod Deus ratione ſuæ immenſitatis non coexiſtat cuivis creaturæ ubique) non ſequitur, eum diſtare ab aliquo loco, ita ex eo (quod Deus ratione ſuæ æternitatis non coexiſtat ſemper) non ſequitur, eum diſtare ab aliquo tempore, aut creatura in eo exiſtente. Ad II. R. ſcientiam Divinam, ut alibi dictum eſt, omnia noſſe æterna, indiviſibili, & immutabili cognitione, atque adeo omnia illi eſſe præſentia pro ſua temporis differentia, quamquam inter ſe præterita ſint, & futura. Hinc Deus actionem malam voluntatis humanæ non cognoſcit modo ut futuram, modo ut præſentem, modo ut

præ-

præteritam; ſed ſemper ut futuram relate ad partes temporis priores, ſemper ut præſentem æternitati ſuæ pro propria temporis differentia, & ſemper ut præteritam relate ad partes temporis poſteriores. Certe ut Deus hodie ſcit mundum ſibi phyſice coexiſtere, ita ab æterno novit, mundum ſibi pro iſto tempore, non tamen pro æterno re ipſa coexiſtere; & mundus hodie exiſtens coexiſtit quidem toti æternitati (ita ut nihil ſit in æternitate, cui non coexiſteret) non tamen toti, & totaliter, quia non ſemper coexiſtit æternitati. In hoc ſenſu hactenus expoſito intelligendi ſunt S. S. P. P. (Controverſ. I N. 53. relati) dum aiunt omnia Deo eſſe præſentia, nihil præteritum, nihil futurum: nam nihil aliud volunt aſſerere, quam Deum res futuras in æterna ſua, ac indiviſibili cognitione ita intueri, ut easdem non cognoſcat ſucceſſive (prout in humanis cognitionibus fieri ſolet) ſed omnia ſemper habeat præſentia non quidem phyſice, & quoad exiſtentiam; ſed objective, & quoad eſſe intentionale. Atque hinc etiam ſi de phyſica rerum exiſtentia, & non pure objectiva ſermo eſt, dici poterit, relate ad Deum quidquam eſſe præteritum & futurum: Nam & nunc æternitati Divinæ in certo ſenſu futura eſt mundi converſio, & præterita eſt ejusdem creatio; nunc enim exiſtit æternitas Dei, & non jam exiſtit mundi creatio, ſed ſuo modo extitit; erit mundi converſio, quæ non adhuc Deo phyſice eſt præſens.

ASSERTIO II.

DEUS effectus contingenter futuros tum ſibi ſoli, tum etiam voluntati humanæ liberos, videt per ſcientiam viſionis tam in decreto ſuo efficaci, quam in ſe ipſis.

XX. Prima pars ita oſtenditur; Decreta Dei, quibus decernit actus ſibi ſoli liberos, infruſtrabilia ſunt, ſimulque

eſſentialiter connexa cum abſoluta eorum futuritione; in his ergo decretis Deum videre effectus futuros ſibi ſoli liberos indubium eſt. Porro omnia opera moraliter bona a Deo eſſe prædefinita non quidem independenter ab omni ſuppoſitione creaturæ libera, ſed ex directione, ac luce conditionalium in ſequenti controverſia uberrime oſtendemus: decreta igitur iſta prædefinitiva, etſi antecedenter per conditionatam voluntatis humanæ libertatem impediri poſſint, conſequenter tamen ad ſcientiam conditionalium (ex qua neceſſario pendent) connexa ſunt cum noſtris pietatis operibus; ut adeo Deus in illis neceſſario videat opera illa moraliter bona. Quod autem ſpectat ad actiones noſtras moraliter malas, eas quidem Deus in decreto aliquo prædefinitivo videre non poteſt; quia illas ne quidem ex directione ſcientiæ mediæ prædefinire, id eſt abſolute velle, ac intendere, ſed ſolum permittere poteſt, ita ut conferat auxilium præviſum inefficax; quare ſicut Deus actus moraliter bonos videt in decretis prædefinitivis; ita actus moraliter malos cognoſcit in decretis ſuis permiſſivis, non quidem ſolis (cum decreta permiſſiva, ſeu collativa auxilii præviſi inefficacis ex ſe ſint indifferentia ad actionem malam, aut ejus omiſſionem) ſed conjuncta ſcientia conditionalium; cum complexum ex decreto collativo auxilii inefficacis, & dicta ſcientia neceſſario connectatur cum abſoluta actionis peccaminoſæ futuritione.

Quæri hic ſolet a Theologis, utrum Deus actiones contingenter futuras ſaltem videat, in cauſis creatis proxime ad illas actiones expeditis? quæ quidem quæſtio, cum ſupponat uberiorem *de efficacia gratiæ* notitiam, nobis non tam dilucidanda, quam inſinuanda videtur ob eam, quam præſens tractatio cum ceteris Theologiæ partibus habet, neceſſariam connexionem. Quotquot igitur futura libera in cauſis ſuis proximis cognoſci aſſerunt, affirmare quoque debent, cauſam crea-

creatam liberam, ſeu voluntatem hominis fieri proxime potentem per principium, aut decretum aliquod infallibiliter illativum actionis liberæ; nam in cauſa indifferente ſuſpenſa, & indeterminata nihil certi cognoſci poteſt. Atqui voluntas hominis proxime potens non fit per principium aliquod ita illativum: quod enim cunque tale principium determinate, & neceſſario ad agendum requiſitum, ſimulque eſſentialiter connexum cum actione ſtatuitur, libertatem humanam in ſcripturis, P. P. & Conciliis tantopere nobis propoſitam, prorſus evertet; ut oſtenditur in tract. de gratia. Hoc certe ſenſu ut ſæpe in aliis locis, ita manifeſte *p.* 1. *q.* 14. *a.* 13. diſſerit D. Thomas: *alio modo poteſt conſiderari contingens*, inquit, *ut eſt in ſua cauſa, & ſic conſideratur ut futurum, & ut contingens nondum determinatum ad unum; quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita: & ſic contingens non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni; unde quicunque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantum, non habet de eo niſi conjecturalem cognitionem. DEUS autem cognoſcit omnia contingentia, non ſolum prout ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam prout unumquodque eorum eſt actu in ſe ipſo.* Neque dici poteſt 1. D. Thomam loqui duntaxat de cauſis creatis ſecundum ſe conſideratis, non item ut involventibus Divinum Decretum, promanantemque inde Dei determinationem; contra enim eſt illud, quod D. Doctor *in* 1. *d.* 38. *q.* 5. *a.* 1. loquitur: nempe *cognita voluntate, & quibuſcunque cauſis ad actum voluntatis concurrentibus, non poſſe certe cognoſci, an ipſa producet, vel non producet actum, quia nullo modo eſt magis determinata ad producendum, quam ad non producendum.* En ait: *quibuscunque cauſis*; totam nempe potentiam proximam agnoſcit eſſe ad utrumque indifferentem. Neque dici poteſt 2. voluntatem humanam conſtitui proxime potentem relate ad actus ſalutares per gratiam efficacem; in qua proinde videbitur actus ſalutaris, ſaltem una cum ſcientia conditionalium, quæ dirigit Deum ad

 auxi-

auxilium, & gratiam provide conferendam. Contra enim eſt, quod in gratia, in auxilio (prout conſtituit potentiam proximam) nihil prorſus contineatur cum ipſo actu ſalutari determinate connexum. Nam ut ſuppono ex tractatu de gratia, ejusdem efficacia duo complectitur; nempe ipſum auxilium de ſe ad utrumque indifferens, & conditionatum ſub eodem auxilio conſenſum a Deo prævifum: jam vero ſolum auxilium de ſe indifferens, non vero prout ſubſtat conditionalium ſcientiæ, conſtituit potentiam proximam; in hoc ergo nihil continetur connexum cum actu, ut adeo etiam in illo actus futurus infallibiliter cognoſci nequeat. Poteſt tamen actus ſalutaris cognoſci in complexo ex auxilio abſolute collato, & ſcientia conditionalium; id quod nihil prorſus obeſſe videtur: licet enim ſcientia conditionalium ſeorſim ſumpta ſit prior quoad ſubſiſtendi, ut aiunt, conſequentiam gratia efficaci re ipſa collata, atque adeo abſoluto conſenſu (ex quibus nempe ita infertur, ut non viciſſim ex ipſa inferatur collatio auxilii, & abſolutus conſenſus) iſthæc tamen ſcientia ſimul ſumpta cum collatione auxilii non eſt prior abſoluto conſenſu, ſeu actu ſalutari ſub eodem auxilio infallibiliter futuro. Neque dici poteſt 3. decretum collativum auxilii, ut ſit providum, pendere æque a ſcientia conditionalium, ac decretum prædefinitivum actus liberi, atque adeo in complexo ex decreto collativo, & ſcientia de conſenſu conditionato Deum omnino videre æque conſenſum, ac in decreto ſuo prædefinitivo. Nam cum libertatem voluntatis humanæ hoc auxilium non conſtituat ut collatum per hoc decretum, non ut ſubſtans ſcientiæ conditionalium, ſed quoad ſe duntaxat ſpectatum, & præſcindens ab illa ſcientia, ab illo decreto; manifeſte conſequitur ipſam ſcientiam, ipſum decretum collativum non eſſe conſtitutivum libertatis humanæ, atque adeo ex parte potentiæ proximæ nihil importari, in quo Deus infallibiliter videret actum futurum. Alia argumenta, hoc loco paſſim propoſita eadem fere

ſunt,

ſunt, quibus ſcientia conditionalium, atque inde pendens prædefinitio ſuo quæque loco impugnabuntur.

XXI. Porro ut alteram aſſertionis partem oſtendamus, ſciendum eſt, duplicem cum D. Thoma, Molina, Suario, aliiſque magni nominis Theologis contra eos (qui Thomiſticæ Scholæ Sectatores ſeſe profitentur) admitti debere rerum futuritionem, cauſalem aliam, & aliam formalem; illa (quam unam Thomiſtæ admittunt) eſt ordinatio effectus in ſua cauſa, nunc eum quidem non producente, productura tamen dein pro aliqua temporis differentia: hæc vero conſiſtere dicitur in eo, quod res modo non ſit, ſit autem poſtea pro certa temporis differentia, ſeu habetur per habitudinem & reſpectum inde reſultantem, quo res poſſibilis aliter reſpicit hoc tempus, nempe ut improducta, aliter tempus ſubſequum, nempe ut producta. Utramque futuritionem Doctori Angelico fuiſſe agnitam, clariſſimis teſtimoniis evincitur: *aliquid dici poteſt futurum*, inquit q. 12. de verit. a. 7. ad 2. *non ſolum ex hoc, quod ita erit, ſed quia eſt ita ordinatum in cauſis ſuis, ut ſit futurum:* ubi clare futuritionem cauſalem ab altera, qua res in ſe ipſis futuræ ſunt (quam exprimit per hæc verba: *quod ita erit*) diſtinguit. Et p. 1. q. 86. a. 4. ☉. futura docet dupliciter cognoſci poſſe, *in ſe ipſis*, & *in ſuis cauſis*, fundamentum autem eorum, qui oppoſitum cenſent, nullum eſſe, inde patet; quia exiſtimant formam illam, quæ rem futuram denominat, debere actu exiſtere, conſequenter eam eſſe duntaxat poſitam in decreto aliquo Divino. Atqui licet ea forma objective exiſtere debeat, licet debeat ab æterno eſſe habitudo quædam, & relatio reſultans ex re poſſibili, qua aliter reſpicit tempus præſens, nempe ut ipſa nondum exiſtens, aliter tempus futurum aliquod, nempe ut ipſa jam exiſtens; tamen non debet eſſe aliquid actu, ac re ipſa exiſtens, eodem fere modo, quo forma rem præteritam denominans non debet

eſſe

eſſe aliquid actu, & re ipſa exiſtens, ſed aliquid duntaxat objective, hoc eſt habitudo, ac relatio, qua res aliter tempus præteritum reſpicit, quam præſens; illud nempe ut exiſtens, hoc ut non exiſtens, ſed ut deſtructa. Ex quo plane conficitur, Deum res futuras cognoſcere in ſe ipſis; Intellectus enim Divinus ex ſe ſumme completus, ac determinatus cognoſcit omne id, quod eſſe poteſt objectum Divinæ cognitionis: quod ſi vero res futuræ extra, & præter cauſas ſuas habent eſſe objectivum, eſſe cognoſcibile, Divinæ cognitionis poſſunt eſſe objectum; igitur eas Deus in ſe ipſis videt. Hinc quando D. Auguſtinus Tract. 68. in Joan. expendens illud Prophetæ: *fecit, quæ futura ſunt*, ait, *Deum feciſſe futura illa prædeſtinando, & facturum eſſe illa operando;* item quando idem S. Doctor l. 7. de Gen. ad Lit. c. 17. aſſerit, *Deum facere futura nihil aliud eſſe, quam eorum cauſas præparare*; non aliud vult, quam dari illativam, & cauſalem rerum futuritionem in cauſa, quæ ſi non eſſet, res etiam in ſe futuræ non eſſent; cum enim concurſus omnipotentiæ Divinæ neceſſarius ſit ad omnem effectum creatum, ſane iſte nunquam eſt futurus, ſi ab æterno cauſa non ſit præparata. Nam non negamus contingentia abſolute futura cognoſci a Deo dependenter ab aliquo decreto Dei ſaltem permiſſivo, id quod in hac doctrina negari falſo putabat Gonetus, id unum dicimus, ea non ſolum cognoſci in decretis Divinis, ſed etiam in ſe ipſis, eo quod ſuppoſito decreto habeant eſſe quoddam objectivum, & relativum, quod utpote verum non tantum eſt aptum immediate terminare cognitionem Divinam, ſed etiam eſt vera aliqua ratio, quamvis pure objectiva, cur contingentia abſolute futura a Deo cognoſcantur.

CA-

CAPUT V.

QUO IN MEDIO DEUS COGNOSCAT FUTURA LIBERA CONDITIONATA?

XXII. Demonſtravimus alibi, certam eſſe in Deo futurorum ſub conditione ſcientiam; quæſtio igitur ſupereſt, quo in medio, quave ſcientia Deus cognoſcat futura illa conditionata? quæ controverſia in ſcholis theologicis agitatur ab anno 1588, quo primum in lucem prodiit Liber Ludovici Molinæ e S. J. *de concordia liberi arbitrii cum gratia*, in quo ſyſtema ſcientiæ mediæ clare, & nitide evolvit. Adverſus hanc doctrinam cum maxime exarderet ſtudium Thomiſtarum, lis iſthæc occaſionem dedit, ut celebres illæ congregationes de auxiliis haberentur coram SS. Pontificibus Clemente VIII. ab A. 1598. uſque ad A. 1605, & Paulo V. ab A. 1605. uſque ad A. 1607. quo finis tandem impoſitus eſt dictis congregationibus, & ex mandato Pauli V. partes litigantes dimiſſæ ſunt, nullo a ſede pontificia lato ea de re definitivo judicio. Verum ad hoc uſque tempus durat controverſia iſthæc, partim quia maximam habet, ac neceſſariam cum myſterio gratiæ, & prædeſtinationis connexionem, tum quia verſatur circa uſum, & neceſſitatem ſcientiæ mediæ, ut & Deus (noſtro concipiendi modo) dirigatur in decretis ſuis abſolutis formandis, & cum illis decretis libertas creata concilietur.

Atque ut in hoc argumento ordine progrediamur, obſervandum præprimis eſt in veritate quadam conditionali tria eſſe ſpectanda, nempe conditionem, conditionatum, & connexionem, ſeu modum illum, ſub quo conditio, & conditionatum connectuntur; quæ connexio ſi neceſſaria, vel impoſſibilis eſt, propoſitio non eſt objective, ſed ſecundum enunciationem duntaxat conditionata, altera ſiquidem neceſſario vera

eſt, neceſſario falſa altera, utraque proinde objectum ſcientiæ neceſſariæ; ut igitur propoſitio ſit contingenter vera, atque talis, de qua hic quæſtio movetur, neceſſe eſt, ut connexio ſit contingens, ſeu ut conditio de ſe ſit indifferens ad conditionatum. Sermo autem hic eſt de actionibus voluntatis humanæ liberis ſeu moraliter bonis, ſeu malis, quas conditionate, ſeu ſub conditione quadam indifferente futuras Deum cognoſcere non in ſe ipſis, ſed per decretum aliquod abſolutum, affirmant Scholæ Thomiſticæ, Scotiſticæ, & Auguſtinianæ fautores; unde obſervandum rurſus eſt, duplex decretum abſolutum diſtingui poſſe, unum abſolutum tam ex parte ſubjecti, quam ex parte objecti; alterum abſolutum ex parte ſubjecti, & conditionatum ex parte objecti. Decretum ex parte ſubjecti duntaxat abſolutum eſt illud, quod re ipſa datur, ita tamen, ut ſit de actione duntaxat ponenda dependenter ab aliqua conditione; qualia decreta in Deo dari indubium eſt; nam talis voluntas eſt ſalvandi omnes homines, ſi recte utantur mediis ſibi dandis; donandi poſteros omnes Adami juſtitia originaria; ſi ipſe non peccaret &c. De hujusmodi autem decretis hic non agimus, ſed de aliis, quibus Thomiſtæ dicunt Deum decreviſſe omnes actiones noſtras futuras ſub aliqua conditione a ſolo Deo pendente, etiam nunquam implenda; quale decretum eſſe aiunt, quo Deus decrevit pœnitentiam Tyriorum, ſi Chriſtum ad illos miſiſſet, aut converſionem Judæ, ſi ei ſpeciale gratiæ adjutorium conceſſiſſet. Videndum igitur, utrum cognitio iſtorum conditionatorum pendeat ab ejusmodi decretis?

ASSER-

ASSERTIO.

DEUS futura conditionata nobis libera non cognoſcit in decretis ex parte ſui abſolutis, & conditionatis ex parte objecti.

XXIII. Probatur I. Ex Scriptura alibi citata, qua apud Matth. c. 11. Chriſtus exprobrat Judæorum impœnitentiam, eoſque objurgat comparate ad Tyrios, & Sidonios, quod non egerint pœnitentiam viſis illis virtutibus, & miraculis; quæ ſi vidiſſent Tyrii, & Sidonii, eam in cinere, & cilicio egiſſent. Jam vero oſtendo inanem, ac ridiculam fuiſſe hanc a Chriſto factam reprehenſionem, ſi Tyrii, & Sidonii per decretum aliquod cum conditionato eorum conſenſu connexum determinati fuiſſent ad pœnitentiam ſub dicta conditione agendam: Nonne enim ſimilem excuſationem, & quidem juſte, opponere potuerunt Judæi? non ea fuit noſtra, atque Tyriorum, ac Sidoniorum conditio; nos independenter a noſtra libertate caruimus illo decreto ex puro Dei arbitrio, ſine quo non poterat haberi pro priori conſenſus noſter conditionatus, & ſic conſequenter nec abſolutus; ubi tamen Tyrii, ac Sidonii independenter a ſua libertate, & ex puro Dei arbitrio illud decretum habuerunt: ſic, inquam, jure, ac merito reſpondere potuerunt Corozaitæ, & Bethzaiditæ, cum in oppoſito ſyſtemate tale decretum acquirere, vel non acquirere, nulla ratione pendeat a voluntate creata, neque ſine tali decreto locus eſſe poſſit conditionato conſenſui, neque cum illo ejusdem conſenſus omiſſioni. Torquent quidem omnem in partem ſeſe Thomiſtæ, ut hujus argumenti vim eludant. Aiunt hanc exprobrationem adhuc juſtam eſſe, partim quia illud decretum non ſe tenet ex parte actus primi libertatis conditionatæ; atque adeo cum eadem potentia proxima, cum qua Judæi illi increduli permanſerunt, credituros fuiſſe Tyrios, ac Sidonios; partim quia Judæi per abuſum priorum auxilio-

 rum

rum ſeſe reddiderunt indignos hoc ſpeciali decreto, quo ipſorum in Chriſtum fides decerneretur. At vero quidquid de illo ſit, an illud decretum libertatem conditionatam ingrediatur; certum eſt, per illud ita applicari, & quidem independenter ab arbitrio creato, potentiam ad agendum, ut cum eo infallibiliter futura ſit actio, & ſine illo nullo modo futura: quod ſi ita eſt, an non juſte opponere potuerant increduli Judæi, Tyrios, Sidonioſque viſis Chriſti miraculis ſine adjumento ſuæ libertatis obtenturos fuiſſe decretum neceſſario illativum conſenſus, & fidei in Chriſtum; cum tamen illis, inconſulta libertate, negatum ſit illud decretum, cujus certe negatio non poteſt non conjungi cum diſſenſu, & omiſſione fidei in Chriſtum. Eodem jure de ipſo abuſu priorum auxiliorum reprehenſionem eludere poterant, quando ſine ſua libertate carebant decreto, cujus negatio neceſſario inferebat abuſum eorum auxiliorum. Neque porro dixeris, Chriſtum Tyriorum conditionatam converſionem non ex eventu futuro, ſed duntaxat ex abſoluto, quem habebant, ſtatu vidiſſe, eo quod cerneret eos non tam ſuperbos, & induratos eſſe, ac illi Judæi fuerunt. Nam ſi id dicatur, neceſſario conſequitur, Chriſtum conditionatam illorum converſionem non noviſſe infallibiliter, utpote in cauſis creatis non evidenter cum actione connexis, quod erroneum eſſe ex iis conſtat, quæ ſupra de infallibili conditionatorum ſcientia diximus.

XXIV. Quoniam vero Adverſarii Auguſtini, & D. Thomæ auctoritates ſibi potiſſimum arrogant, ex iisdem S. S. P.P. probandum nobis erit II. dari ſcientiam conditionatorum ab omni decreto actu exiſtente independentem. Ac Auguſtinus quidem l. 1. ad Simpl. q. 2. de iis, qui vocationi reſiſtunt, ita loquitur: *Si vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, ut & moverentur, & intelligerent, & ſequerentur.* Et paulo poſt de iis, qui vocationem audiunt, ait:

ait: *etſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut ſequantur*, & infra: *cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* En ex mente D. Doctoris Deus certo, ac infallibiliter novit, quomodo quisque vocandus ſit, ut vocationem non reſpuat, ſed ut moveatur, ut intelligat, ut ſequatur; atqui hæc notitia, hæc ſcientia eſt conditionatorum, qua nempe novit vocationem homini ita congruere, ut ſi ita vocetur, vocantem non ſit contempturus, ſed ſecuturus, etſi poſſet, ſi vellet, non ſequi, & reſpuere. Jam vero hanc ſcientiam ex mente D. Auguſtini plane eſſe independentem ab omni decreto abſoluto (cujus nullum in illo veſtigium reperies) facile conjicere licet ex eo, quod hujus ſcientiæ objectum nullum aliud eſt, quam conſenſus poſitus in ſtatu conditionato libere connexus cum vocatione; unde reſultat hæc veritas: ſi homo ita vocaretur in talibus circumſtantiis, hæc vocatio ita illi apta eſſet, ut vocantem libere ſequeretur. Non majorem igitur ipſa ſcientia connexionem habebit cum decreto abſoluto, quam dicta veritas fundata in aptitudine vocationis; hæc autem veritas nullam dependentiam habet cum decreto aliquo abſoluto: ſeu enim Deus decernat aliquid abſolute, ſeu non, ſemper eſt talis vocatio, ſic apta, ut ea poſita ſequeretur conſenſus; ex quo conſequitur ipſam etiam ſcientiam nulla ratione pendere a ſimili decreto. Certe hanc ſcientiam antecedere omne decretum Dei prædefiniens, ex citatis S. Doctoris verbis colligitur; de iis enim, qui vocati non veniunt, ait: *ſi vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo eis aptum eſſet, ut ſequerentur.* Supponit igitur in Deo actu non eſſe voluntatem eos ita vocandi, quomodo eis aptum eſt, ut ſequantur. Certo tamen novit Deus, futurum ut illi ſequerentur, ſi ita vocarentur; quis igitur putet, D. Auguſtinum cenſuiſſe, Divinam conditionatorum ſcientiam pendere a decreto prædefiniente?

Porro tantum abeſt, ut ſcientia ab omni abſoluto decreto independens contraria ſit doctrinæ D. Thomæ (id quod volunt Thomiſtæ) ut etiam eidem omnino conſentiat. Doctor Angelicus (3.p. q. 1. a. 5. ad 2.) refert hæc S. Auguſtini verba ex l. de bono perſeverant. c. 9. *nunquid poſſumus dicere Tyrios, & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut credituros non fuiſſe, ſi fierent; cum ipſe Deus atteſtetur eis, quod facturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent Divinarum illa ſigna virtutum?* Dein ſic proſequitur S. Doctor reſponſionem aptans: *proinde* (ut ipſe Auguſtinus ſolvens ſubdit) *non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, qui his, quos prævidit . . . ſubvenit; aliis vero non ſubvenit, de quibus in ſua prædeſtinatione occulte quidem, ſed aliud juſte judicavit.* DEUS igitur juxta D. Thomam ratione prius (quam quidquam abſolute, & efficaciter ſtatueret circa ſalutem hominum lapſorum) ſciebat, quinam inter homines eſſent credituri, ſi prædicaretur illis Evangelium, quinam non eſſent credituri; cum hanc habuerit ſcientiam non ſolum circa eos, qui re ipſa crediderunt, ſed etiam circa alios, qui nunquam crediderunt. Deinde etiam ex iis, quos præſcivit, audito Evangelio, credituros fuiſſe, aliquos ex pura miſericordia elegit, & prædeſtinavit, ceteros occulto, ſed juſto judicio neglexit, & negative reprobavit. Tertio iis, quos elegit, & prædeſtinavit, procuravit in tempore auditum Evangelii; quem non procuravit iis, quos non prædeſtinavit. Denique ex iis, qui audito Evangelio credituri fuerant, aliqui crediderunt, aliqui non crediderunt. Iſta omnia cum ad mentem S. Auguſtini judicaret Doctor Angelicus, certe agnovit in Deo ſcientiam actuum contingenter, & libere ſub conditione futurorum, & quidem ſine decreto abſoluto; cum enim ſcientia illa conditionalis, quam cum S. Auguſtino admiſit D. Thomas, verſetur non ſolum circa eos, qui non credunt, quia non audiunt Evangelium, ſed & circa illos, qui

re

re ipſa credunt, quia audiunt Evangelium, atque adeo etiam circa illos, quos Deus ad credendum elegit, & circa quos præter efficax, & ex omni parte abſolutum illud decretum electionis non niſi ridicule admitteretur decretum aliud ex parte objecti conditionatum, plane confitendum eſt ſcientiam illam D. Thomæ agnitam independentem eſſe ab omni prorſus actuali decreto. Certe ſi dicatur ejusmodi Divina determinatio neceſſaria ad omnem actionem conditionate ſuturam, foret aliquid præter voluntatem creatam, atque humanum liberum arbitrium, quod determinaret ad agendum; atqui D. Thomam præter arbitrium liberum (quod ad agendum determinet) nihil aliud agnoviſſe in confeſſo eſt: *determinatio actionis, & finis*, inquit 2. d. 25. q. 1. *in poteſtate liberi arbitrii conſtituitur.* Et d. 28. q. 1. a. 1. *non eſſet homo liberi arbitrii, niſi ad ipſum determinatio ſui actus pertineret.* Et d. 39. q. 1. a. 1. *potentia voluntatis, quantum in ſe, eſt indifferens ad plura; ſed quod determinate exeat in hunc actum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate.* Et a. 2. *neque ad aliquid eorum determinatur niſi ex ſe ipſa, quod tantum voluntati convenit.* Ex quo apparet, ſalvam non fore hominum libertatem, ſi Deus determinaret voluntatem creatam ad actum ſub certa conditione ponendum; ut omittam illa decreta, quæ determinarent ad actiones etiam moraliter malas, quæque certe ex mente D. Doctoris adverſantur ſummæ Dei ſanctitati. Denique ut intelligatur effectus, ſatis eſt, cauſam modo effectui congruo intelligi: igitur dato etiam, quod decretum Divinum ſit cauſa effectuum creatorum, ſatis erit, decretum eſſe modo his effectibus congruo, ut adeo, licet requireretur ad abſolutaam exiſtentiam effectus creati decretum actu exiſtens; ſicut tamen ad effectum poſſibilem juxta D. Thomam requiritur cauſa tantum poſſibilis, ita ad effectum tantum conditionate futurum requratur decretum, quod actu non eſt, ſed tantum ſub certa conditione eſſet. Audiatur rurſus D. Doctor 2. contra Gent. c. 21. ita lo-

loquens : *effectus ſuis cauſis proportionaliter reſpondet, ut ſcilicet effectus in actu cauſis actualibus tribuamus, & effectus in potentia cauſis, quæ ſunt in potentia.*

XXV. Probatur denique III. Aſſertio noſtra ratione: Aiunt adverſarii ideo futura conditionata nobis libera non poſſe cognoſci, niſi in decretis Dei prædefinientibus, quia prout ſunt in ſe ipſis, videri nequeunt: At vero hanc rationem minime tenere, patet ex N. 22. ubi oſtendimus, Deum futura abſoluta creaturis libera videre in ſe ipſis. Non minus enim actiones conditionate futuræ habent eſſe ſuum objectivum, ac relativum, quam actiones abſolute futuræ; eſt nempe rei poſſibilis reſpectus multo alius, quo reſpicit futuram exiſtentiam ſub certa duntaxat conditione, quam quo reſpicit exiſtentiam ut abſolute futuram; unde res poſſibilis ut hac relatione affecta æque cognoſci poteſt, quam ut affecta reſpectu illo, quo ad exiſtentiam abſolute futuram refertur; ut adeo non minus veritates conditionatæ, quam abſolutæ a Deo ad cognoſcendum omne objectum, & quidem omni, quo cognoſci poteſt, modo ſumme completo, in ſe ipſis cognoſci debeant. Et ſane ſi Deus videret actiones creaturæ liberas, & conditionate futuras non in ſe ipſis, ſed in ſuis decretis, quid opus foret in efficaci vocatione attendere loci, temporis, ſimileſque circumſtantias? ridiculum foret conſulere libertatem humanam, quid, ſi hoc, illove tempore, in hoc, aut illo loco vocaretur, facturus eſſet homo; ſiquidem in ipſo id videre non poteſt, ſed tantum in decreto, quo quid in hoc aut illo loco, vel tempore fieri velit, decerneret. Atqui Deus vocatione efficaci ita vocat, ut attendat loci, temporiſque circumſtantias congruas; ut conſtat ex ſupra citato loco D. Auguſtini ita loquentis: *eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut ſequantur.*

Sol-

Solvuntur nonnulla argumenta Scholæ Thomiſticæ, Scotiſticæ, & Auguſtinianæ.

XXVI. Pugnant inprimis harum Scholarum Patroni contra noſtram Doctrinam Auctoritate ſcripturarum, & SS. PP. potiſſimum Auguſtini. Apoſtolus (inquiunt) his verbis: *quis te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti?* notat initium diſcretionis, qua boni a malis diſcernuntur, eſſe ipſum Deum, & non liberum hominis arbitrium; id quod in noſtra ſententia non tenet; nam ſi ſcientia conditionatorum non pendet a decretis abſolutis, homo, non Deus, eſt prima radix hujus diſcretionis in ſtatu conditionato. Hinc falſum quoque foret illud Chriſti dictum Joan. 15: *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Nam converſio hominis ſine omni abſoluto decreto ſub ſola conditione gratiæ conferendæ futura, eſt electio quædam, qua homo prius eligit Deum in ſtatu conditionato, quam ab eo eligatur in ſtatu abſoluto. D. Auguſtinus de Præd. c. 10. ita loquitur: *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ erat ipſe facturus.* Et c. 17: *hæc dona Dei, ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur a Deo.* Videtur igitur D. Doctor nomine *prædeſtinationis* hic intelligere decretum abſolutum, & nomine *præſcientiæ* notare ſcientiam conditionatorum, adeoque exiſtimaſſe, hæc a Deo videri in prædeſtinatione. Quæ etſi admittatur, merito tamen Judæis exprobrari potuit incredulitas, ita ut nulli excuſationi ſit locus; ſicut ipſe Auguſtinus (cum ſimilem excuſationem Pelagiani objicerent dicentes: *obedientiam non accepimus, quid igitur corripimur, quaſi eam nobis dare poſſimus?*) repoſuit, eos juſte reprehendi *(l. de Corrept. & Grat.)* ita loquens: *ſufficientiam ex Deo habentes, ut in bono perſeverarent, ad malum declinarunt.* Rurſus illud *propoſitum vocationis Divinæ*, pro quo D. Auguſtinus tam acriter contra Semipelagianos pugnavit, nihil aliud videtur eſſe, quam decretum aliquod abſolu-

tum, quo nititur ſcientia conditionatorum; nam aliam ab omni decreto independentem videtur in Maſſilienſibus improbaſſe L. de Prædeſt. c. 14. his verbis: *dictum eſt hoc ſecundum pericula hujus vitæ, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit, quod futurum erat: non quod futurum non erat.* Adde S.S. Fulgentium, & Thomam, quorum ille de Incarn. & Grat. Chriſti ita ait: *Deus inchoat velle hominis, & non expectat, ut ab homine naſcatur;* hic vero (*q.* 14. *de Malo a.* 8.) ſic habet: *unde cum voluntas interius non poſſit ab alio, niſi a Deo moveri . . . per conſequens voluntariæ cogitationes non poſſunt cognoſci, niſi ab ipſo Deo;* quæ verba videntur innuere, voluntarias cogitationes non niſi in Deo motore, atque adeo in ipſius decreto videri poſſe. Hæ aliæque id genus auctoritates paſſim opponuntur, quibus ut ſeorſim ſatisfaciamus:

XXVII. Prænotandum inprimis ex iis (quæ in tractatu de gratia explicantur) in ſtatu conditionato nullam eſſe diſcretionem unius ab alio, tanquam boni a malo; ex eo enim, quod alter ſub aliqua conditione ſit, & alter non ſit convertendus, minime ſequitur, unum bonum eſſe, & alterum malum; nam qui ſub aliqua conditione converteretur, non eſſet convertendus ſub alia conditione; & viciſſim qui male ageret cum tali auxilio, bene ageret, ſi alio auxilio adjuvaretur; ut adeo in ſtatu conditionato neuter ex duobus ſit potius bonus, quam malus, & alter ab altero minime diſcernatur, ſed æqua ſit utriuſque conditio. Quod ſi etiam quædam diſcretio in ſtatu conditionato admitteretur, ea certe non foret a ſola humana voluntate, ſed præcipue a gratia Dei in conditione illa incluſa; ex quo patet, quid ad primam Apoſtoli auctoritatem ſit reſpondendum. Rurſum pro ſtatu conditionato nec eligit homo Deum, nec illum reſpuit; nam quamdiu pendet conditio, tamdiu pendet ejus effectus: pro ſtatu autem conditionato (in

quo

quo Deus prævidet duntaxat hominem converſum iri ſub tali auxilio) neque eſt, neque futura eſt conditio; igitur nec eſt, nec futura eſt converſio hominis, ſine qua non eſt electio ejusdem. Poſtea autem, ubi videntur decreta Divina, videtur etiam homo per ſuam converſionem Deum electurus; ſed quia tunc non fiet converſio, niſi quia ex pura miſericordia homo a Deo gratia efficaci prævenitur, atque ad converſionem deſtinatur, idcirco prius Deus eligit hominem, quam ab eo eligatur. *Ad primum Auguſtini locum R.* S. Doctorem ibidem agere de prædeſtinatione, & præſcientia abſoluta, adeoque de abſolute, non conditionate futuris. Nomine *prædeſtinationis* intelligit abſolutam, & efficacem præparationem mediorum (quibus *certiſſime liberantur, quicunque liberantur)* quam docet ad ſolos electos, & non ad reprobos Tyrios, ac Sidonios, pertinere. Quod ſi igitur reprobi ad illam Auguſtini prædeſtinationem non pertinent (cum tamen juxta Adverſarios etiam pœnitentia Tyriorum, ac Sidoniorum a Deo ſub conditione fuerit decreta) manifeſte ſequitur, illam prædeſtinationem longe eſſe aliam, quam Adverſarii fingunt. *Præſcientiæ* autem nomine (quam in prædeſtinatione fundat D. Doctor) intelligit eam, qua Deus ab æterno præſcivit opera hominum ſalutaria, quæ ipſe in tempore ex ſpeciali erga electos benevolentia deſtinavit per vocationes congruas, & auxilia gratiæ efficacia. Ex hac igitur doctrina duo conficiuntur; primo, Deum præſcientiam operum ſalutarium non debere ſolis arbitrii humani viribus, ſed gratuitæ ſuæ vocationi, qua arbitrio hominis de ſe inſufficienti præparavit auxilia congrua: deinde opera noſtra ſalutaria eſſe *dona Dei*, non tantum ab eo præſcita, ſed & per vocationem congruam ſuo tempore futura; cum e contrario opera mala ſint a Deo præſcita, non tamen prædeſtinata. *Ad alterum locum R.* Pelagianos hac ſua objectione intendiſſe duntaxat, ſe fore coram Deo excuſabiles; ſi forte præcepta non ſervarent, eo quod ad

ea ſervanda non ſufficerent vires naturæ, ſed requireretur gratia Dei. His igitur jure opponit Auguſtinus, excuſari eos ideo non poſſe, quia etſi egeant gratia ad ea ſervanda, cum tamen eam omnes acceperint, vitium ipſorum eſt, ſi labantur aliis obedientibus. Verum quidem eſt, D. Proſperum fateri (*de vocat Gent. c. 25.*) profunditatem illius quæſtionis, cur nempe Deus uni det auxilium prævíſum inefficax, alteri efficax inſcrutabilem eſſe; quam omnino quæſtionem confitemur per noſtrum nolle, & velle non ſolvi: ſolvitur tamen quæſtio, cur hic diſſentiat, conſentiat alter? cur hic auxilium reddat efficax, alius inefficax? nam id pendet ab arbitrii liberi velle, & nolle; ob quam proinde rationem ille, qui non obedit, ſemper comparative ad eum, qui obedit, reprehenſibilis manet. Ex his autem patet reſponſum *ad tertium locum Auguſtini*: nam ut manifeſtum eſt ex *libris de Correpț. & gratia*, *de Prædeſt. S.S. & de bono Perſev. propoſitum illud*, pro quo D. Doctor contra Semipelagianos pugnat, pertinet ad ſolos prædeſtinatos, eſtque voluntas efficax, ac abſoluta, qua Deus ab æterno ex pura miſericordia ſtatuit eos, quos voluit, liberare a maſſa perditionis, reliquis in eadem maſſa relictis; quam doctrinam contra Maſſilienſes acriter propugnavit Auguſtinus, oſtenditque juxta hoc propoſitum electos ita diſcerni a reprobis, ut illi fiant vaſa honoris; hi autem permittantur eſſe vaſa contumeliæ. Ceterum per citatum locum minime rejicit ſcientiam conditionatorum; eam ſcientiam duntaxat damnat, qua abuſi ſunt Maſſilienſes, qui, ut alibi dixi, docebant, Deum ob prævíſa merita, aut demerita conditionata, & nunquam abſolute ponenda, præmia, aut pœnas abſolute decernere. Quod attinet locum citatum S. Fulgentii, aio, eum nihil aliud voluiſſe, quam Pelagianos convincere, qui per opera naturalia homines inchoare ſuum velle, pelliceréque Deum ad decernenda ipſis in præmium ſupernaturalia auxilia voluerunt; docere proinde tantum, ſalutem nos noſtram ab auxi-

auxilio ſupernaturali inchoare, Deoque tribuendum eſſe primario, ſi homo ſalutariter operari incipiat; id quod certiſſimum eſt, cum Deus det pro ſtatu abſoluto auxilia præviſa efficacia. Denique D. Thomas loco citato rationem duntaxat reddit, cur voluntarias cogitationes ſeu abſolute, ſeu conditionate futuras nemo, quam Deus, videat; cum tamen Angeli, homineſque plura alia futura, quædam evidenter, probabiliter alia intueantur. Nempe cum rerum futurarum ſpecies habeant nullas, quibus illas in ſe videant, nec ipſi, ut Deus, ad omne objectum cognoſcendum ſint determinati, eas tantum res futuras videre poſſunt, quarum futuritionem in cauſis vel infallibiliter, vel probabiliter connexis cognoſcunt, quæ cauſæ cum relate ad cogitationes voluntarias nullæ ſint præter Divinam motionem, eas cognitione infallibili videre nequeunt. Per hoc tamen D. Doctor non negat, Deum cogitationes has voluntarias ſeu conditionate, ſeu abſolute futuras videre etiam in ſe ipſis, neque aſſerit, Deum movere voluntatem motione non impedienda, aut Deum eas videre in tali motione antevertente conſenſum conditionatum; ſed tantum affirmat, aliam cauſam, quam motionem Divinam, occultam, & inviſibilem Angelis (ſeu ea ſit impedibilis, ſeu non) nullam cum cogitatione voluntaria connexam eſſe, in qua illa videri poſſit.

XXVIII. Plura rationibus Theologicis adverſa ex ſcientia conditionatorum omni decreto abſoluto anteriore derivari obtendunt, qui eam inſectantur. I. Eripit Deo titulum primæ cauſæ, primi liberi, primi moventis, qui exigere videtur, ut voluntas Divina ſit prima radix omnis contingentis, ac liberi; in qua hypotheſi non voluntas Divina, ſed humana potius, radix eſſet actus liberi conditionati. II. Ad ſupremum Dei Dominium pertinere aiunt, ut poſſit determinare conſenſum conditionatum (id quod in noſtro ſyſtemate negatur) ut enim Deus poteſt impedire conſenſum abſolutum, ita etiam

eum debet poſſe determinare; determinando autem abſolutum conſenſum determinat etiam conditionatum, qui ex abſoluto infertur. III. Indignum Deo videtur, ut actus voluntatis humanæ tranſeat a ſtatu poſſibili ad ſtatum futuritionis conditionatæ ſine abſoluta Dei voluntate; neque ſine hac ulla hujus tranſitus ratio cogitari poteſt: nam ad hoc, ut aliquid potius ſit futurum, quam non futurum, vel determinatio haberi debet a voluntate humana, vel Divina; jam vero futura libera determinationem habere non poſſunt a voluntate humana, quippe quæ non eſt, igitur a Decreto Divino. IV. Sicut ante decretum Divinæ voluntatis (inquit Ludovicus Gottius in *Theol. Scholaſt. Dogmat. Tract.* 4. *de Deo Quæſt.* 6.) nihil eſt futurum abſolute, ita ante illud nihil futurum erit conditionate: ita enim ſe habet decretum Dei abſolutum ad futurum abſolute, ſicut decretum conditionatum ad futurum conditionatum; ſicut igitur ad futurum abſolutum non ſufficit decretum, quod erit, ſed requiritur aliquod, quod actu ſit in Deo, ita ad futurum conditionatum non ſufficit decretum, quod eſſet, ſed requiritur decretum, quod actu ſit in Deo de re ponenda ſub tali conditione. V. Converſio hominis, quam Deus per ſcientiam neceſſariam videt ſub tali gratiæ adjutorio poſſibilem, Deo impoſſibilis fieri non poteſt; fieret autem, ſi homo videatur ſub hoc auxilio conditionate diſſenſurus. Certe ſi ante ſcientiam conditionatorum Deus nihil decernit, vel ſuum decretum pure omittit (quæ omiſſio æquivalet abſolutæ nolitioni) vel ſuæ voluntatis exercitium ſuſpendit; quorum neutrum admitti poteſt. Adde, ſupremum Dominum, ſuppoſita ſcientia de conditionata converſione hominis, eandem ſerio decernere non poſſe, cum ridiculum ſit, & ſupervacaneum decernere quidquam aliunde futurum. VI. Obeſſe videtur ſcientia conditionatorum libertati humanæ; non enim impediri poteſt per abſolutam hominis libertatem, quæ illa ſcientia poſterior eſt, & ipſam (utpote ſine qua gratia prævila efficax conferri non poteſt) ne-

neceſſario ſupponit. His objectionibus ut ex ordine ſatisfaciamus; *R. ad* 1. Divinam omnino voluntatem primam eſſe radicem omnis contingentis, & liberi, quia nullum contingens, nullum liberum pro ullo ſtatu haberi poteſt independenter a decreto Dei ſibi proportionato; abſoluto nempe, & indifferente, ſi tale contingens, & liberum eſt abſolute futurum; conditionato vero, & rurſus indifferente, ſi eſt ſolum conditionate futurum. Creata autem voluntas etſi prima radix non ſit actionis ſuæ (utpote ponendæ dependenter ab concurſu Divino) unicum tamen eſt immediatum liberum; quia ſi ab alio libero determinaretur, jam ipſa immediate libera non foret: ſicut ergo eſt unicum relate ad actiones ſuas, quas ex interna ſua virtute exercet, vivens, hoc ipſo nulla ratione vivens, ſi actiones hæ procederent vitaliter ab alio vivente; ita eſt unicum relate ad actiones ſuas liberum, hoc ipſo non futurum immediatum liberum, ſi ab alio libere determinarentur. Poteſt tamen Deus alio ſenſu dici primum liberum, primum determinativum, uti & primum vivens; quatenus ut vitam omnibus, ita & libertatem, & ſe determinandi poteſtatem concedit. *R. ad* 2. Etſi Deus impedire poſſit abſolutum conſenſum, eum tamen determinare non poteſt: impedire poteſt conſenſum, negando auxilium efficax; at vero ſi determinaret conſenſum abſolutum, inconſulta libertate conditionata, everteret omnem libertatem. *Ad* 3. *R.* Actus conditionatus ſuo modo eſt moraliter, & reſpective, eo, quod exiſtentiam ſuam ſub certa conditione futuram reſpiciat; qui igitur reſpectus ratio illa eſt, quæ facit eum tranſire a ſtatu poſſibili ad futuritionem conditionatam, dependenter tamen a decreto Dei non quidem abſoluto, ſed pure conditionato: ad actionem nempe conditionate futuram non requiritur decretum, quod eſt, ſed quod eſſet, ſi poneretur conditio, ſicut ad eandem actionem non requiritur voluntas, quæ actu ſit, ſed quæ foret, ſi poneretur conditio. *Ad* 4. *R.* Ut intelligatur

tur effectus, ſatis eſt, intelligi cauſam illi proportionatam; ut adeo ſicut ad effectum abſolutum requiritur decretum abſolutum, ita ad ejusdem conditionatam futuritionem requiratur decretum duntaxat conditionatum. Damus eminentiſſimo Gottio (cujus objectionem retulimus) illa, quæ actu non ſunt, erunt tamen abſolute, exigere duntaxat (quantum de ſe eſt) ut cauſas alias, ita & decretum Dei applicativum in tempore, & pro eo tempore, quo ponentur: quia tamen decreta Divina in tempore fieri non poſſunt ob ſummam Divinæ voluntatis immutabilitatem (vi cujus Deus eo momento, quo res aliqua volibilis eſt, neceſſario eam debet velle, aut nolle, aut utrumque libere omittere) per accidens exigunt abſolute futura decretum applicans omnipotentiam eſſe æternum. *Ad* 5. *R.* Nihil eſſe Deo indignum, ſi converſio hominis (quam per ſcientiam neceſſariam videt poſſibilem) prævifo conditionato diſſenſu ſub certo auxilio fiat impoſſibilis: voluntas nempe humana ſub illo auxilio liberrima eſt, quo tamen non obſtante poterit Deus conſenſum ſub aliis auxiliis obtinere. Ante ſcientiam conditionatorum Deus nec proxime potens eſt ad decernendum conſenſum, nec ad determinandum diſſenſum (proxime enim potens fit per hanc ipſam ſcientiam) atque ita nec pure tunc omittit, nec ſuſpendit libertatis ſuæ exercitium, quod ipſi eo momento nondum eſt poſſibile. Rurſum ſuppoſita ſcientia de conditionata hominis converſione eandem utiliter decernere poteſt: non obſtante enim illa ſcientia, libera ipſi eſt conditionis poſitio, quam proinde decernendo, converſionem virtualiter ſimul, aut certe illative decernet. *Ad* 6. *R.* In hypotheſi noſtræ ſcientiæ illæſam prorſus eſſe libertatem humanam: licet abſoluta hominis actio tempore, & ſubſiſtendi, ut aiunt, conſequentia ſit poſterior ſcientia conditionatorum; non tamen eſt natura poſterior. Ideo duntaxat ab æterno eſt illa ſcientia, quia re ipſa futura eſt ſub hoc adjutorio actio libera hominis: non igitur hæc determinata ſcientia

tia

tia requiritur ad auxilium provide conferendum; nec per illam aut auxilium illi ſubſtans conſtituitur libertas humana, quæ præciſe habetur per adjutorium gratiæ ad hoc indifferens, ut vel ab hac, vel alia ſcientia conferatur.

XXIX. Urgent porro Adverſarii noſtri ſyſtematis cum citato Gottio, nituntur que oſtendere, nobis admittendum eſſe, ante omne decretum Divinæ voluntatis actu exiſtens dari non tantum veritatem contingentem conditionatam, ſed & abſolutam. Sic autem arguunt: ſi Deus novit hominis voluntatem ſub tali ei conferenda gratia conſenſuram, veriſſimum eſt, auxilium hoc nunquam conjunctum iri cum diſſenſu. Quod ſi ita eſt, datur ante decretum Dei abſolutum, &, ut vocant, exercitum veritas abſoluta contingens, nempe hæc: *vel non erit hoc gratiæ adjutorium, vel cum hoc erit conſenſus;* datur, inquam, hæc veritas, non tantum ut habet ſenſum conditionatum, ſed etiam ut continet ſenſum abſolutum disjunctivum: ut enim veritas disjunctiva ſubſiſtat, ſatis eſt, ut alteri ex disjunctivis propoſitioni ſua conſtet veritas, atque adeo ut vera ſit hæc propoſitio: *ſi erit hoc adjutorium gratiæ, erit conſenſus voluntatis humanæ.* Certe ante omne decretum Dei actu exiſtens neceſſe eſt, ut auxilium præviſum efficax conferatur, aut non conferatur. Quidquid horum fuerit, nunquam erit ſub illo auxilio diſſenſus abſolutus: ſi non conferatur auxilium, certum eſt, non fore diſſenſum, ut per ſe conſtat; quod ſi conferatur auxilium, dependenter a præviſo conſenſu non erit ejusdem omiſſio; ut adeo ante decretum Dei abſolutum ſit aliquid neceſſario connexum cum conſenſu. Ita quidem ſubtiliter, at inaniter, arguunt dicti Theologi: nam ſi rite res expendatur, facile intelligetur, ante voluntatem Divinam (qua decernitur vel auxilii collatio, vel ejusdem negatio) nondum videri, an abſolutus diſſenſus ſit conjungendus cum auxilio, nec ne, atque adeo nondum videri caren-

tiam contingentem conſenſus præſtandi ſub illo auxilio; ſed nec videri determinate carentiam conſenſus neceſſariam, ſeu ut componendam cum negatione auxilii, quæ independenter a decreto Divino non videtur. Cognoſcuntur igitur duntaxat ante liberum voluntatis Divinæ exercitium hæ veritates conditionatæ: *ſi fuerit auxilium, erit diſſenſus omiſſio contingens; ſi non fuerit auxilium, erit diſſenſus carentia neceſſaria*, quarum prima veritas cognoſcitur per ſcientiam mediam, altera per neceſſariam. Ex quo facile conjicies, allatam propoſitionem disjunctivam, prout continet ſenſum abſolutum, non videri ante abſolutam Dei voluntatem; etſi videatur illius verificativum, nempe conditionatus ſub hoc gratiæ adjutorio conſenſus: ut enim videatur tota propoſitio disjunctiva, ſatis non eſt, videri præciſe ejus verificativum, quod eſt unum disjunctionis membrum; requiritur inſuper, ut videatur utrumque. Cum igitur abſoluta auxilii collatio, tanquam alterum disjunctivæ propoſitionis membrum, non videatur ante actuale Dei decretum, totam propoſitionem non videri indubium eſt.

CAPUT VI.

ADFERTUR UBERIOR EXPLANATIO SYSTEMATIS MOLINIANI, AC SUAREZIANI.

Duo nobis hoc loco ad pleniorem priorum aſſertionum intelligentiam ſunt explicanda; inprimis oſtendi debet tota hujus ſyſtematis æconomia, prout vel utile, vel etiam neceſſarium eſt ad conciliandam cum libertate humana efficaciam gratiæ, & ad dirigenda Dei Decreta: deinde quænam ſint hujus ſyſtematis neceſſaria conſectaria, paucis declarandum erit.

§. I.

§. I.

Syſtema, Uſus, ac ordo ſcientiæ mediæ.

XXX. Poſtquam ſummæ circa explicandam libertatem humanam difficultates viſæ ſunt in ſyſtemate eorum, qui gratiam ex ſe, & natura ſua efficacem, ac decreta abſoluta præmoventia in Deo admittunt; exiſtimarunt cum Molina, Suario, & integra Schola noſtra Theologi, Deum nihil abſolute decernere circa liberas hominum actiones, quin prius per ſcientiam mediam cognoverit, quid homo facturus eſſet, ſi in his, vel illis circumſtantiis poneretur, ſi hæc, vel illa gratiæ auxilia conſequeretur: quæcunque enim ſupponatur gratiæ vis, ac efficacia, voluntatem ſemper poſſe ei diſſentire, ſi velit, certum eſt. Antequam igitur, aiunt hujus ſyſtematis patroni, Deus abſolute ſtatuat converſionem hominis adjuvante tali gratia futuram, debet prius prævidiſſe, an re ipſa homo huic gratiæ ſit conſenſurus, cui re ipſa poteſt non conſentire. Illa vero ſcientia, per quam Deus id prævidet, dicitur ſcientia media, ob duplicem rationem ita dicta: I. Quia objectum hujus ſcientiæ medium eſt inter objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiæ viſionis; ſicut enim prior eſt objective in ſubſiſtendi conſequentia veritas conditionata veritate abſoluta, ſeu objecto ſcientiæ viſionis, ita eſt eadem ratione poſterior pura rei poſſibilitate, ſeu objecto ſcientiæ naturalis: ut enim ex actione ſeu conſenſu abſolute ſub hac gratia futuro rite infertur, fore conſenſum, ſi fuerit talis gratia, & non viciſſim; ita ex hac veritate conditionata rite infertur conſenſus poſſibilitas, & non viciſſim. II. Dicitur ſcientia media, quia participat aliquid ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ & aliquid ſcientiæ viſionis, ex utraque rurſus aliud quidquam non habet: nempe ut objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ antecedit omne decretum Dei liberum, at-

que ita Deo liberum non eſt; ita objectum ſcientiæ mediæ antevertit omne actuale Dei decretum, atque adeo Deo liberum non eſt. Dein ut objectum ſcientiæ viſionis eſt contingens, ita & objectum hujus ſcientiæ rerum conditionate futurarum contingens eſt; ab utriuſque tamen & ſimplicis intelligentiæ, & viſionis objectis objectum hujus ſcientiæ differt rurſus in aliquo alio; ab illo nempe, quod non ſit neceſſarium, quodque involvat decretum Dei ſaltem ſub conditione exercendum; ab hoc, quod non ſit liberum Deo, neque importet decretum Dei exercitum, & abſolutum.

XXXI. Ante omnia nonnulla a noſtro ſyſtemate, quibus illud adverſarii in contemptum adducere nitebantur, procul ſunt removenda. I. Audiendi non ſunt ii, qui fingerent ſcientiam mediam Deo eſſe motivum, ac regulam concedendi gratiam iis, quos ea bene uſuros prævidet. Tantum enim abeſt, ut id dicant Moliniani, ut potius aſſerant, gratiam conferri a Deo ex puro ipſius beneplacito, ac liberalitate; multos ſane eſſe, quibus gratia non datur, etſi eidem conſenſuri videantur, vel unum exemplum Tyriorum, ac Sidoniorum oſtendit. II. Abſit, ut judicentur Moliniani aſſerere, gratiam vim, & efficacitatem ſuam trahere ex libero arbitrio, cui ſubjiciatur. Nam efficacia gratiæ ſpectari poteſt vel in actu primo, vel in actu ſecundo. Si primo modo ſpectetur, eſt vis intrinſeca gratiæ, qua voluntatem excitare, movere, flectere, & allicere poteſt ad bene operandum, atque ſic non pendet ab arbitrio libero; ut fatetur ipſe *Auctor libri Concordiæ* his verbis: *arbitrium, & influxus noſter nullam vim conferunt gratiæ auxiliis, ſed potius auxilia vim, & propenſionem arbitrio tribuunt ad conſenſum, arbitrium ipſum ad id invitando, alliciendo, atque adjuvando.* Si vero gratia ſpectetur in actu ſecundo, efficax fieri per ipſum conſenſum dici poteſt ſine injuria gratiæ; ſicut abſque injuria gratiæ dixit Apoſtolus

(2.

(2. ad Timoth. c. 1.) *admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Quaſi diceret: otioſam, ac conſopitam gratiam excita in opus, redde efficacem, & operantem. Quod ſi enim voluntas gratiæ libere ita conſentit, ut diſſentire poſſit, quidni accedente conſenſu dici poteſt reddere gratiam efficacem in actu ſecundo? hoc loquendi modo nihil aliud notatur, quam quod voluntas gratiæ libere conſentiat. III. Sano ſenſu accipiendi ſunt ii, qui dicunt, gratiam in ſyſtemate ſcientiæ mediæ *verſatilem* eſſe, ac libero arbitrio ſubditam: nam non ita verſatilis eſt gratia Divina, ut ab arbitrio hominis vim ſuam, ac efficacitatem mutuetur; ſed id ita intelligendum eſt, ut gratia ex ſeſe, & natura ſua non habeat eſſentialem cum voluntatis actione connexionem. IV. Rurſus audiendi non ſunt, qui putant in noſtro ſyſtemate gratiam per liberum arbitrium præveniri, aut ex ſolis naturæ viribus voluntati tribuendum eſſe aliquid, quo ſe diſcernat. Diſcretio enim (ut N. 28. dixi) a Deo eſt, non ab homine, juxta illud Apoſtoli: *non ego, ſed gratia mecum.* Demum abſit, ut dicamus, gratiam ita eſſe verſatilem, omnibuſque æqualem, ac communem, ut nulla major ſit Dei pro electis, quam pro aliis conſtitutio, & præelectio.

XXXII. His rejectis, ac in tuto poſitis, quis uſus, quæ neceſſitas ſit ſcientiæ mediæ, paucis indicandum. Inprimis cenſemus, ſcientiam mediam circa actus ſalutares plurimum opportunam eſſe ad conciliandam gratiæ efficaciam cum libertate humana, quæ, ut fides docet, non ſolum importat immunitatem a coactione, ſed etiam a neceſſitate. Nam quid aliud requiras ad efficaciam gratiæ cum libertate conciliandam, quam ſi gratiam admittas ſumma infallibilitate connexam cum conſenſu, & voluntatem tamen pro arbitrio ſuo poſſe diſſentire gratiæ? atqui nonne hæc duo conciliat ſcientia media, qualem defendimus? Nam in noſtro ſyſtemate intellectus Divinus

novit conſenſum eſſe futurum ſub conditione talis gratiæ: hæc igitur ſumma infallibilitate connexa eſt cum conſenſu voluntatis; quidquid enim Deus cognoſcit, ſumma infallibilitate cognoſcit. Sed & intellectus Divinus cognoſcit conſenſum futurum ſub conditione talis gratiæ ex ſe indifferentis, & repudiabilis, ut adeo voluntas accepta tali gratia poſſit diſſentire, eam repudiare, cum ea diſſenſum conjungere: ſuppoſita igitur ſcientia media conciliatio gratiæ efficacis cum libertate humana facile intelligitur. Non minus ſcientia media accomodata eſt ad dirigenda Dei decreta, qualia eſſe in Deo ſequenti controverſia oſtendemus. Atque ut unicum decretum prædefinitivum actus ſalutaris ſpectemus, per illud Deus abſolute, & efficaciter vult, ut opera ſalutaria non tantum fiant, ſed etiam fiant cum plena libertate. Quis autem dubitet, ad dirigenda iſta decreta aptiſſimam eſſe ſcientiam mediam? Hæc nempe ejusmodi eſt, qua Deus ſumma infallibilitate præſcit, actiones ſalutares non modo fieri, ſed & fieri cum expedita ad utrumlibet facultate, ſi voluntas tali gratia vocaretur. Eodem modo conciliari poſſe certitudinem prædeſtinationis cum libertate voluntatis ex dicendis patebit.

XXXIII. Supereſt, ut in ſyſtemate ſcientiæ mediæ ordo ac ſeries decretorum Divinorum paucis declaretur. I. Per ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ* Deus cognoſcit, quidquid poteſt; infinitos e. g. rerum ordines ſtatuere, infinita & omnis generis ſalutis conſequendæ adjumenta, ac gratias hominibus ſubminiſtrare. II. Per *ſcientiam conditionatorum*, quæ media dicitur, non tantum videt Deus, quid ipſe ſub certa hypotheſi eſſet facturus, ſed & quidquid homo facturus foret, ſi in his, vel illis circumſtantiis, in hoc, vel illo rerum ordine collocaretur, ſi hæc, vel illa gratiæ adjutoria haberet. III. Inter plurima gratiæ auxilia (quibus homo vel conſenſurus, vel diſſenſurus prævidetur) ea Deus miſericorditer abſoluto de-

decreto conferre ſtatuit, quibus re ipſa homo eſt conſenſurus: quæ certe gratia ex ſeſe efficax eſt, quam Deus ex pura ſua benignitate largitur in his, vel illis circumſtantiis ita accommodatam, ut effectum ſuum certiſſime aſſequatur. Hoc abſolutum decretum (uti & plurima alia) ſequitur, non antecedit ſcientiam mediam. IV. Per ſcientiam *viſionis* certo videt Deus decreta ſua abſoluta, & quidquid homo Divina gratia præmunitus in tempore eſt facturus. Etſi autem Deus omnia hæc indiviſibili, & unica cognitione intueatur, cognitiones tamen iſtæ Divinæ diverſis momentis attribuntur; non quaſi aliquid Deus ignoraret prius, ſed quia ob imperfectum noſtrum concipiendi modum intelligitur alia prius, alia poſterius cognoſcere, ob quandam ipſorum objectorum inter ſe ſucceſſionem, ut alibi dixi.

§. II.

Conſectaria Syſtematis.

XXXIV. Quoniam hoc, quod hactenus propoſuimus, ſyſtema permoleſtis, & ad contemptum conciliandum excogitatis conſectariis omni retro tempore impugnatum fuit, operæ pretium nos facturos exiſtimamus, ſi ea, quæ inde plane, & non niſi neceſſaria conſecutione derivantur, ob oculos conſtituamus. Sequitur igitur I. Deum per ſcientiam mediam non tantum videre conditionata voluntati humanæ, ſed & ſibi libera, ſeu decreta ſua ſub certa conditione futura, ut adeo non ſatis cohærenter loquantur, qui admiſſa in Deo ſcientia conditionatorum creaturis liberorum, negant ſcientiam, qua Deus cognoſcat, & quidem independenter ab omni decreto abſoluto, quid ipſe ſub quavis hypotheſi indifferente ab æterno vellet, nollet, aut quovis alio modo decerneret: ſi enim rationes hactenus allatas pro ſcientia conditionatorum

rite

rite expendas, affirmare debebis, eas vel utrumque, vel neutrum evincere. Si admittitur, Deum cognoſcere, quid quævis creatura libera ſub quavis hypotheſi indifferente ageret, vel non ageret; quid eſt, cur negetur, etiam Deum ex ſe ſumme determinatum cognoſcere, quid ipſe ſub certis conditionibus decerneret? An non actus conditionati Deo liberi independenter a poſitione conditionis ſuum habent eſſe objectivum, ac relativum, ut habent actus conditionati creaturæ liberi? An non veritates utriuſque generis conditionatæ, ſeu pertineant ad actus Deo, ſeu creaturæ liberos, priores ſunt ſubſiſtendi conſequentia veritatibus abſolutis? Ut adeo ſicut hæ per ſcientiam viſionis, ita illæ per ſcientiam mediam cognoſcantur; an non ex ipſis decretis abſolutis reſultant conditionata intellectui Divino cognoſcibilia? Certe ſine omni fundamento aſſeritur, Deum omne illud, quidquid in infinitis variis hypotheſibus ageret, vel non ageret, abſoluto quodam decreto ſtatuere. Nam ſi Deus circa ea futura ſimile decretum deberet concipere, vel fieret ideo, quia aliter conditionata veritas, quam in decreto aliquo abſoluto, non eſt viſibilis; at hoc falſum eſſe oſtendunt actiones conditionatæ creaturis liberæ: vel fieret ideo, quia deberet Deus ſtatim poſt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ omne ſub conditione quacunque volibile abſolute velle, vel nolle, ne nempe hæſitare Deus, aut pure libere omittere dicatur, adeoque idem præſtare, ac ſi poſitive ſub hac conditione conditionatum nollet; at hæc rurſus inania ſunt: neque enim hæſitat, aut deliberat Divina voluntas eo momento, quo ſe conditionate exercet; neque in ſigno ſimplicis intelligentiæ fit potens ſub conditione abſolute volendi aut nolendi conditionatum, niſi ita, ut independenter ab hac volitione ſubjective abſoluta reſultet, atque ſic cognoſcibilis ſit veritas pure conditionata. Exiſtimat quidem Laudatus alias Molina, Deum ideo præciſe videre ſine ullo ſuo decreto, quid ſub variis conditionibus facturus fuerat

rat creatum arbitrium, quia illud ſupercomprehendit: cum igitur Deus ſeſe non ſupercomprehendat, ſed comprehendat tantum, non videbit relationes, & habitudines ſuæ voluntatis, quæ tantum eſſent, verum illas duntaxat, quæ actu ſunt. At vero etſi Deus ſeſe tantum comprehendat, tam perfecte tamen cognoſcit ſuam, quam creatam voluntatem, cognitione nempe infinite perfecta, & eſſentialiter determinata ad relationes omnes ſeu ſuæ, ſeu alienæ voluntatis (quæ in ſe cognoſcibiles ſunt) cognoſcendas; ut rite arguit doctiſſimus Suarezius.

II. Conſectarium eſt, Deum videre etiam ſine actuali volitione, decreta ſua futura ſub tali conditione, cujus poſitionem aliquando futuram intuetur: e. g. cognoſcit prædeſtinationem electorum ſub conditione meritorum, quæ aliquando futura eſſe certiſſime videt. Cur enim iſta ſua decreta pure conditionata non videat? fortaſſis ideo, quia illa videt per ſcientiam viſionis, eo quod actus liber ſub conditione, cujus poſitio videtur, non ſit conditionatus, ſed abſolutus. Ita quidem cenſent quidam R.R. at hoc minime obeſt; licet enim Deus per eandem re ipſa, ac indiviſibilem cognitionem videat poſitionem conditionis, videat ipſum prædeſtinationis decretum abſolutum; in illo tamen ſigno, in quo per noſtrum concipiendi modum relucet ſolum conditionatum Divinæ voluntatis exercitium utpote ſubſiſtendi conſequentia prius, nulla videtur conditionis poſitio, atque adeo cognitio ut terminata ad conditionatam hanc veritatem, atque per noſtrum cogitandi modum cum fundamento diſtincta a cognitione (quæ terminatur ad poſitionem conditionis) repræſentat Deo duntaxat veritatem conditionatam, & non exhibet, ſed præſcindit a poſitione conditionis.

III. Sequitur, Deum cognoſcere etiam ſine decreto ſubjective abſoluto illa decreta conditionata, in quibus ex parte conditionis aſſumitur actus aliquis creaturæ liber, ſeu quando ex parte conditionis importatur tacite, ſed conditionate id ſubſiſtens, quod ex parte conditionati exprimitur ut abſolute ſubſiſtens, ut adeo Deus cognoſcat ſe daturum, vel non daturum gratiæ auxilium, ſi voluntas humana huic gratiæ conſentiret, vel diſſentiret. Hinc a vera doctrinæ conſequentia multum deflectunt illi, qui admiſſa ſcientia decretorum conditionatorum, in qua pro conditione aſſumitur aliud decretum Deo liberum, negant illam ſcientiam, in qua pro conditione ponitur actio aliqua creaturæ libera; certum enim eſt decretum perinde conditionate eſſe, ſeu hæc, ſeu illa conditio indifferens aſſumatur. Demus igitur has veritates: *ſi Deus videret bonum uſum ſub hac gratia, illam conferret; non collaturus, ſi videret abuſum, ſeu diſſenſum.* Ideo Deus (ut arguunt quidam R. R.) has veritates non cognoſceret per ſcientiam mediam, quia eas videret per ſcientiam neceſſariam; cum affirmans veritas neceſſario ſit vera, & negans neceſſario falſa: atqui utraque propoſitio contra hos ipſos oſtenditur eſſe contingens. Affirmans veritas (qua Deus cognoſcit ſe collaturum gratiam, ſi voluntas humana cooperaretur) ex parte conditionis importat quidem collationem gratiæ conditionatam, ſed conditionate ſubſiſtentem; & ex parte conditionati exprimit conditionatam gratiæ collationem, abſolute tamen ſubſiſtentem: Negans veritas (qua Deus cognoſcit negationem gratiæ, ſi voluntas humana eidem non cooperaretur) importat ex parte conditionis conditionatam duntaxat gratiæ collationem conditionate ſubſiſtentem, & ex parte conditionati conditionatam negationem gratiæ abſolute ſubſiſtentem; quis igitur dicat, priorem veritatem eſſe neceſſario veram, & poſteriorem neceſſario falſam? prior hunc ſenſum continet: *ſi videretur voluntas hominis conditionate conſenſura gratiæ, ea illi abſolute foret conferen-*

feren-

ferenda; poſterior veritas hunc ſenſum habet: *ſi videretur voluntas conditionate diſſenſura gratiæ, ea non foret conferenda abſolute.* Hujus expoſitionis ratio eſt manifeſta: nam poſitio conditionis, ſub qua affirmatur abſoluta gratiæ collatio, eſt conditionata duntaxat gratiæ exiſtentia, ſeu quæ non actu abſolute, ſed quæ conditionate eſt; purificatur enim conditio per conditionatam duntaxat gratiæ exiſtentiam hac veritate expreſſam: *ſi voluntas haberet gratiam, conſentiret.*

IV. Conſequitur, ſcientiam hanc (qua Deus videt ſua decreta ſub conditione creaturis libera) aliquo ſenſu locum habere medium inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiæ mediæ directæ, item inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis. Certum quidem eſt, hanc decretorum conditionatorum ſcientiam Deum non dirigere ad decreta abſoluta (quibus creaturis liberis ſua auxilia ſupremus Dominus diſtribuit) atque adeo objectum illius natura nec eſſe prius objecto ſcientiæ directæ, nec objecto ſcientiæ viſionis: imo ſi ſcientia media de bono uſu gratiæ ſola ſumatur, rurſus inter ſe hæ ſcientiæ nullam omnino, ne quidem in ſubſiſtendi conſequentia, prioritatem habent; cum neutra inferri poſſit ex altera. Quod ſi tamen ſcientia media directa accipiatur, ut purificata per abſolutam gratiæ collationem, hæc poſterior eſt per noſtrum cogitatum ſcientia decretorum conditionatorum, quæ nempe ex conditionato voluntatis ſub gratia conſenſu, & ipſius gratiæ collatione infertur. Rurſus ſi objectum ſcientiæ viſionis, ſeu decretum abſolute collativum gratiæ, ſe ſolo ſumatur, nullam ob ſimilem rationem inter ſe habent dictæ ſcientiæ connexionem; igitur ſcientia viſionis duntaxat poſterior erit ſcientia decretorum conditionatorum, prout eſt purificatio ſcientiæ mediæ directæ, quatenus ex hoc ſolum complexo inferre licet, ſine mutua illatione, ſcientiam Divinam de danda gratia prævíſa efficaci.

Dd 2 §. III.

§. III.

Diluuntur objecta Adverſariorum.

XXXV. Triplex objectionum genus eſt, quibus ſcientia decretorum conditionatorum potiſſimum impugnatur. Vel enim illam aiunt obeſſe libertati Divinæ, vel libertati humanæ, vel aliis Dei perfectionibus; igitur arguunt I. ſuppoſita ſcientia Dei de conferenda gratia ſub conditionato bono uſu creaturæ, Deus non poteſt non conferre gratiam prævifam efficacem; alioquin vel falſam redderet, vel impediret ſaltem ſcientiam ſuam: neutrum autem fieri poteſt; non primum, quia ſcientia Dei infallibilis eſt, non alterum, quia ſcientia prior omni exercitio libertatis Divinæ impediri non poteſt. Addunt, ſcientiam illam natura ſua eſſe priorem abſoluto decreto de conferenda gratia, eo quod dirigere debeat Deum relate ad ſua decreta concipienda: quod ſi autem natura eſt prior abſoluto Divinæ voluntatis exercitio, ejusdem libertati plurimum obeſt; ut per ſe patet.

Arguunt II. Libertati humanæ exitioſum eſt non tantum omne principium proximum, ſed & omne principium remotum, quod impediri non poteſt, quodque neceſſario connexum eſt cum actione, vel ejus omiſſione, vel aliquid horum determinate excludit: eſt autem omne id libertati humanæ inevitabile, quod non modo abſoluto, ſed & conditionato ejus exercitio inconſulto habetur; quare ſi quid tale vel infert, vel excludit alterutrum extremorum, pernicioſum eſt libertati, ſeu conſtituat, ſeu non conſtituat potentiam proximam, quia reddit potentiam ad alterum libertatis extremum inhabilem. Jam vero quis non videt ejusmodi principium eſſe ſcientiam decretorum conditionatorum? ſi enim Deus videt ſe ita homini collaturum hanc gratiam, hoc auxilium prævifum efficax, ut

pro

pro caſu inefficaciæ, & diſſenſus non foret illud daturus, vel etiam nullum aliud indifferens daturus, vel plane daturus neceſſitans auxilium, ſi videretur diſſenſus creaturæ conditionatus, ſi, inquam, Deus hæc habet decreta conditionata, an non ipſa horum ſcientia erit antecedens omnem libertatem humanam, ſimulque neceſſario connexa cum conſenſu ſub iſta gratia abſolute futuro? antecedens eſt ipſam libertatem humanam, quia minime pendere poteſt a poſteriore conſenſu conditionato hominis, atque adeo impediri non poteſt; neceſſario etiam connexa cum conſenſu, quia ſi foret diſſenſus, non eſſet conferenda gratia.

Arguunt III. Videtur repugnare Dominio, & perfectioni Dei, ut ante abſolutam, & actualem ejus voluntatem habeatur abſoluta gratiæ præviſæ efficacis futuritio: haberetur autem in noſtro ſyſtemate; nam ante omne abſolutum Divinæ voluntatis exercitium & haberetur hæc ſcientia: *ſi Deus videret bonum creaturæ uſum, daret gratiam*, & hæc: *ſed videt conditionatum bonum uſum creaturæ ſub iſta gratia*, in quo ſane complexo videtur abſoluta gratiæ futuritio. His igitur præcipuis objectionibus ordine erit ſatisfaciendum.

I. Scientia conditionatorum Deo liberorum, ſub quacunque demum conditione, tam parum obeſt libertati Divinæ, quam parum obſtat libertati humanæ ſcientia conditionatorum creaturis liberorum; ſicut conſenſus conditionatus voluntatis humanæ prior eſt abſoluto, non quidem natura, ſed ſubſiſtendi duntaxat conſequentia, atque adeo per abſolutam libertatem creatam impediri poteſt; ita exercitium Dei conditionatum prius eſt abſoluto, non natura, ſed ſubſiſtendi duntaxat conſequentia, atque adeo per abſolutam libertatem Divinam impediri poteſt. Abſit autem, ut dicamus, Deum ab iſta ſcientia dirigi ad decreta ſua concipienda; nam etſi ſcientia

de actibus creaturæ liberis conditionate futuris neceſſaria ſit ad infallibilem Dei providentiam cum libertate humana conciliandam, atque adeo Deum dirigere debeat relate ad conferenda gratiæ auxilia; ſcientia tamen de conditionatis decretis ita neceſſaria non eſt: ſine hac enim Deus ſumme eſt providus in decernendo, etiam circa creaturas liberas, non tantum Providentia ſufficientiæ, ſed & Providentia efficaciæ. Neceſſaria igitur duntaxat eſt ad hoc, ut Deus cognoſcat, quidquid illius cognitioni poteſt eſſe ſubjectum.

II. Fatemur inprimis humanæ libertati noxium eſſe, ſi Deus ſtatueret ita conferre auxilium præviſum efficax, ut pro caſu inefficaciæ, ſeu diſſenſus aut nullum, aut plane neceſſitans vellet conferre; id quod paucis ſic oſtendi poteſt: quidquid independens eſt a libertate creata, ſimulque neceſſario vel illativum conſenſus, vel excluſivum omnis diſſenſus, id enimvero noxium eſſe cenſetur libertati humanæ, ut ſupponimus ex tractatu de gratia. Atqui utraque ſcientia eſt independens a libertate creata, quia antevertit conditionatum etiam voluntatis humanæ exercitium; altera inſuper eſt neceſſario excluſiva omnis diſſenſus, altera neceſſario illativa conſenſus. Quod ſi enim Deus ſtatueret nullum conferre auxilium pro caſu diſſenſus, erit antecedens neceſſitas, ut poſtea vel videatur conditionatus ſub auxilio indifferente conſenſus, vel diſſenſus; igitur & erit antecedens neceſſitas, ut nunquam videatur abſolutus diſſenſus, quia ſi videbitur conditionatus diſſenſus, non erit auxilium; ſi videbitur conditionatus conſenſus, in illius conſortio erit neceſſario abſolutus conſenſus, neque eſſe poterit diſſenſus. Rurſus & ex ſimili ratione ſi Deus ſtatueret pro caſu inefficaciæ conferre auxilium neceſſitans, erit antecedens neceſſitas, ut poſtea videatur abſolutus conſenſus vel ſub auxilio indifferente, vel neceſſitante. Ut igitur inviolabilis maneat humana libertas, ita ſub conditione con-

ferendum videri debet auxilium prævifum efficax, ut pro caſu diſſenſus videatur inſuper conferendum auxilium aliud indifferens; nam in his circumſtantiis etſi fortaſſis humana voluntas non poſſit conjungere diſſenſum cum eodem auxilio, quod non haberet pro caſu diſſenſus; poterit tamen diſſenſum conjungere cum alio (quod illi conferendum foret) auxilio indifferenti; id quod ad ſalvandam libertatem quoad ſubſtantiam ſufficere alibi oſtendetur, ubi de gratiæ efficacia cum libertate humana conciliianda uberius agetur.

III. Eodem temporis momento, quo intelligitur ſcientia de conferenda gratia ſub conditione boni uſus, & ejusdem purificatio, neceſſe eſt, ut intelligatur etiam decretum abſolutum ejusdem gratiæ collativum, atque adeo futuritio gratiæ abſoluta, cum illud complexum nec natura, nec ſubſiſtendi, ut aiunt, conſequentia poſſit intelligi prius, quam abſolutum Dei decretum; ut adeo abſque actuali Dei voluntate nullius rei contingentis abſoluta futuritio habeatur.

CON-

CONTROVERSIA III.

DE

VOLUNTATE, AC PROVIDENTIA DEI TAM CIRCA ELECTOS, QUAM REPROBOS.

Tractatio iſthæc, quam de Divina voluntate, & Providentia inſcribimus, ſi obiter, & quaſi in cortice ſpectetur, omnibus patens eſt, adeoque aperta, ut nemo, qui admiſerit Deum eſſe, eum volentem, ac providum eſſe negaverit. Quis enim ambigat, in Deo eſſe voluntatem, ac Providentiam, cujus nutu, & arbitrio univerſa facta ſunt, conſervantur, ac gubernantur? verum ſi quis penitius rem penetrare, & introſpicere conetur, non niſi abdita, inacceſſa, latebras caligine plenas, & myſteria humanum captum ſuperantia deprehendet: quomodo enim concipiet voluntatem Dei immutabilem, at liberam; velle omnium ſalutem, ſed etiam aliquorum perditionem; efficacem eſſe, ut ei nullus reſiſtat, & tamen humanam non lædere libertatem? Hæc, & ſimilia ardua ſane ſunt, noſtrique intellectus tenuitatem excedentia, niſi fidei lumine & S. S. P.P. auctoritate ſuffulti has difficultates nos evaſuros eſſe ſperaremus. Igitur primo agemus de iis, quæ ad Divinam voluntatem revocantur; ſecundo de Providentia, ac Decretis prædefinientibus; tertio demum de exiſtentia, proprietatibus, cauſis, ac effectibus prædeſtinationis, & reprobationis.

CAPUT I.

DE VOLUNTATE DEI.

In hoc argumento tria explananda occurrunt. I. Exiſtentia, ac diviſio voluntatis Divinæ. II. Ejusdem objectum. III. Proprietates, ac affectiones. Sit igitur

§. I.

Quid ſit, & quomodo dividatur, Divina voluntas?

I. Eſſe in DEO voluntatem, ſcripturarum teſtimonia, & rationum manifeſta momenta loquuntur. Dicitur Pſ. 113: *Omnia, quæcunque voluit, fecit;* in quæ verba ſcribit Ambroſius l. 2. Hex. c. 2: *quid enim difficile eſt ei, cui velle feciſſe eſt?* Joan. 3: *ſpiritus ubi vult ſpirat.* Et 1. Corinth. 12: *dividens ſingulis, prout vult*, in quæ verba idem D. Doctor l. 2. de fide c. 3: *in tantum*, inquit ad Arianos, *proceſſiſtis iniquitatis, ut negetis, quod Filius DEI liberæ voluntatis ſit. Ac certe ſoletis etiam S. Spiritui derogare, & negare non poteſtis ſcriptum eſſe: Spiritus, ubi vult, ſpirat; ergo ſi Spiritus ubi vult, ſpirat, Filius, quod vult, non agit? . . . omnia operatur unus, atque idem Spiritus dividens ſingulis, prout vult: prout vult, inquit, hoc eſt pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio.* Adde Apoſtoli locos alios, ad Rom 12: *reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis, quæ ſit voluntas DEI bona, beneplacens, & perfecta;* ad Epheſ. 1: *qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ;* Ad Coloſſ. 1: *poſtulantes, ut impleamini agnitione voluntatis DEI in omni ſapientia.* Quod dogma definitum fuit contra Monothelitas ab Agathone in Ep. quæ habetur in ſexto Concilio generali, in quo duplex Chriſto voluntas, ac volitio, ſeu operatio Divinæ vo-

luntatis Divina, & humana aſſeritur. Rationum etiam momenta pro hoc dogmate pugnant: quid enim voluntas eſt, niſi appetitus boni cum ratione? an non igitur in ente ſumme rationali, ac perfecto eſſe debet talis appetitus, cum ſit pura perfectio? quis neget eum voluntate eſſe præditum, qui aliis dat voluntatem? præſertim ſi illa voluntas ab omni imperfectione eſt ſeparata. Ex quo ipſo conſequitur, voluntatem, & volitionem realiter eſſe Deo identificatam, ut adeo voluntas Divina concipi a nobis ſine fictione non poſſit per modum potentiæ proprie talis, quæ importet virtutem effectricem, & receptivam actualis volitionis, ut in ſimili dictum eſt de intellectu Divino; Igitur multo aliter voluntas creata ſe exercet circa objecta, multo aliter voluntas Divina: creata activa eſt, & efficiens ſuæ volitionis, non item Divina. Nam in creatis volitio, ſeu exercitium ipſum a voluntate realiter eſt diſtinctum; at vero in Deo volitio eſt ab ipſa Divina voluntate indiſtincta, etſi applicatio hujus volitionis ad objectum ſit diſtincta; ut uberius infra dicetur.

II. Sicut DEUS Unico, & indiviſibili actu intelligit omnia, ita Unico actu voluntatis ſuæ a natura Divina indiſtincto vult univerſa; ut adeo cum ſcriptura *Pſ.* 100. *v.* 2. plurali numero *voluntates* in Deo exprimit, illa multiplicitas intelligenda ſit non ex parte Dei, ſed ex parte objectorum, ad quæ Divina voluntas fertur, vel ex parte modi, quo circa illa verſatur, vel ex parte effectuum, quos operatur. Porro volitio Divina a D. Thoma proprie *beneplaciti* dicitur, ut diſtinguatur a voluntate metaphorica, ſeu *ſigni*, id eſt, ab externis ſignis, quibus Deus internam ſuam volitionem ſignificat, quæ etiam per Analogiam quandam in ſcripturis voluntas Dei compellantur; qualia ſigna D. Thomas quinque enumerat, *præceptum*, *conſilium*, *prohibitionem*, *permiſſionem*, & *operationem*. Hæc ſigna ſemper conjunguntur cum aliqua voluntate beneplaciti,

quia

quia ſemper notant aliquam in Deo voluntatem, alioquin ſigna forent falſa; at non ſemper ſignificant, Deum velle quidquid illo ſigno apprehendimus, ut patet ex c. 22. Gen. ubi Deus præcepit Abramo, ut offerret Filium in holocauſtum, Abramus enim intellexit hoc præcepto Deum velle ſibi immolari, cum vellet duntaxat tentare ejus obedientiam. Voluntas beneplaciti duplex diſtinguitur a Theologis, antecedens, ac conſequens: *quæ quidem diſtinctio*, ait D. Thomas 1. *p. q.* 19. *a.* 6. *non accipitur ex parte ipſius voluntatis Divinæ, in qua nihil eſt prius, ac poſterius, ſed ex parte volitorum.* Voluntas autem *antecedens* illa dicitur, qua Deus ex bonitate ſua vult fieri aliquid ſecundum ſe ſpectatum, & noſtro concipiendi modo ante circumſtantias particulares, ſecundum quas illud ipſum non vult; eodem fere modo, quo Judex antecedenter vult omnem civem vivere, ſed civem homicidam, & Reipublicæ noxium voluntate conſequente vult occidi. *Conſequens* igitur voluntas eſt, qua Deus ſpectatis omnibus circumſtantiis vult aliquid abſolute. De utraque voluntate loquuntur SS. Chryſoſtomus, & Damaſcenus; ille quidem Hom. 1. in Ep. ad Epheſ. his verbis: *prima eſt, ut non pereant, qui non peccarunt; ſecunda eſt voluntas, ut qui facti ſunt mali, pereant.* Hic l. 2. de fide c. 29. ita ait: *prima quidem voluntate DEUS vult omnes homines ſervari, & regni ſui compotes eſſe: neque enim ſupplicii, ac cruciatus cauſa, verum ad hoc, ut bonitatis ipſius participes ſimus, nos effinxit: ut juſtus autem iis quoque qui peccant, pœnam infert, hoc eſt, voluntate conſequente.* Quia tamen utraque hæc voluntas varie a variis exponitur, diutius aliquantum huic argumento erit immorandum.

III. Difficultas ſane in eo eſt, quomodo voluntas Divina ſalvandi omnes homines, dicatur antecedens, & ante quas rerum circumſtantias ſit conſtituta? circumſtantiæ nempe aliæ ſunt generales, ac toti generi humano communes e. g. pecca-

tum originis; aliæ ſunt particulares, ac peoſonales e. g. conſenſus, vel diſſenſus gratiæ, finalis aut perſeverantia, aut impœnitentia. Janſenius vult, voluntatem Divinam de ſalute omnium hominum antecedentem abſtrahere ab omni prorſus circumſtantia non tantum perſonali, ſed & naturali, hoc eſt peccati originarii; ut adeo facta hujus peccati abſtractione Deus vere quidem omnium hominum velit ſalutem; ſpectato tamen peccato originis non amplius ſerio illam velit in illis, qui non ſalvantur. Alii vero agnoſcunt in Deo (etiam ſuppoſito originis peccato) veram & ſinceram (etſi non abſolutam, ſed conditionatam) pro ſalute hominum voluntatem; atque adeo docent, voluntatem Dei antecedentem abſtrahere duntaxat a circumſtantiis perſonalibus conſenſus, & diſſenſus; non autem a circumſtantia communi peccati originarii; cujus ſententiæ tanquam certiſſimæ probationem non aliunde petere poſſumus tutiorem, quam ex SS. Damaſceno, & Thoma, qui omnium primi hujus utriuſque voluntatis ideam nobis accurate delinearunt.

IV. S. igitur Damaſcenus verbis ſupra citatis hæc ſubjungit: *Itaque prima illa voluntas antecedens dicitur, & beneplacitum, cujus ipſe cauſa ſit: ſecunda autem, conſequens voluntas, & permiſſio, ex noſtra cauſa ortum habens; eaque duplex, altera diſpenſatione quadam fit, & ad ſalutem erudit; altera a reprobatione proficiſcitur ad abſolutam pœnam pertinens.* Poſtremam hanc voluntatem, ait eſſe *a propria animi deſtinatione, cum nempe homo, nullo remedii genere prætermiſſo a Deo, inſanabilis remanet.* Ex his S. Doctoris verbis hæc collige: I. Antecedentem Dei voluntatem pro ſalute omnium hominum in ipſo primariam eſſe, ex ipſius bonitate ortam; Deus enim, ut loquitur Tertullianus, *de ſuo bonus eſt, & de noſtro juſtus.* II. Voluntatem illam eſſe *beneplacitum Dei;* non igitur puram ſigni voluntatem. III. Voluntatem illam non impleri in omnibus;

bus; cum multi *propria animi deſtinatione* ad extremam miſeriam deducantur, ut adeo in Deo ſit voluntas beneplaciti, quæ non impleatur. IV. Voluntatem antecedentem abſtrahere quidem a circumſtantiis perſonalibus, cum dimanet ab ipſo Deo; non vero a circumſtantiis totius naturæ, nempe peccato originis; atque adeo Deum, ſuppoſito etiam illo peccato, velle omnes eſſe ſalvos, non tantum prædeſtinatos, ſed & reprobos; cum antecedente illa voluntate *velit Deus omnes homines ad agnitionem veritatis pervenire*, ut loquitur D. Doctor in Dialog. contra Manichæos. D. Thomas cum in aliis locis, tum in ſumma (*q.* 19. *a.* 6. *ad* 1.) doctrinam hactenus traditam dilucide expreſſit; ita enim loquitur: *ſecundum Damaſcenum intelligitur de voluntate antecedente, non conſequente* (nempe illud Apoſtoli: Deus vult omnes homines ſalvos fieri) *ad cujus intellectum eſt conſiderandum, quod unumquodque ſecundum quod bonum eſt, ſic eſt volitum a Deo. Aliquid autem poteſt eſſe in prima conſideratione, ſecundum quod abſolute conſideratur, bonum, vel malum, quod tamen prout cum aliquo conjuncto conſideratur, quæ eſt conſequens conſideratio ejus, e contrario ſe habet. Sicut hominem vivere eſt bonum; & hominem occidi eſt malum ſecundum abſolutam conſiderationem. Sed ſi addatur circa aliquem hominem, quod ſit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, ſic bonum eſt eum occidi, & malum eſt eum vivere. Unde poteſt dici, quod Judex antecedenter vult omnem hominem vivere, ſed conſequenter vult homicidam mori. Similiter DEUS vult antecedenter omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter vult quoſdam damnari ſecundum exigentiam juſtitiæ ſuæ.* Quod autem voluntas antecedens ſit ſeria, ac ſincera, neque abſtrahat a communi peccati originarii circumſtantia, partim ex verbis hactenus recitatis patet, partim colligitur ex iis, quæ l. 3. contra gentes c. 159. idem D. Doctor ait: *DEUS, quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus dare gratiam . . . ſed illi ſoli gratia privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant.*

Verum hæc omnia fuſius tractabuntur in Tract. de Incarn. ubi oſtendetur, Chriſtum pro omnibus, & ſingulis hominibus eſſe mortuum.

V. Diviſio voluntatis Divinæ in efficacem, & inefficacem in manifeſtis ſcripturarum teſtimoniis fundatur. Conſtat quandam eſſe Dei voluntatem, quæ ſemper impletur, ac finem aſſequitur juxta illud Gen. 50: *num DEI poſſumus reſiſtere voluntati?* Et Iſ. 46: *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Quibus verbis abſoluta, & efficax Dei voluntas deſignatur. Rurſum conſtat, Deum aliqua velle, quæ tamen non eveniunt ob contumacem hominis reſiſtentiam juxta illud Ezech. 24: *mundare te volui, & non es mundata a ſordibus tuis,* Et Act. 7: *vos Spiritui Sancto ſemper reſiſtitis.* Antecedens ergo voluntas pro ſalute omnium efficax non eſt relate ad ſalutem æternam, ad quam non omnes pertingunt: datur igitur in Deo voluntas inefficax, quæ ſuo fine fruſtratur. Quæritur itaque a Theologis, utrum voluntas Dei ſemperimpleatur, ſeu an ſemper aſſequatur finem ſuum; cui quæſtioni paucis ſatisfacit D. Thomas q. 6. de veritate a. 3. ita loquens *nihil poteſt deficere a generali fine providentiæ, quamvis quandoque a fine particulari.* Generalis ſiquidem finis Dei eſt ejus gloria, quippe, qui propter ſemetipſum operatus eſt omnia; hunc finem Deus intendit efficaciter: atqui quod Deus efficaciter intendit, neceſſario obtinet. Ille enim efficaciter dicitur intendere finem, qui, modo poſſit, media eligit infallibiliter conjungenda cum fine; qualia media Deus omniſcius, ac omnipotens ſemper poteſt eligere. Ipſa peccata, etſi gloriæ Divinæ adverſari videantur, cedunt in gloriam ejus, & manifeſtandæ juſtitiæ materiam ſuppeditant, teſtante Auguſtino de ſp. & lit. c. 23. his verbis: *infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt, ſed ſe ipſos malis implicant, experturi*

ſup-

ſupplicium ejus, cujus miſericordiam contempſerunt. Fines particulares, quos Deus inefficaciter intendit, eum non ſemper aſſequi inde conſtat, quod Deus re ipſa, ac ſincere intendat ſalutem ſingulorum hominum, illique fini obtinendo ſufficientia media largiatur; nec tamen ſemper, & in omnibus hunc finem conſequatur.

VI. Neque dixeris I. intelligi non poſſe, quomodo Deus ſerio velit finem e. g. ſalutem impii, & tamen illi conferat gratiam, quam effectu ſuo fruſtrandam videt, neglectis mediis aliis, quæ ſi haberet impius, ad ſalutem pertingeret. R. enim; licet nemo ſerio poſſit velle finem, qui eligit circumſtantias, in quibus videt non eventurum finem, quando non videtur libertas aliena, quæ in his circumſtantiis finem obtinere poſſit; id tamen velle poteſt, quando videtur aliena libertas in his circumſtantiis finem obtinere poſſe. Sic licet medicus non poſſit ſerio velle vitam ægroti, ſi offerat venenum, ægrumque redigat ad eas circumſtantias, in quibus non tantum non conſervabit, ſed nec conſervare poteſt per ſuam libertatem vitam; poteſt tamen ſerio intendere ſalutem ægri medicus, qui ei dat profuturam, ſi ſumatur, medicinam, licet prævideat ægrum medicinam non ſumturum, adeoque ex propria culpa periturum. Deus igitur videns, impium poſſe ſub his mediis, ſi velit, obtinere ſalutem, ſerio, licet inefficaciter, eandem velle poteſt. Neque dici poteſt II. ſi Deus ſerio vellet in nobis obſervantiam præceptorum, & inde pendentem ſalutem, illa profecto omnia, Deo donante, fierent juxta illud Pſ. 113: *omnia quæcunque voluit, fecit. Neque enim veraciter*, ut ait Auguſt. Enchiridii c. 96. *ob aliud vocatur omnipotens, niſi quoniam quidquid vult, poteſt, nec voluntate cujusquam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Et l. de corrept. & grat c. 14 ita loquitur: *volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium: ſic enim velle,*

ſeu

ſeu nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. Videtur ſiquidem plane indignum divina potentia, ut Deus velit aliquid, quod tamen non fiat. Ex quo conſequitur, aut Deum non ſerio velle ſalutem omnium hominum, aut ſi vellet, eandem certe eſſe futuram. R. enim, in hoc argumento confundi voluntatem Dei abſolutam, & efficacem cum conditionata, & inefficaci. Equidem quidquid Deus abſolute vult, etiam circa liberas hominum actiones, illud certiſſime fieri, nemo eſt, qui negare auſit; de hac autem voluntate abſoluta loquitur D. Auguſtinus loco, qui hic obiicitur. Verum voluntate ſua abſoluta non ſemper erga nos utitur Deus, cum multa velit, quorum eventum voluit a noſtro arbitrio pendere; non quidem ex defectu virtutis, ac potentiæ; ſed ex conſilio voluntatis ſuæ: *in hoc enim teſtimonio conditionali: ſi converſus fueris &c.* (inquit Fulgentius, de remiſſ. pecc. l. I. c. II.) *oſtendit ex conditione converſionis promiſſionem ſalutis omnino pendere.*

VII. Expoſita voluntatis divinæ diviſione quæritur porro, utrum inter ejusdem decreta admittendus ſit aliquis ordo? conſtat ex dictis, nullum inter divina decreta eſſe ordinem realem; cum in Deo una ſit, eaque indiviſibilis entitas, eaque æterna: quæſtio igitur duntaxat eſt de ordine virtuali, & ſecundum noſtrum intelligendi modum, quo concipimus unicum voluntatis divinæ actum ratione ſuæ infinitatis æquivalere diverſis, ac realiter diſtinctis creatæ voluntatis actibus, qualem ordinem in Deo eſſe, & concipi poſſe nullo modo inficiamur. Nam ut talis ordo admittatur, ſufficit quædam rationis diſtinctio inter divina decreta, quædam inter illa connexio, & dependentia, denique quod ordo ille nullam imperfectionem involvat. Atqui I. eſt quædam rationis diſtinctio inter divina decreta, qua fit, ut idem actus ob perfectio-

fectionem ſuam æquivaleat pluribus in voluntate creata diſtinctis actibus: quid enim huic virtuali diſtinctioni obſtaret? ſumma DEI ſimplicitas? at hæc non obſtat virtuali diſtinctioni inter intellectum, & voluntatem divinam, & inter utriuſque facultatis actus; imo nec virtuali diſtinctioni Attributorum cum ab eſſentia, tum inter ſe, ut in controverſia I. oſtendimus. II. eſt connexio quædam inter decreta Divina, quantum ſcilicet unius objecti volitio eſt veluti ratio volendi aliud: ita volitio finis prior eſt volitione mediorum; volitio meriti prior volitione præmii; volitio redemptionis hominum volitione incarnationis &c. Et vero datur ordo inter intellectum, & voluntatem; quidni pariter inter actus voluntatis? III. denique talis ordo nullam involvit imperfectionem, imo potius arguit in DEO perfectionem infinitam, per quam ſimplex divinæ voluntatis entitas pluribus diſtinctis æquivalet. Aliunde vero ſi varia illa rationis ſigna, ſeu momenta, ordinemque ſecundum prius, ac poſterius noſtro concipiendi modo ſuſtuleris, nullatenus exponi poterunt myſteria Trinitatis, providentiæ, prædeſtinationis, incarnationis &c. ut ſpeciatim ſuo loco videbitur.

§. II.

Quod ſit Objectum Voluntatis Divinæ?

VIII. Voluntatis Divinæ objectum primarium eſſe ipſum DEUM, nemo eſt, qui ambigat; DEUS enim neceſſario vult, & amat ſummum bonum: atqui DEUS ſummum eſt bonum a ſe ipſo clare, & comprehenſive cognitum. Ita igitur ſe habet ad voluntatem Divinam ſumma bonitas, quemadmodum ad intellectum ſumma veritas, ut adeo ſicut ſumma veritas eſt objectum primarium intellectus Divini, ita ſumma bonitas objectum primarium ſit ejusdem voluntatis. Secundarium vero objectum ſunt res creatæ aliquando exiſtentes: omnia nempe extra ſe poſita (ſi ſola mora-

raliter mala excipias) DEUS amat amore efficaci, eoque libero; Hinc ſap. 11. dicitur: *diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Quid enim aliud eſt amare, quam velle alteri bonum? atqui DEUS omnibus extra ſe poſitis (niſi morali imperfectione ſint inquinata) vult aliquod bonum, nempe actualem exiſtentiam; igitur ea amat, ſed amore libero; utpote qui juxta Apoſtolum *omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, adeoque libere. Excipimus mala culpæ, ſeu peccata, quæ DEUS nullo modo vult, aut velle poteſt, prout nonnulli veteres hæretici blaſphemando affirmarunt. *An non enim odio DEO ſunt impius, & impietas ejus?* Sap. 14. *Nonne mundi ſunt oculi ejus, ne videat malum, & reſpiciat ad iniquitatem?* Hab. I. An non ſummæ ejus ſanctitati adverſaretur, amare, ac velle quidquam, quod ejus voluntati eſt difforme? Permittit igitur DEUS duntaxat mala culpæ, exigente ita providentia, ut creaturæ rationali ſuam permittat libertatem, ut ex iis bona alia eruat: *DEUS* enim *uſque adeo omnipotens, & bonus eſt*, ait S. Auguſt. Enchirid. C. 11. *ut de malo etiam benefaciat;* & C. 27: *melius judicavit de malis benefacere, quam nulla mala eſſe permittere.* Dubium etiam eſſe non poteſt, DEUM aliquo complacentiæ amore ferri in res poſſibiles, & nunquam extituras, ſi rurſus excipias mala moralia; nam omne id, quod habet bonitatem ſibi internam, ac moralem, abſque admixtione malitiæ moralis, aptum eſt terminare amorem voluntatis Divinæ; quis autem neget, bona poſſibilia habere ejuſmodi bonitatem? *licet creaturæ non fuerint ab æterno, niſi in DEO* (ait D. Thomas p. 1. q. 20. a. 2.) *ab æterno tamen DEUS cognovit res in propriis naturis, & eadem ratione amavit.* Non amore efficaci, quia hic eſt effectivus boni creati: igitur amore puræ complacentiæ, ſeu ſimplici affectu boni creati, prout hoc eſt quædam participatio boni increati.

IX.

IX. Objectum formale, ſeu motivum primarium voluntatis Divinæ eſſe ſolum DEUM, Scripturarum, ac SS. PP. teſtimonia abunde loquuntur. Proverb. 16. dicitur: *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt dominus: impium quoque in diem malum.* Non quod impietatem in impiis DEUS faciat, aut approbet, abſit: ſed ut in eorum pœna juſtitiæ ſuæ ſeveritatem oſtendat, ſicut in electis miſericordiæ ſuæ amplitudinem. Apocal. C. 22. *ego ſum α & ω, primus, & noviſſimus, principium, & finis. Prædeſtinavit igitur nos*, teſte Apoſtolo Eph. 1, *in adoptionem filiorum per JESUM Chriſtum . . . in laudem gloriæ ſuæ.* Hanc veritatem clariſſime exponunt SS. Auguſtinus, & Thomas, quorum ille *L. I. de doctr. Chriſt. C.* 31. ex illo prophetæ: *DEUS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, deducit DEUM ad ſuam bonitatem referre omnia; hic vero *p.* 1. *q.* 19. *a.* 3. ita loquitur: *voluntas Divina neceſſariam habitudinem habet ad bonitatem ſuam, quæ eſt proprium ejus objectum; unde bonitatem ſuam eſſe DEUS ex neceſſitate vult: alia autem a ſe vult, in quantum ordinantur ad ſuam bonitatem ut finem.* Negari ſane non poteſt, DEUM amare ſeſe comprehenſive, id eſt, tantum, quantum amabilis eſt; atqui amabilis eſt tanquam finis ultimus, ac principalis in quovis exercitio divinæ voluntatis; igitur in quovis etiam ita ſe amat.

X. Quæritur, utrum motivum voluntatis Divinæ ſaltem ſecundarium interdum ſit bonitas creata? Ita omnino eſſe ex ſcripturarum teſtimoniis deducimus. Sicut Prov. 16. dicitur: *univerſa* propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; ita Sap. 11. habetur: *diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam*; & Gen. 22: *quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi.* Symbolum Nicænum ſic habet: *qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis.* Jam vero ſicut ex illis verbis: *pro-*

pter ſemetipſum recte arguimus, motivum primarium voluntatis Divinæ eſſe bonitatem increatam; ita ex illis: *propter pœnitentiam*, *propter nos*, *propter ſalutem noſtram*, *quia feciſti* &c. quis non recte arguet motivum ſaltem ſecundarium eſſe bonitatem creatam? præſertim cum hæc univerſim referatur ad bonitatem increatam. Supereſt autem hoc loco, ut explicemus, quæ affectiones in divina voluntate erga objecta creata ſint admittendæ, quæ rejiciendæ?

XI. Ac primum quidem in DEO proprie dari *amorem* erga res creatas, partim ſcriptura oſtendit, partim ipſa ratio confirmat. Joan. 3. dicitur: *ſic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* 1. Joan. 4. *DEUS Caritas eſt.* Sap. 11. *diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Enimvero quid aliud amare eſt, quam velle alicui bonum? an non autem DEUS omnibus creaturis exiſtentibus vult bonum? Imo juſtos, & Sanctos proſequitur amore amicitiæ, ut ex ſequentibus textibus colligitur: *nimis honorati ſunt amici tui DEUS.* Pſ. 138. *Abraham DEI amicus effectus eſt.* Jud. 8. *dico autem vobis amicis meis.* Luc. 12. Rationem autem hujus amoris aſſignat D. Thomas ex eo, quod proprium ſit amoris amicitiæ velle eum, quem amas, participem fieri bonorum, quæ tibi ipſi amas; at DEUS vult homines juſtos participes eſſe boni præcipui, quod ipſe ſibi vult, nempe viſionis, ac fruitionis naturæ Divinæ, per quod bonum DEUS ipſe beatus eſt. Ex hoc amore oritur verum *gaudium* de bono creaturarum, potiſſimum ad ſalutem earum ſpectante. Facile autem ex dictis intelligitur, in DEO eſſe *odium* proprie dictum erga peccatum, ac peccatores; *abominatio enim Domino eſt via impii.* Prov. 8. Pſ. 44. dicitur: *dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem;* igitur ſicut DEUS proprie amat Juſtitiam, ita averſatur iniquitatem: qui enim naturæ ſuæ neceſſitate Juſtus, & Sanctus eſt, non poteſt non

odio

odio habere, quidquid juſtitiæ, & ſanctitati eſt contrarium; qui ſumme amat aliquod bonum, non poteſt non odiſſe malum, quod huic bono adverſatur; neceſſe igitur eſt, ut DEUS odio habeat peccatum, quod & Divinæ bonitati, & virtutis honeſtati repugnat. Odium hoc fertur in hominem, non quatenus homo eſt, ſed ut eſt peccator, & peccati labe contaminatus; ſicut enim gratia perſonam facit DEO placere, ita peccatum eam facit diſplicere.

XII. Gravior difficultas eſt, an in DEO erga creaturas ſit *juſtitia?* qua in re ſecerni debet juſtitia commutativa a diſtributiva; illa in DEO locum non habet, hæc habet. Juſtitia commutativa in DEO eſſe non poteſt, niſi creatura habeat jus proprietatis erga DEUM; quis autem dicet, creaturam tale jus habere? *manet requies ſempiterna illos*, inquit S. Baſilius in Pſ. 114., *qui in hac vita legitime certarunt*, *non tanquam debitum operibus redditum*, *ſed ob munificentiſſimam DEI gratiam*, *in quo ſperaverunt*, *exhibita.* S. Auguſtinus l. 1. cofeſſ. c. 4. ita loquitur: *reddit debita nulli debens*, *donat debita nihil perdens.* Et l. 3. de lib. arb. c. 16. *DEUS nulli debet aliquid*, *quia omnia gratuito præſtat.* Idem habet D. Proſper l. 1. de vocat. gent. c. 17. Bernardus ſerm. 1. de annunt.: *neque talia*, inquit, *ſunt hominis merita*, *ut propterea vita æterna debeatur ex jure*, *aut DEUS injuriam aliquam faceret*, *niſi eam donaret.* Neque his PP. dictis opponi poſſunt alia ſcripturarum, & PP. teſtimonia, quibus videntur in DEO agnoſcere juſtitiam ſtricte dictam; ne enim ſibi P.P. contradicant, dicendum erit, & hos PP. ad ſpeciem adverſantes, & ipſos ſcripturæ textus intelligendos eſſe de juſtitia diſtributiva, de debito, & mercede minus proprie dicta; non de commutativa juſtitia, non de proprio debito, aut ſtricta mercede. Inſinuat id tridentinum ſeſſ. 6. de merito bonorum operum c. 16. ita loquens: *bene operantibus*

 uſque

uſque in finem proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis DEI... miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius DEI promiſſione bonis ipſorum operibus fideliter redden-da. En addit *fideliter*, adeoque fidelitatis duntaxat, non juſtitiæ agnoſcit debitum. Ex tridentino igitur habemus, adultos vere, & proprie quidem mereri gloriam non quidem ita, ut hæc ipſis debeatur ex juſtitia, ſed ex fidelitate, & gratuita Dei promiſſione. Hinc etiam Concilium Senonenſe in decreto fidei c. 16. ubi dicit, *juſtum judicem daturum perſeverantibus coronam juſtitiæ*, ſtatim iterum miſericordiæ meminit, additque nos ſervos inutiles eſſe, qui jure nihil a domino ſuo exigere poſſint. Juſtitia igitur *commutativa* (quæ ex jure in creatura reperto ad implendam promiſſionem obſtringat) in Deo minime eſt; quamquam in eo ſit juſtitia *diſtributiva* ad decernendum bonis præmium, & malis ſupplicium, ad quod Deum præciſe impellit ſola fidelitas, ſola ſapientia, ac veracitas, quæ exigit id dare, aut efficere, quod ſe daturum, quod ſe effecturum promiſit. Quod *miſericordiam* ſpectat, ea vel ſumitur pro affectu compaſſionis, & triſtitiæ, qui in nobis excitatur ex aliena miſeria, vel ſimpliciter pro voluntate ſubveniendi alienæ miſeriæ. Priore ſenſu in Deo non eſt, ut mox dicetur; poſteriore ſenſu in Deo eſſe, ſcriptura toties docet, quoties nobis Divinam clementiam, & benignitatem ante oculos ponit.

Quid igitur, inquies, de affectionibus aliis cenſendum? Inprimis manifeſtum eſt, deſiderium, ſpem, aut deſperationem in Deo locum non habere. Quid enim eſt deſiderium, niſi cupiditas rei abſentis, & non poſſeſſæ? quid ſpes, niſi expectatio boni abſentis, & ardui? quid deſperatio, niſi dejectio animi? at hæc omnia enti perfectiſſimo plane repugnant. Idem prorſus judicium eſto de timore, triſtitia, ira, ac pœnitentia, affectionibus ex ſeſe imperfectis; timor enim

reſpi-

reſpicit malum proprium imminens; triſtitia vero eſt de malo præſenti: at vero quid mali Deo accidere poteſt? Pariter *ira*, ut inquit D. Thomas l. 1. contra gentes c. 89., *a DEO longe eſt, non ſolum, quia effectus triſtitiæ eſt, ſed etiam quia eſt appetitus vindictæ propter triſtitiam ex injuria illata conceptam.* Pœnitentia dolorem quendam importat, & conſtitutæ voluntatis mutationem, cujus omnino Deus eſt incapax. Cum igitur ejuſmodi affectiones Deo in ſcripturis tribuuntur, non intelligendæ ſunt vero, ac proprio ſenſu, ſed metaphorice, & quoad effectus exteriores; ut egregie exponit D. Auguſtinus l. 2. de diverſ. quæſt. ad ſimpl. q. 2.

§. III.

Explicatur Libertas voluntatis Divinæ.

XIII. Libertatem propriam relate ad creaturas Deo convenire, adeo certum eſt, ut ſine errore fidei negari non poſſit. Quod enim fit ex conſilio voluntatis, non fit ex neceſſitate; cum igitur Deus teſte ſcriptura omnia, quæ extra ſe operatur, ex conſilio voluntatis ſuæ operetur, ea certe non ex neceſſitate, ſed ex libertate ita vult, ut ea potuerit non velle; certe libertas in ſe ſpectata eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, omnis expers defectus, & imperfectionis: at omne genus perfectionum in Deo reperitur. Dum autem libertatem in ſe ſpectatam nomino, illam intelligo, quæ ab omni defectu libertati creatæ adhæreſcente eſt perpurgata; divina igitur libertas non includit ſuſpenſionem, & indeterminationem actus: quod enim Deus vult, ſemper ab æterno voluit. Non eſt in divina voluntate, ſicut in noſtra, diverſorum actuum ſucceſſio; neque inconſtans eſt, volubilis, & mutabilis, ut noſtra. Non eſt in Deo libertas ad malum; denique, ut alibi dixi, actus Divinæ voluntatis eſt

ipſa-

ipſamet DEI natura; DEUS enim eſt ſuus actus, ſua volitio, nec ullum novum actum producit, aut recipit, cum aliquid libere decernit; ubi e contrario voluntas creata in exercitio libertatis ſuæ producit novum volitionis actum, eumque in ſe ipſa recipit. Verum hæc certa ſunt apud omnes; id duntaxat requiritur, ut veram aliquam explicandæ libertatis Divinæ rationem oſtendamus: quæ quidem quæſtio a Petavio, aliiſque inter abſtruſiora Theologiæ myſteria recenſetur, eo quod difficillimum eſſe videatur, ut cum immutabilitate, ac ſimplicitate Divina defectibile, ac contingens divinæ voluntatis exercitium concilietur. In hunc ſcopulum graviter impegit Aureolus, qui ſolam in DEO neceſſariam bonitatis ſuæ, omniſque entis creabilis complacentiam admiſit, negavitque omnem volitionem efficacem liberam, diſtinctam ab ipſa actione, qua creaturas producit, contendens DEUM duntaxat creaturas libere velle, quatenus eas potens non producere producit. Hæc opinio graviores apud Theologos cenſuras incurrit, eo quod ſcripturæ clariſſime electionem ab actione divina ſecernant. Gravius poſt eum lapſus eſt Vorſtius Calviniſta, aſſerens decreta DEI libera eſſe accidentia quædam ab ejus ſubſtantia longe diverſa, adeoque DEUM velle per actus accidentarios a ſe realiter diſtinctos, ipſi inhærentes, & libere in tempore conceptos. Sed nec Cajetanus levius erravit, qui putat decretum DEI liberum eſſe formam eidem internam realiter defectibilem, qua tamen deficiente non deficeret aliqua divina ſimpliciter perfectio, ſed tantum perfectio ſecundum quid, eo quod actus oppoſitus, qui loco deficientis decreti in DEO foret, eſſet æque perfectus, ac decretum hoc, quod deficeret. Hæc opinio graviſſimam inde cenſuram meretur, quia identificat DEO aliquid, quod ait non eſſe ſimpliciter perfectionem, mutabilemque inſuper DEUM, & compoſitum efficit. Alii alias explicandæ huic difficultati accommodatas

vias

vias iniverunt, inter quos præcipue nominandi ſunt D. Thomas, & Suarius, qui docent exercitium liberum volitionis Divinæ eſſe concretum ex volitione DEO identificata, & quadam habitudine, terminatione, reſpectu aut proſequutivo, aut fugitivo, quo objectum volibile, aut nolibile volitio Divina reſpicit, quæ terminatio, quæ habitudo aut reſpectus contingens eſt, defectibilis, atque a DEO non quoad entitatem, ſed, ut ajunt, modaliter diſtinctus. Audiatur D. Thomas l. 1. contra gent. c. 82. ita loquens: *voluntas DEI uno, & eodem actu vult ſe, & alia a ſe; ſed habitudo eſt ad ſe neceſſaria, habitudo ad alia a ſe eſt ſecundum convenientiam quandam non quidem neceſſaria, ſed voluntaria.* Sit igitur;

ASSERTIO.

Libertas Divinæ voluntatis conſiſtit in poteſtate electiva applicante volitionem ſuam objecto; unde contingentia Divinæ volitionis eſt DEO extrinſeca, ſita in habitudine modaliter a DEO diſtincta.

XIV. Sumitur ratio aſſertionis inde, quod in eo reponenda ſit DEI libertas, quod melius, ac facilius exponit actum ejus liberum, ita ut divinam libertatem cum ejus immutabilitate, ac ſimplicitate conciliet; talis autem eſſe videtur modus in noſtra aſſertione expreſſus: Ad libertatem enim Divinam cum aliis perfectionibus conciliandam duo requiruntur. I. ut ſit perfectio quædam DEO intrinſeca. II. ut importet indifferentiam; atqui hæc duo facile intelliguntur convenire libertati Divinæ; primum quidem; cum volitio divina ſit ipſa DEI voluntas, quæ eſt perfectio intrinſeca: ſecundum quoque; nam ille actus divinæ voluntatis ita reſpicit creaturas, ut potuerit illas non reſpicere. Voluntas quippe divina cum non habeat rationem potentiæ

proprie dictæ, ſed ſit actus puriſſimus, relate tamen ad objecta creata liber, continet in ſe formam volendi, nolendi ex hoc, vel illo fine, hoc, vel illo modo, efficaciter, inefficaciter &c. Aio igitur DEUM libere velle, quatenus objectum proſecutive reſpicit, ſeu prout terminatur ad illud per modum volitionis; & eundem libere nolle, quatenus objectum reſpicit per modum fugæ, aut nolitionis, quod quidem eſſe reſpectivum eſt DEO extrinſecum, modaliter ab eo diſtinctum, fundans hanc veritatem: *voluntas Divina libere applicat volitionem, aut nolitionem huic, aut alteri objecto.*

XV. Neque dici poteſt I. actus ſecundus libertatis Divinæ importare debet aliquid aliud, quam importat actus primus; atqui actus ſecundus non importaret aliquid ab actu primo diſtinctum, cum volitio divina importata ex parte actus ſecundi ſit ipſa DEI ſubſtantia. R. enim, ex parte actus ſecundi importari applicationem volitionis divinæ ad objectum, non quidem entitative, ſed modaliter diſtinctam a DEO; nam ſicut voluntas creata ſe libere determinat ad eliciendam volitionem præ nolitione per poteſtatem electivam reſpectu ſibi extrinſeco, & a ſe non entitative, ſed modaliter diſtincto, ita voluntas Divina libere applicat ſuam volitionem objecto, potens non applicare, per poteſtatem electivam ſimili reſpectu ſibi extrinſeco, & a ſe non entitative, ſed modaliter diſtincto: nam ſicut terminus modalis, ex quo reſultat hæc denominatio: *voluntas creata libere volens*, importat voluntatem, & volitionem per modum fundamenti, ut terminum vero concurſum DEI indifferentem, carentiam omnis principii neceſſitantis, & effectionem volitionis, entitative indiſtinctam ab ipſa volitione; ita terminus modalis, ex quo reſultat hæc denominatio: *voluntas Divina libere applicans volitionem*, importat voluntatem, & volitionem divinam per modum fundamenti, per modum vero termini

ſcien-

ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, carentiam omnis principii neceſſitantis, & applicationem volitionis entitative indiſtinctam ab ipſa volitione. Diſcrimen tamen inter electionem voluntatis Divinæ, & creatæ in eo conſiſtit, quod voluntas Divina, utpote ſumme libera, non ſit libera in genere cauſæ efficientis, ſeu libertate cauſali, ſed in genere cauſæ formalis, ſeu libertate formali, adeo ut ad actualem electionem nihil requiratur aliud, quam immediata volitionis ad objectum applicatio; at vero voluntas creata ob imperfectum ſuum agendi modum eſt libera in genere cauſæ efficientis, ita ut ad actualem electionem requiratur, novam volitionis actionem ſuo modo efficere.

Neque dici poteſt II; admitti non poſſe relationes in Deo diſtinctas, cum hæc opinio videatur repugnare Concilio Remenſi ſub Eugenio III celebrato, cujus hæc ſunt effata: *confitemur, ſolum DEUM æternum eſſe, nec aliquas omnino res, ſeu relationes, ſeu proprietates, ſeu ſingularitates, ſeu unitates dicantur, vel alia hujuſmodi, adeſſe DEO, quæ ſint ab æterno, & non ſint DEUS.* R. enim, citatum concilium non loqui de quacunque relatione; ſed agere contra Gilbertum Porretanum docentem, tres in Trinitate perſonas a natura Divina eſſe diſtinctas, adeoque quaternitatem pro trinitate profeſſum, quas perſonas unitates compellavit. Huic ut errori variis nominibus explicabili ſimul occurreret, entitatem nullam (quocunque nomine compelletur, ſeu *perſonæ*, ſeu *unitatis*, ſeu *relationis* &c.) a Deo diſtinctam ab æterno extitiſſe definit. Puras dari ab æterno relationes D. Thomas fatetur *p.* 1. *q.* 13. *a.* 7. ita loquens: *operatio intellectus, & voluntatis eſt in operante, & ideo nomina, quæ ſignificant relationes, conſequentes actum intellectus, & voluntatis dicuntur de DEO ab æterno.*

Inſtabis. Si applicatio Divinæ volitionis foret pura relatio, nihil eſt, cur DEUS non poſſit in tempore denominari volens, ſeu applicans ſeſe ad objectum; ſicut DEUS incipit denominari creans in tempore, hoc ipſo quod creatio ſit pura relatio. R. DEUM dici Creatorem per actualem dependentiam effectus ab omnipotentia ſua, quæ dependentia cum habeatur in tempore, mirum non eſt, ſi DEUS ab æterno non denominetur creans. At vero volens dicitur DEUS per ipſam applicationem volitionis ad objectum, quæ ſi unquam eſt, ob immutabilitatem Divinam ab æterno eſt.

XVI. Neque dici poteſt III. in hac hypotheſi potiora ad libertatem Divinam ſpectantia explicari non poſſe; Primo exponi non poteſt, quomodo volitio DEI libera ſit actus vitalis, cum applicatio eandem conſtituens dicatur extrinſeca DEO. Deinde minus explicari poterit, quando DEUS velit objectum ex hoc potius, quam alio fine, quomodo concipiat decreta ex parte ſui abſoluta, & ex parte objecti conditionata, aut vero utrinque conditionata. His ut breviter ſatisfaciamus, aio I. volitionem DEI liberam eſſe actionem vitalem, quatenus importat ipſam volitionem DEO intrinſecam; non vero quatenus involvit ipſam applicationem liberam, per quam ſane utpote defectibilem DEUS non vivit vita immortali. Libera hæc volitionis Divinæ applicatio exercitium vitale dici poteſt, qua parte pertinet ad formam volendi DEO identificatam; nam qua parte pertinet ad externum illum reſpectum, vitale exercitium minime eſt: ſi enim DEUS non vivit per ſcientiam entis contingentis, niſi quantum illa ſcientia habet de abſoluto, quomodo vivet per exercitium volitionis liberum ſecundum id, quod continet de reſpectivo? II. facile intelligi poterit voluntas Divina ex hoc potius, quam alio fine concepta; ut DEUS dicatur velle mundum propter hominem, ita applicat ſuam volitionem &

ſmun-

mundo, & homini, ut hominem tanquam finem (cujus nempe bonitas moveat ad applicandam volitionem etiam mundo) & ſic mundum tanquam medium reſpiciat, ſeu ita, ut aptum ad hunc finem mundum non concomitanter duntaxat eligat, ſed ob hanc aptitudinem, ſeu quia eſt medium, ita nempe, ut ad mundum efficaciter decernendum hæc aptitudo DEUM moveat, quæ diverſitas diverſas etiam habitudines, relationeſque importat. Simili modo exponuntur Decreta divina conditionata: hoc decretum: *non auferetur ſolium a Saule, ſi obediat*, habetur per applicationem, quæ actu eſt, quæque actu divinam volitionem applicat ad firmandum Saulis ſolium, ſed ſub conditione duntaxat obedientiæ; rurſus decreta undequaque conditionata, qualia in DEO admittimus, non habent actu applicationem voluntatis Divinæ, ſed haberent duntaxat, ſi fierent abſoluta.

XVII. Ex dictis conſectarium eſſe quiſque intelliget, dari poſſe in DEO puram omiſſionem liberam, ſeu tale exercitium liberum, quo DEUS ad objectum volitionem ſuam nec proſecutive, nec fugitive applicet, ſed utramque hanc poſitivam applicationem omittat: etſi enim forma ipſa volendi DEO ſit identificata, applicatio tamen, ſeu habitudo, quæ DEUM denominat aut libere volentem, aut nolentem, contingens eſt, ac defectibilis; igitur niſi oſtendatur aliqua inconvenientia eſſe in eo, quod divina voluntas in objectum nec proſecutive nec repulſive feratur, hacque ratione illud reſpiciat, ſtandum erit pro libertate Divina; atqui nihil inconvenientiæ oſtendi poteſt. Adde in ſyſtemate ſcientiæ mediæ neceſſario admittendum eſſe ejuſmodi divinum exercitium, ut vocant, pure negativum; nam niſi hoc admittatur, ſcientia Divina de dando auxilio pro caſu prævifi conſenſus inferret neceſſario decretum ſubjective abſolutum, & volitivum; in ſigno igitur ſcientiæ mediæ DEUS videret ut decretum ab-

ſolute futurum, ita collationem auxilii in decreto, adeoque nunquam tantum in ſe, ſicque non per ſcientiam mediam, ſed per ſcientiam viſionis, quod in noſtris principiis admitti nequit. Exiſtimant quidem multi cum Suario, hanc libertatem DEO competere non poſſe, partim quia per liberam omiſſionem DEUS non ageret ex fine honeſto, ad qualem tamen actionem DEUS ex ſe eſt determinatus; partim quia dum libere omitteret, nihil intelligitur, per quod ab actu primo tranſit ad actum ſecundum; Verum quod primum ſpectat, DEUS ex ſe non eſt determinatus ad agendum ex fine honeſto ſibi libero; etſi ita agat ex fine honeſto neceſſario: nam quidquid, & quocunque modo vult, aut non vult DEUS, illud vult, aut non vult propter ſe; hunc finem amplectitur, ex hoc operatur ſine exercitio poſitive libero, & ab intentione hujus finis omne libertatis Divinæ exercitium aut poſitivum, aut negativum, ſeu omiſſum ſummam honeſtatem participat. Alium finem, ex quo præterea, ſi velit, operari poteſt, nempe bonitatem, aut honeſtatem creatam aliquam nulla ratione intendere debet DEUS, etſi poſſit etiam, ſi velit, pure libere omittendo ſimilem finem ſaltem virtualiter intendere, quatenus bonitas creata aliqua per carentiam objecti volibilis impetranda DEUM permovere poteſt ad omittendum illius objecti decretum, licet illa bonitas poſitive non intendatur, ſatis intenta virtualiter, quando DEUS videt eam per hoc medium, ſeu per omiſſionem decreti ſine ullo actu poſitivo aliunde futuram. Quod ad alterum pertinet, aio DEUM tranſire ab actu primo ad ſecundum per omiſſionem omnis & proſecutivæ, & repulſivæ habitudinis, ob quam omiſſionem immutabilis DEUS in ſigno aliquo ſubſequo tam parum tranſire poteſt ad poſitivam volitionem, aut nolitionem, quam parum tranſire poteſt poſitive nolens ad volendum, ac viciſſim.

CAPUT II.

DE NOTIONE ET EXISTENTIA PROVIDENTIÆ DIVINÆ.

XVIII. Quam providentiam latine dicimus, eam græci πρόνοιαν appellant, vocabulo utrobique a cognitione deducto: in utroque autem ineſt præter intuentis, ſcientiſve ſignificationem, anteceſſionis cujusdam incluſa notio, ut ſit quaſi præſenſio, ſeu prævifio mentis, aut antegreſſa notio, atque cognitio. Non tamen ſimplici, & nuda cognitione definienda eſt providentia; nam voluntatem ſimul complectitur, & ex utroque complexa tum ad mentem, & intelligentiam ſpectat, tum ad voluntatem, ac decretum ejus. Nemeſius certe, ex eoque Joannes Damaſcenus ambo iſta in providentiæ rationem conferunt, quando dicunt, *providentiam eſſe curam rerum a DEO profectam*, vel *divinam voluntatem, per quam res omnes apte adminiſtrantur.* Ac licet ſola voluntatis actio in illa definitione contineri videatur; tamen rationis, intelligentiæque functio una etiam exprimitur. Nam & *curæ* vocabulum ſedulam, & intentam animi cogitationem oſtendit, & adminiſtratio ipſa eadem mentis acie perficitur; & βέλησις illa, ſeu rationalis voluntas ex mentis cognitione pendet. *Eſt igitur Divina Providentia*, ut ait Lactantius (de ira Dei c. 10.) *cujus vi, ac poteſtate omnia, quæ videmus, & facta ſunt, & reguntur.* Et juxta Boetium (*l.* 4. *de Conſol. Phil. Proſa* 6.) *Providentia eſt ipſa illa divina ratio in ſummo omnium principe conſtituta, quæ cuncta diſponit.* Illius ergo duæ ſunt partes; quarum altera in rerum futurarum præſenſione, ac ſcientia, altera in conſulendi voluntate eſt conſtituta: atque has paucis comprehendit Cyrillus Alex. l. X. in Joan. *DEUM* appellans *inſpectorem univerſorum, & curatorem.* Et Conſtantinus in Epiſt. ad Agatho-

nem

nem Papam his verbis: *ipſe novit futura, & ſic quæ nobis conducibilia ſunt, pro bona ſua voluntate perficit.* Ita Chriſtus cum de Dei Patris ſui providentia ſermonem haberet, duo præ ceteris inculcavit Apoſtolis ſuis; ſcientiam quidem, cum ſic loquitur: *ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.* Bonitatem vero, cum ita dixit: *Si ergo vos, quum ſitis mali, noſtis bona dare filiis veſtris; quanto magis Pater veſter Cœleſtis dabit Spiritum bonum petentibus ſe.* Adde Apoſtolum, qui ad Epheſ. I. de divina providentia ſic ſcribit: *ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus* (en actum voluntatis) *qui operatur omnia ſecundum conſilium* (en actum intellectus) *voluntatis ſuæ.*

Ad hanc definitionis formulam conſtituta Providentia, vix eſt, ut rationibus ullis comprobetur. Eſt enim idem de hac quæſtione, ac de altera judicium, qua utrum ſit Deus inquiritur; ut iiſdem prorſus argumentis eſſe in rebus providentiam oſtendere oporteat, quibus Deum eſſe monſtratur. *Si DEUS eſt*, inquit Lactantius contra Epicurum, *utique providens eſt: nec aliter illi poteſt divinitas attribui, niſi & præterita teneat, & præſentia ſciat, & futura proſpiciat. Cum igitur providentiam ſuſtulit, etiam DEUM negavit eſſe: cum autem DEUM eſſe profeſſus eſt, & providentiam ſimul conceſſit: alterum enim ſine altero nec eſſe prorſus, nec intelligi poteſt.* Nihilominus uti Deum eſſe initio probavimus; ita modo Divinam providentiam ſelectis quibusdam argumentis perſuadere conabimur contra Atheos, Marcionitas, & quosdam antiquos Philoſophos, qui omnia fato, aut caſui fortuito adſcribebant.

ASSER-

ASSERTIO.

Eſt in DEO Providentia rerum omnium, etiam minutiſſimarum.

XIX. Ac inprimis quæ ad propugnandam Dei providentiam adferri poſſunt argumenta, triplici capite continentur, *ratione*, *exemplo*, ac *teſtimonio*. Primum argumenti genus nobis ſuppeditat natura, ac conditio Dei, cujuſmodi non ex fide ſolum, ſed ex communi naturæ ſenſu gentiles etiam ipſi deſcribunt: Deum enim cogitant omnes, qui eſſe ſentiunt aliquem, optimum, juſtiſſimum, qui norit, ac facere poſſit omnia; tum ubique ſaltem vi, & efficientia diffuſum eſſe prædicant, ac reliqua tanta digna majeſtate ornamenta tribuunt. Ex iſtis autem omnibus ejusdem divinitatis providentia adſtruitur: *Etenim ſolus DEUS*, inquit Damaſcenus l. 2. de fide c. 19., *natura bonus eſt, ac ſapiens. Igitur quatenus bonus eſt, providet . . . qui enim non providet, non eſt bonus: nam & homines, & beſtiæ propriorum fœtuum providentiam habent naturali quodam inſtinctu, & qui non providet, vituperari ſolet. Quatenus autem ſapiens eſt, optime rebus proſpicit.* Egregium inde argumentum inſtruit Alexandr. citatus: *dicere*, inquit, *nolle DEUM rebus noſtris providere, prorſus alienum eſt a DEO. Eſt enim invidiæ cujusdam, & malignæ penitus naturæ, meliora cum poſſit, non facere. Quoniam autem utrumque horum a DEO eſt alienum, neque ambo penes ipſum erunt, nec horum alterutrum. Intereſt igitur, ut & poſſit, & velit DEUS rebus noſtris proſpicere. Quod ſi vult, poteſtque, perſpicuum eſt iis illum providere.* Hac ratione uſus eſt tum alibi ſæpius, tum l. 10. de legibus Plato inquiens, *Deos, quia in omni virtute perfecti ſunt, omnium curam tanquam ipſis maxime congruentem ſuſcipere.* Hinc etiam l. quæſt. 83. quæſtione 44. nihil caſu

fieri concludit in mundo, quia DEUS *ſummum, & immutabile eſt illud bonum, cujus participatione ſunt bona cetera quæcunque ſunt.*

Ex Divina quoque potentia invictum argumentum ducitur ad providentiam aſſeverandam. Si enim DEUS eſt auctor, effectorque omnium, non poteſt non eorum gerere curam; quando artifex omnis, quo eſt præſtantior, eo eſt ejus, quod elaboravit, operis tuendi ſtudioſior. Quanta igitur cura erit in DEO rerum creatarum, quæ ſine arbitrio Conditoris ſui non modo produci, & exiſtere, ſed ne puncto quidem temporis durare poſſint? Hinc Nemeſius l. de nat. hom. c. 43. ita loquitur: *neceſſe eſt, eundem & procreatorem eſſe rerum omnium, & iis providentem. Quis operator,* inquit Ambroſius l. 1. de officiis c. 13., *negligat operis ſui curam? quis negligat, & deſtituat, quod ipſe condendum putavit?* Habet præterea Creator rerum naturale hoc, ſibique proprium, ut ſit Dominus omnium, ac princeps, ut adeo teſte Theodoreto *cum eſſentia ipſa implicatum, & inſitum gerat Dominatum in res omnes, & imperium*, & ita quidem, ut ſi virtus Dominatoris ab eis, quæ creata ſunt, aliquando ceſſaret, ſimul & eorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret. Ex quo apparet, veriſſimum id eſſe, quod Theologi, ac Philoſophi omnes comprobant, conſervare DEUM res omnes, hoc eſt, poſtquam eas condidit, eadem, qua produxit, actione fovere, ac continere, ne in priorem originem, hoc eſt, nihilum relabantur; jam vero res conditas fovere, illarumque conſtanter exiſtentiam tueri, quid aliud eſt, quam providere? præ omnibus conſideratione dignus eſt locus Theodoreti l. 2. de providentia, in quo collectæ rationes continentur, quas ſingillatim alii proponunt: *vide*, inquit, *quantæ ipſum injuſtitiæ condemnas, dum ei talia per calumniam impingis. Quid enim res omnes procreavit, ſi curam*

ram earum nollet gerere? aut quid tandem cauſæ habet, cur non provideat? an cum poſſit, non vult? atqui poſſe illum quidem quæ ab eo ſunt facta teſtantur. Nam quomodo alioquin rerum aſpectabilium pulchritudines, magnitudines, concentum, & concordiam feciſſet, ſi non lingua, qua ad illa molienda uſus eſt, parem, ac reſpondentem virtutem habuiſſet. Quinam vero in communionem, & mutuam habitudinem diſtracta, & pugnantia congregaſſet, aquam, & ignem, diem, & noctem; & unam ex omnibus harmoniam elaboraſſet, ſi providere non poſſet? etenim longe majus eſt e nihilo produxiſſe aliqua, quam jam extantibus providere. Enimvero poſſe ipſum, creatura teſtatur; velle autem, eadem iterum teſtis eſt: quippe nullo cogente ad procreandum acceſſit; ſed neque tanquam indigus res omnes creatas produxit; verum quia bonus erat, & bonitate omnem menſuram ſuperante præditus voluit iis etiam, quæ non erant, ut eſſent tribuere. Jam qui tanta in ea, quæ non erant, bonitate uſus eſt, quinam a ſe producta negligeret? non enim dici hoc poteſt, illum productis rebus invidiſſe: ſiquidem natura ejus ab omni eſt invidia remota, & ab omni perturbatione libera &c. Nolim excurrendo longius eandem Dei providentiam ex effectis oſtendere, velut e cæleſtibus orbibus, ac ſideribus, eorum motione, anniverſariis tempeſtatibus; ex rebus inferioribus, quæ mutationi obnoxiæ, & inter ſe confligentes perpetuo tamen conſervantur; ex animantium, ac ſtirpium generatione, ex brutorum inſtinctu, ſtructura corporum, varietate rerum, vita, & rebus geſtis hominum proborum, variis, & mirabilibus eventis &c. quæ argumenta doctiſſime tractata apud Petavium videri poſſunt: reliquum erit, de tertio argumentorum genere, ſeu teſtimonio nonnulla proferri.

Teſtimonium aliud externum eſt, quod ſcriptis proditur; aliud internum, & unicuique a natura inſitum. De utroque pauca ſunt delibanda. Scripturæ divinæ non ſæpius Deum

eſſe teſtantur aliquem, quam eundem providentem, & omnibus admirabili cura conſulentem: nam ſæpiſſime nobis aut præſentiam DEI, aut ejusdem gubernationem, aut judicium proponunt. Prov. 25. dicitur: *in omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos.* Pſ: 32. *oculi Domini ſuper timentes eum.* Et Pſ. 33: *oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Ubi teſte Salviano ſcriptura indicat, generalem eſſe in omnes Domini viſionem, ſed meritorum diſcrimine fieri diverſam. Regi autem, & gubernari eadem illa, quæ coram videntur, a DEO docent iſta: *cum ſis ergo juſtus* (ait Liber Sap. c. 12.) *juſte omnia diſponis.* Tum apud Jer. c. 23: *ſi occultabitur vir in abſconditis: & ego non videbo eum? dicit Dominus. Nunquid non cælum, & terram ego impleo?* cur autem impleat, ipſe declarat his verbis: *quia vobiſcum ſum, ut ſalvos faciam vos.* Judicari vero a DEO mortalium facta plurimis locis eadem ſcriptura teſtatur. Notiſſimus eſt locus ille *Luc. c.* 12. ubi Chriſtus ipſe ne paſſerculum quidem in oblivione eſſe apud DEUM teſtatur, imo & capillos omnes capitis eſſe numeratos; Conſiderare dein nos lilia agri jubet, eaque ſine ſuo labore veſtiri a DEO conteſtatur: *ſi autem fœnum, quod hodie eſt, DEUS ſic veſtit* &c. Sed divinis his teſtimoniis apertius eſt illud domeſticum conſcientiæ teſtimonium, quod ſibi quiſque dicit, modo ſe tamen ipſum audiat, neque aſſiduitate ſcelerum, ac deſperatione naturæ vocem perimat. Hoc vero a natura humanis mentibus inſitum eſſe teſtimonium, comprobat inſtinctus ille communis omnium, ut ſubitis in caſibus, & gravi aliquo impendente periculo oculos in cælum erigant, indeque opem, ac præſidium arceſſant. *Neceſſitate aliqua compulſi* (ait Nemeſius c. 44.) *ſtatim ad divinum Numen, preceſque confugimus: velut natura ipſa, ſine cujuſquam inſtitutione, nos ad implorandam DEI opem trahente.*

Etenim

Etenim in repentinis tumultibus, ac terroribus, circa ullam electionem, aut deliberationm, DEUM inclamamus. Porro id omne, quod quamcunque rem naturaliter ſequitur, firmam habet demonſtrationem, cui contradici nequeat. Nihil igitur ſupereſt aliud, quam ut, quæ adverſus divinam providentiam opponi ſolent, argumenta ordine reſolvamus.

Diluuntur argumenta Divinæ Providentiæ adverſantia.

XX. Quæ ad elevandam providentiæ fidem humana (id eſt *animalis, quæ non ſapit, quæ DEI ſunt*) ſapientia excogitavit, ad duo genera revocari poſſunt. Nam providentia nulla videri poteſt aut Dei cauſa; aut ratione eorum, quæ quotidie in mundo accidunt.

Primus locus vana, & inepta continet (velut quod Deus intendens rebus creatis nimium foret negotioſus, qui tamen eſt quietiſſimus, ac beatiſſimus) qualia apud Tullium *l.* 1. *de Nat. Deorum* neſcio quis ex Epicuri diſciplina nugatur his verbis: *Si in ipſo mundo DEUS ineſt aliquis, qui regat, qui gubernet, qui curſus aſtrorum, mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordineſque conſervet, terras, & maria contemplans, hominum commoda, vitaſque tueatur, næ ille eſt implicatus moleſtis negotiis, & operoſis.* Sed hanc opinionis veſaniam caſtigat Ammonius Philoſophus, eorumque eſſet, ait, *qui quanto intervallo divina cognitio, & vis noſtram ſuperet, non intelligunt; & propter hanc inſcitiam ex noſtris rebus conjecturam de iis faciunt, quæ ad DEUM pertinent, noſtramque ad illum imbecillitatem transferunt.* Subjicit idem Philoſophus ſimilitudinem ſolis, qui cum corpus ſit, univerſa tamen luce ſua complet, & ad ima quæque pertingit, niſi craſſum, & opacum alicubi corpus obſiſtat. At divina vis corporis expers

ubique diffunditur, eodemque momento pervadit ſingula. Unum tamen eſt, quod beneficam illius efficientiam interpellat; cum nos ad eam excipiendam inepti ſumus. Verum ne tum quidem curſus illius interrumpitur: ut enim qui in ſole dormiunt, aut oculos claudunt, etſi ejus ſplendore non illuminantur, ardorem tamen ſentiunt, ita qui malitia ſua providentiæ ſuæ benignitatem a ſe repellunt, ſeveritatem non effugiunt. Idem cum dicit Plotinus, tum rationem addit exquiſitam, cur negotioſus non ſit DEUS minima quæque procurans. *Nam laborare* (ait Ennead. 4. l. 4.) *in opere diſponendo nihil aliud eſſe videtur, quam aliena opera tractare, id eſt ea, in quæ poteſtatem non habet. At in iis, quæ quis habet in poteſtate, & quidem ſolus, quanam re alia indiget, niſi ſe ipſo, & voluntate ſua? qui autem ejuſmodi eſt, huic voluntas ipſa prudentia eſt. Nihil itaque deeſt huic ad faciendum; quandoquidem non eſt ejus aliena prudentia: ſed ipſe nulla re adventitia utitur; ergo neque cogitatione, neque memoria.* Quod argumentum ex natura divina, ejuſque ſimplicitate eſt ductum. Cum enim ille ſit omne id, quod habet, neque quidquam illi inſit multiplex, & adſcititium, ac præterea δυνάμει, id eſt, pura potentia nulla conſtet, ſed unus ſit, ac ſimpliciſſimus actus; tam nullius eum præterire cognitio, vel voluntatis ordinatio poteſt, quam nec abeſſe a ſe ipſo poteſt.

XXI. Alter locus, unde argumentum oppugnandæ providentiæ ſumitur, bifariam patet. Nam & quotidiana vitæ hujus incommoda, & tot bonis admixta mala quosdam movent, ut fatali, vel fortuito curſu ferri cuncta potius, quam ratione gubernari exiſtiment. Et tanta rerum inæqualitas (ut & bonis viris peſſima multa, & malis proſpera contingant) de recta ſententia deduxit aliquos, & in peſtilentem errorem, velut in ſcopulos, impulit. Utramque querelam ſic infor-

informat Boetius *l.* 4. *de conſ. proſa* 1.: *Sed ea ipſa eſt vel maxima noſtri cauſa mœroris, quod cum rerum bonus rector exiſtat, vel eſſe mala omnino poſſint, vel impunita prætereant. At huic aliud majus adjungitur. Nam florente nequitia virtus non ſolum præmiis caret, verum etiam ſceleratorum pedibus ſubjecta calcatur . . . quæ fieri in regno ſcientis omnia, potentis omnia, ſed bona duntaxat volentis DEI, nemo ſatis poteſt admirari, nec conqueri.* Quod primum ſpectat, quibus de cauſis mala vel permittat, vel etiam velit Deus; varie, ac copioſe adeo Auguſtinus, Gregorius Nazianzenus, Nemeſius, Lactantius, aliique a Petavio relati expoſuerunt, ut nihil inde contra Divinam providentiam moveri poſſit. Unicum Lactantium audire juvat *l. de ira DEI c.* 13. ita loquentem: *propoſuit DEUS homini bona, & mala, quia ſapientiam dedit, cujus omnis ratio in diſcernendis malis, ac bonis poſita eſt. Non poteſt quiſquam eligere meliora, & ſcire, quid bonum ſit, niſi ſciat ſimul rejicere, ac vitare, quæ mala ſunt: invicem ſibi alterutrum connexum eſt, ut ſublato alterutro, utrumque tolli ſit neceſſe.* Certe proviſoris generalis ratio non poſtulat, ut removeat mala omnia, imo par eſt, ut permittat ob inſcrutabiles fines, quos Sapientiſſimus rerum omnium Dominus ſibi conſtituere poteſt. Quod autem alterum attinet; complures cauſas recenſet Nemeſius, ob quas Deus viros bonos plerumque jactari rebus adverſis patiatur, & malos bonis affluere ſinat. Nam malos vel vult hac ratione adducere ad pœnitentiam, vel virtutes eorum morales compenſare. Probis autem ejuſmodi contingunt, vel ut eorum variis caſibus exercita virtus illuſtrior fiat; ut in Jobo, Tobia, aliiſque contigit. Vel ut ingens inde aliquod commodum oriatur; ut Judæorum nefarium facinus ideo permiſit, ut ex eo Chriſti mors, totiuſque generis ſalus ſequeretur. Vel ut privatim illis ipſis, qui adverſa tolerant, ſalutaris ſit perpeſſio; ſic enim Apoſtolus, ne tot bonorum ſucceſſibus inſoleſceret, a ſatana vexatus eſt.

Vel

Vel cauſæ ſunt aliæ, quas uberrime SS. PP. ſcripta monumenta commemorant.

At inquies: etſi divina providentia ſumma, & præſtantiſſima curet; non tamen eſt, cur dicamus eandem ad infima quæque, & abjectiſſima pertinere, ut adeo recte quærat Apoſtolus: *nunquid de bobus cura eſt DEO?* adfertur etiam paſſim difficilis locus Hieronymi, qui hoc negare videtur. Verum præterquam quod de hac divinæ providentiæ extenſione ſcripturæ utriuſque teſtamenti fidem faciant; eandem Plato ipſe L. 10. de Legibus hoc argumento confecit: ſi Deus, ait, neglectis minoribus, in ſolis occupatur majoribus, id eo fit, vel quia omnibus adminiſtrandis par eſſe mens illius, ac poteſtas nequit: vel quia non vult, tametſi poteſt. Neutrum autem Deo convenit. Nam ſi non poteſt, aut ideo non poteſt, quia non omnia novit, ut ſingulis conſulat: aut ut ſciat, non tamen infinitis rebus eodem momento gubernandis viam habet idoneam. Harum prior cauſa procul abeſt a Deo; cujus infinitam ſcientiam alibi demonſtravimus. Sed & vis infinitæ cognitioni par, & omnibus gubernandis idonea in ente perfectiſſimo ſuppetit. Porro ſi & novit ſingula Deus, quibus quæque res opus habet, & ſatis ad illa ſubminiſtranda virium ipſi ineſt; quod reliquum eſt, ut voluntas deſit, ac bonitas, niſi unicuique proſpiciat, id eſt longe, quam ſuperiora duo, indignius Deo, cui turpis ex eo labes imponitur vel malignitatis, & invidentiæ, vel negligentis, ac delicati faſtidii. Ita Plato. Citatus autem Apoſtolus *Curæ* nomine ſingularem illam providentiam intelligit, quam circa rationales creaturas Deus exercet, condendo leges in eorum commodum, ut illa lex promulgata per Moyſen fuerat: *non alligabis os bovi trituranti*, quam negat pertinere ad boves, eo quod Deo ea de bobus cura non ſit; ſed ad verbi divini miniſtros, ſeu Apoſtolos, quibus ſubminiſtranda eſſe a fidelibus alimenta hac lege decrevit. Locus Hieronymi alibi a nobis expoſitus eſt.

CA-

CAPUT III.

DE PROVIDENTIA DEI RELATE AD SALUTARIA HOMINUM OPERA.

XXII. Divinam circa res omnes creatas providentiam univerſim oſtendimus hactenus; nova ſeſe quæſtio offert de actionibus hominum liberis, an nempe ſicut actiones moraliter malæ ſubſunt duntaxat providentiæ, ſeu voluntati Dei permiſſivæ (ut colligimus ex iis, quæ Eccleſia in Araus. II. *Can.* 25. & in Trident. *Seſſ.* 6. *Can.* 6. definiit) ita etiam Deus actus creaturæ liberos, eoſque ſalutares permittat tantum; an vero his ſpeciatim provideat, & ante abſolutam exiſtentiam eos ſpeciali decreto decernat? Communior hactenus teſte Suario Theologorum opinio fuit (quam amplexus quoque eſt Doctiſſimus Petavius dogm. Theol. l. 9. de prædeſt. c. 1.) Deum in hac providentia re ipſa præordinaſſe actiones creaturæ liberas ſaltem ſupernaturali honeſtate conſpicuas; hancque ſuam opinionem ſcripturis, ac SS. PP. maxime conformem oſtendunt: Apoſtolus ad Epheſ. 1. ait, Deum *nos elegiſſe ante conſtitutionem mundi, ut eſſemus Sancti.* Et rurſus ad Epheſ. 2. ita loquitur: *ipſius ſumus factura, creati in operibus bonis, quæ præparavit DEUS, ut in illis ambulemus.* In quæ verba ſic loquitur 1. S. Auguſtinus l. de Prædeſt. SS. c. 10: *quod ait Apoſtolus: non ex operibus, ne forte quis extollatur; ipſius enim ſumus figmentum, creati in operibus bonis: gratia eſt. Quod autem ſequitur: quæ præparavit DEUS, ut in illis ambulemus: prædeſtinatio eſt.* II. S. Fulgentius l. 1. ad Monimum c. 9. ita loquitur: *bona opera noſtra Paulus a Domino aſſerit præparata, hoc eſt, in prædeſtinatione diſpoſita.* 3. S. Thomas in Comment. verb. Ap. *nihil aliud eſt prædeſtinatio*, ait, *quam præparatio beneficiorum DEI, inter*

quæ beneficia computantur & ipſa bona opera noſtra : dicitur autem DEUS nobis aliqua præparare, in quantum diſpoſuit ſe nobis daturum. Secundum Apoſtolum igitur DEUS omnia pietatis opera prædeſtinatorum præparavit, ut in illis ambulent; ſecundum Auguſtinum & Fulgentium DEUS ea prædeſtinavit; aut in prædeſtinatione ſua diſpoſuit &c. quid autem hæc omnia aliud ſignificare poſſunt, quam Deum omnia pietatis opera prædeſtinatorum præordinaſſe in mente ſua, ut ſic, ſi velit, poſſit eis gloriam, meritorum intuitu, ut coronam conferre?

Etſi autem omnes fere Theologi exiſtiment, DEUM ab æterno ordinare actiones noſtras ſalutares: eam tamen ordinationem, aut prædefinitionem ad abſolutam exiſtentiam earundem actionum minime neceſſariam eſſe admittunt. Nam duplici titulo neceſſaria eſſe poſſet, vel ut conſtitutivum potentiæ proximæ, vel certe ut remotum principium; atqui ſi ſalvam velis actionum illarum libertatem, neutro modo neceſſaria eſſe poteſt. Si requiritur ut conſtitutivum potentiæ, non poteſt impediri per actum ſecundum; nam actus ſecundus non poteſt impedire ad ſe eſſentialiter ex parte potentiæ requiſita: ſi ut principium remotum, ſaltem potentia proxima foret eſſentialiter connexa cum hoc principio, hæcque connexio neceſſario importaretur ex parte potentiæ, adeoque ob ſimilem rationem impediri non poſſet per actum ſecundum; unde ſimpliciter daretur principium illativum actionis ſalutaris, quod per actum ſecundum impediri non poſſet. Quod ſi ita eſt, voluntas humana potens agere ſalutariter nec poſſet per idem libertatis exercitium eandem actionem omittere, nec vitium oppoſitum exercere, quod tamen ad perfectam libertatem requiri quisque intelligit. Quæſtio reliqua eſt, an & quomodo ejuſmodi decreta non quidem neceſſario prærequiſita ad actiones ſalutares, earundem tamen efficaciter intentiva fieri poſ-

poſſint ſalva, ac illæſa libertate voluntatis humanæ? alii enim ex Theologis decretum prædefiniens opus ſalutare ſimpliciter innoxium libertati humanæ, alii eidem perniciofum eſſe arbitrantur, ſit igitur;

ASSERTIO.

Prædefinitio actionum ſalutarium non obeſt libertati humanæ, ſi fiat conſulta eadem libertate; obeſt autem, ſi fieret libertate omni inconſulta.

XXIII. Ut veritas primæ partis intelligatur, ſciendum eſt, eam actionem reipſa, & immediate eſſe liberam, quæ ita ponitur, ut nullo intercedente, ſeu mediante alio exercitio abſolute omitti poſſit; in hoc enim conſiſtit perfecta libertas, quæ det voluntati, actionem ponendam immediate, nulloque mediante exercitio omittere poſſe. Quod ſi igitur DEUS prædefiniat actiones ſalutares ſub luce ſcientiæ conditionatæ, qua prævidet gratiæ conferendæ bonum uſum; voluntas humana ita ponit ſub hac gratia opus ſalutare, ut illud nullo mediante exercitio abſolute omittere poſſit. Nam ex traditis priore controverſia principiis perſpicuum eſt, voluntatem humanam impedire poſſe immediate ſcientiam conditionalem per diſſenſum conditionatum (qui quoad rectum idem eſt cum diſſenſu abſoluto, ex eoque neceſſario reſultat) atqui eadem poteſtate, qua impediri poteſt illa ſcientia, impediri etiam poterit decretum DEI ab ea pendens; itaque per ipſum diſſenſum abſolutum prædefinitio actus ſalutaris, nullo mediante alio exercitio, impediri, hacque impedita immediate actio ſalutaris omitti poteſt: quo quid amplius ad perfectam libertatem deſideretur, non video, niſi etiam velis, decreta collativa gratiæ prævifæ efficacis noxia eſſe libertati. Sane tam parum libertas proxima hominis exigit, tanquam conſtitutivum,

decretum tale præordinans, aut auxilium ut ſubſtans huic decreto; quam parum ſcientiam de conſenſu conditionato, aut auxilium huic ſcientiæ ſubſtans: ſicut igitur manent omnia requiſita ad actum ſecundum, totaque potentia proxima indifferens ad actum, ejusque omiſſionem, non obſtante ſcientia conditionator um; ita manent omnia requiſita ad actum ſecundum, & potentia proxima non obſtante decreto præordinante; ut adeo utrinque abſolute, ac immediate actio ſalutaris omitti poſſit.

XXIV. Qui decreta prædefinitiva, conſulta ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, dari poſſe defendunt, duplex decretorum genus conſtituunt, Prius dicunt eſſe independens a ſcientia media tam in exiſtendo, quam operando, ſeu tam quoad executionem, quam intentionem; ut ſi Deus, inconſulta omni libertate creata, decerneret actiones noſtras abſolute, ac efficaciter. Alterum genus decretorum ajunt eſſe independens quidem a ſcientia media quoad intentionem, non item quoad executionem; ut ſi Deus decerneret quidem (inconſulta hominum etiam conditionata libertate) actionem pietatis ſalutarem ſimpliciter, ſed tamen ita, ut eandem poni velit determinate ſub auxilio indifferente, ſiquidem illud per ſcientiam mediam videbitur efficax, & duntaxat ſub auxilio neceſſario pro caſu, quo indifferens videbitur inefficax, nempe viſa in ſigno ſcientiæ mediæ gratiæ efficacia decernetur gratia indifferens, ſub qua habebitur conſenſus ſalutaris.

Quod ſi primum decretorum genus rite expendatur, quis non videt, illud nulla ratione cum libertate noſtra conſiſtere? S. Auguſtinus l. I. retract. c. II. ait, *in poteſtate noſtra non eſſe, niſi quod noſtram ſequitur voluntatem;* & D. Thomas p. I. q. 82. a. I. *tantum ſecundum id nos eſſe* cenſet *dominos actuum noſtrorum, ſecundum quod poſſumus hoc, aut illud eligere.*

Si

Si autem hoc, aut ſimile decretum antevertit noſtram voluntatem, quomodo in noſtra poteſtate erit actio libera, ejusque omiſſio? aut ſi hoc decretum eſt efficaciter intentivum actionum noſtrarum, inconſulta noſtra libertate, qui fieri poteſt ut voluntas noſtra hoc, vel illud eligat? certe tanta erit neceſſitas, ut nec pro ſenſu compoſito, nec pro ſenſu, ut ajunt, diviſo, omitti poſſit actus ſalutaris: habebimus nempe principium antecedens, ex ſeſe connexum cum abſoluta exiſtentia actus ſalutaris, quod nulla ratione per noſtram libertatem impediri poteſt, quale principium libertati humanæ obeſſe ſæpius diximus. Eodem fere modo facile oſtenditur, nec alterum decretorum genus admitti poſſe; relinquit enim tantum creaturam liberam quoad hanc circumſtantiam, ut actum ſalutarem ponat potius ſub auxilio indifferente, quam ſub neceſſitante; neceſſitat autem voluntatem ad actionem ponendam ſimpliciter, ita ut eam, vi hujus decreti non impedibilis, omittere nequeat. Nam ejusmodi decretum de ſe ſpectatum neceſſario infert actionem ſalutarem quoad ſubſtantiam, ſeu ſub auxilio indifferente, ſeu neceſſitante, ſimulque impediri non poteſt per libertatem creatam, cum quoad intentionem non pendeat a ſcientia conditionali creaturis libera.

Satisfit argumentis, quæ contra aſſertionem N. XXIII. propoſitam adferuntur.

XXV. Opponitur I. quod potentiam proximam connectit cum determinato voluntatis exercitio, obeſſe videtur libertatis perfectioni; atqui prædeſtinatio ad actus ſalutares, etſi pendeat ex ſcientia conditionata, connectit potentiam proximam cum actu ſalutari, adeoque alterum exercitium, nempe diſſenſum, excludit; igitur oberit libertatis perfectioni. Certe ſi potentia proxima ab intrinſeco cum de-

terminata actione connexa libertatem amittit; non erit ratio, cur eandem libertatem retineat, ſi ab extrinſeco, per decretum nempe prædefiniens, ita connectatur. R. prædeſtinatio ad actus ſalutares connectit potentiam proximam, cum actu ſalutari indeclinabiliter, & ante prævifum voluntatis conſenſum nego: declinabiliter, & poſt conſultam libertatem concedo. Hoc ipſo quod fiat ſub luce conditionalium, ita duntaxat connectit potentiam proximam cum actu ſalutari, ut non connecteret pro caſu diſſenſus; itaque non obſtante hoc decreto abſoluta libertas conjungi ſimpliciter poterit cum omiſſione actus, quia poterit per diſſenſum conditionatum eundem in recto cum diſſenſu abſoluto decretum hoc declinare, ac impedire, eoque impedito abſolute diſſentire. Quod additur de intrinſeca connexione potentiæ, ſeu de principio ex natura ſua cum actione connexo; diverſum, eumque rite diſtinguendum ſenſum continet. Vel enim intelligitur principium determinate ad libertatem requiſitum, adeoque inſuperabile per actum ſecundum, vel indeterminate requiſitum; ſi de priore ſermo eſt, perſpicuum fit, illud obeſſe libertati; cum enim ſupponatur eſſe ex natura ſua ad agendum requiſitum, ſine eo ipſa actio eſſe non poteſt, adeoque per ipſam actionem declinari, impedirique nequit: hoc autem ipſo potentiam ita necteret cum actu ſalutari, nulla ut ratione omitti poſſit. Quod ſi autem principium notas, ex natura quidem ſua connexum cum actu, non tamen ad illius exiſtentiam neceſſario requiſitum; quæro porro, an illud principium per idem exercitium libertatis, ſeu per ipſum hunc actum ſecundum declinari poſſit, an non? ſi primum, minime oberit libertati, quia facta hac ſuppoſitione voluntas ita ponet actionem ſalutarem, ut nullo interveniente alio libertatis exercitio abſolutam potentiam (per conditionatum diſſenſum ab hoc principio eliberatam, ejusque loco per aliud indifferens conſtitutam) cum abſoluto diſſenſu connectere poſſit. Sin autem

ve-

velis, etiam principia indeterminate requiſita, ſi potentiam proximam conſtituant, per idem libertatis exercitium, ſeu per ipſum actum ſecundum declinari non poſſe (id quod hic non definio, cum pertineat ad tractatum de gratia) eadem libertati noxia omnino affirmo.

Opp. II. ſi ipſa libertas conditionata, quippe quæ prior eſt abſoluta, eſt connexa cum actu ſalutari, nec illa, nec decretum inde pendens impediri poteſt per diſſenſum abſolutum, qui libertatem conditionatam conſequitur. R. non quidem impediri poſſe decretum potentia conſequente, ſed tamen antecedente: hoc ipſo enim, quod & ſcientia media, & quod ab ipſa pendet, decretum prædefinitivum ſupponant conditionatum voluntatis conſenſum liberum, non natura, ſed ſubſiſtendi duntaxat conſequentia priorem conſenſu abſoluto, quique in recto idem omnino conſenſus eſt; ſupponit talem conſenſum, quem voluntas humana conditionate ſub hac gratia, & hoc ipſo collata gratia abſolute diſſentiendo impedire, eoque impedito etiam ſcientiam, & decretum declinare poteſt; ut adeo maneat antecedens potentia & conditionate, & abſolute diſſentiendi, ſine ullius exercitii alterius interventu, licet in conſortio ſcientiæ mediæ, & pendentis inde decreti voluntas nec conditionate, nec abſolute diſſentire poſſit; quod quidem ad perfectam libertatem minime neceſſarium eſt.

Urgebis. Cum voluntate efficaciter intentiva actus ſalutaris non poteſt conjungi decretum applicativum omnipotentiæ divinæ indifferens ad conſenſum, & diſſenſum; nam ſpectata priore voluntate Deus decernit duntaxat concurſum ſuum ad actum ſalutarem. R. decreta illa divina minime inter ſe pugnare; ſi utriusque modus, ac ſenſus penitius inſpiciatur: vi prioris decreti, nempe prædefinitivi, vult Deus dun-

duntaxat concurrere ad actum ſalutarem conſequenter ad conſenſum conditionatum; vi alterius decreti indifferentis relinquit omnipotentiam ſuam voluntati humanæ, ut potentia antecedente eam determinare poſſit vel ad conſenſum, vel ejus omiſſionem. Jam vero fieri poſſe, ut DEUS ex aliqua ſuppoſitione conſequenter velit aliquid determinate, & ſimul indifferens maneat ad illud, ejusque oppoſitum ante eam ſuppoſitionem, quisque facile ex dictis intelligit. Aliud judicium nobis foret, ſi DEUS ita decerneret actum ſalutarem, etiam ſub luce conditionalium, ut pro caſu diſſenſus neque per hoc, neque per aliud decretum vellet conferre auxilium ſeu libertatem; nam ſimile decretum libertati humanæ noxium eſſe omnino cenſemus, ut adeo cujusvis decreti prædefinitivi modus, ac tendentia ejusmodi eſſe debeat: quia video voluntatem conſenſuram gratiæ indifferenti, præordino ejus ſalutarem conſenſum, non eundem ordinaturus, ſed daturus libertatem, ſeu gratiam dependenter a decreto alio indifferente, ſi viderem diſſenſum. Itaque licet in poteſtate voluntatis humanæ non ſit ante omne exercitium libertatis divinæ obtinere gratiam dependenter ab alio decreto, quia ante illud in poteſtate humana non eſt obtinere libertatem; eſt tamen in poteſtate hominis conſequente ad voluntatem divinam (qua DEUS hominem vult eſſe liberum) impetrare per diſſenſum conditionatum abſolutam gratiam dependenter a decreto indifferente, ſub qua poni poterit diſſenſus abſolutus. Cum ergo decretum prædefinitivum ex ſcientia conditionata pendens ſit ejusmodi libertatis divinæ exercitium, quo vult hominem eſſe liberum, manifeſte conſequitur, in humana poteſtate eſſe, ſaltem conſequenter, amovere a ſe illud decretum, atque obtinere gratiam, ac libertatem per decretum aliud indifferens, ſub qua abſolutus diſſenſus eſſe poteſt.

Re-

Refelluntur reliquæ objectiones.

XXVI. Qui ſcientiam conditionalium impugnant, ea decreta circa actiones ſalutares admittunt, quæ prælucente ſola ſimplicis intelligentiæ ſcientia concipiuntur. Ajunt ſiquidem, Deum videre per illam ſcientiam opus ſalutare eſſe poſſibile: illud autem decernere poſſe, quidquid videt eſſe poſſibile. Certe decretum prædefiniens actum ſalutarem, etſi ſcientiam conditionalem prævertat, connecti poteſt cum decreto collativo gratiæ indifferentis, quæ potentiam proximam relinquit liberam, & conjungendam cum omiſſione actus. R. etſi Deus per ſcientiam neceſſariam videat opus ſalutare eſſe poſſibile, cognoſcit tamen eadem ſcientia oppoſitum eſſe poſſibile: itaque videt ſimul humanæ voluntati, ſi velit eam eſſe liberam, relinquendam eſſe determinationem eligendi opus ſalutare, ita ut id ſimpliciter etiam omittere poſſit. Quod ſi ita eſt, non poterit, inconſulta libertate creata, eam efficaciter ad actionem determinare, niſi perimat, auferatque libertatem. Etſi autem Deus actiones noſtras liberas, inconſulta libertate conditionata, prædefinire non poſſit, ne minimum quidem de ſua perfectione amittit; nam exercere creatura libertatem ſuam non poteſt, niſi Deus det poſſe, & ad ipſum libertatis exercitium generali actione concurrat: imo in hac providentia (qua nulla creatura omnibus gratiis conſenſura, aut diſſenſura videtur) in poteſtate divina eſt, dare nunc gratiam prævïſam efficacem, nunc inefficacem, atque adeo corda hominum pro arbitrio ſuo inclinare, probum diſcernere a reprobo, ita ut nemo potentiſſimæ ejus voluntati reſiſtere poſſit. Ceterum licet gratia conferatur de ſe indifferens, nunquam tamen conjungi poterit cum omiſſione actionis prædefinitæ; non in conſortio decreti ex ſe infruſtrabilis, ut per ſe patet: non etiam pro ſenſu, ut ajunt, diviſo, cum illud, ut-

pote omnem libertatem creatam antevertens, impediri non poſſit.

Pro altero decretorum genere his potiſſimum momentis pugnant Adverſarii. I. ſi Deus, inquiunt, decerneret ante omnem conditionalium ſcientiam conferre auxilium præviſum efficax, actus ſalutaris ſub auxilio indifferente ita ponetur, ut ſub hoc omitti poſſit; quod quidem ad ſalvandam libertatem ſufficere videtur. II. collata gratia indifferente voluntas pro ſtatu abſoluto ex parte potentiæ proximæ habet principia pure indifferentia ad opus ſalutare, ejusque omiſſionem. III. Decretum ita prædefiniens, etſi connexum cum actione ſalutari, impediri poteſt per abſolutum diſſenſum, ſicut decretum collativum gratiæ efficacis. IV. Saltem decernere poterit Deus, inconſulta hominum libertate, actus ſalutares, ſi ſupponatur voluntas humana neceſſario conſenſura alicui indeterminate auxilio ex tota collectione gratiarum; in hoc enim caſu videt Deus ante omne exercitium libertatis creatæ in ſua eſſe poteſtate, dare illam gratiam præ omnibus ceteris, ſub qua per ſcientiam mediam videbitur voluntas conſenſura: neque enim ſic exponet decretum fruſtrationis periculo, neque libertati nocebit, quia decerneret actum in ſe, & determinate liberum, qui ſalvo decreto omitti poſſet. His igitur objectionibus ut ordine ſatisfaciamus;

R. ad primum; etſi actus omitti poſſit ſub hoc determinato auxilio, ſimpliciter tamen omitti non poterit; ut adeo ſalva quidem maneat libertas quoad modum, ſeu determinatum medium; non tamen quoad ſubſtantiam; quæ læditur per ipſum decretum neceſſario, ac inſuperabiliter inferens conſenſum quoad ſubſtantiam. Ad alterum aio; principia quidem potentiæ proximæ eſſe de ſe indifferentia; extrinſece tamen per ipſam prædefinitionem connexa cum conſenſu, & quidem con-

nexione indeclinabili. Adde, inter principia proxima libertatis eſſe negationem omnis principii antecedentis, indeclinabilis, & per ſe connexi cum actu. Demum quomodo cum tali decreto, quo Deus ante omnem libertatem creatam determinate vult actum ſalutarem, conjungi poſſet decretum, quo Deus indifferenter ad actum, ejusque omiſſionem omnipotentiam offerret, minime apparet. Tertiæ objectionis ſolutio ex prioribus dictis intelligi poteſt: decretum collativum gratiæ efficacis ita nunc datur, ut per diſſenſum conditionatum impediri poſſit; at vero decretum prædefinitivum quoad intentionem independens a ſcientia conditionata, adeoque ſimpliciter actum ſalutarem decernens per diſſenſum conditionatum impediri non poteſt; nam pro caſu diſſenſus vi hujus decreti non foret conferenda indifferens, ſed neceſſitans gratia. Demum data etiam hypotheſi in ultima objectione propoſita, Deus efficaciter ante ſcientiam mediam decernere non poteſt actum ſalutarem ſub auxilio efficaci prævidendo; etſi enim videat ante ſcientiam mediam inter omnes gratias eſſe unam aliquam, ſub qua voluntas hominis eſt conſenſura: quia tamen videt eſſe unam aliquam, ſub qua eſt conſenſura libere, ſeu ita, ut conſenſum ſimpliciter poſſit omittere, idcirco cognoſcit ſimul Deus hoc auxilium a ſe conferri non poſſe tali decreto, quod imponeret Voluntati indeclinabilem neceſſitatem, nunquam abſolute omittendi conſenſum. Jam vero hoc ipſum decretum eam neceſſitatem adferret; licet enim decerneret actum aliquem liberum indeterminate acceptum, ſicque quivis actus poneretur ita, ut vi hujus decreti ille omitti poſſet, decerneret tamen hoc ipſo actum ſalutarem quoad ſubſtantiam, adeoque adferret determinatam neceſſitatem vel hunc, vel alium actum ponendi, ita ut ſimpliciter omnis actus omitti non poſſit.

CAPUT IV.

DE NOTIONE, EXISTENTIA, AC PROPRIETATIBUS PRÆDESTINATIONIS.

§. I.

Quinam fuerint in hoc argumento errores hæreticorum?

XXVII. DUæ ſunt contrariæ in hoc argumento hæreticorum factiones: alii ultra modum hoc negotium intenderunt, ut Valentiniani, Baſilidiani, & Manichæi, duplicem humani generis naturam aſſeverantes, ut adeo hominum alios naturaliter bonos, fideles, ac ſalvandos; alios naturaliter malos, infideles, ac reprobos eſſe dicerent. Hujus erroris meminit Origenes, eumque refellit *l.* 1. *in Ep. ad Rom.* Nec non *l.* 3. *Periarchon c. I.* ubi ait Hæreticos aſſeverare, *non eſſe in noſtra poteſtate, ut ſalvemur; ſed naturas eſſe animarum tales, quæ vel pereant, vel ſalventur; nec ullo modo poſſit anima, quæ mala facta eſt, bona fieri, aut quæ bona fuerit, mala effici.*

Huc referendi ſunt ii, quos Prædeſtinatos appellarunt; de quibus Proſper in Chronico ita inquit: *Prædeſtinatorum hæreſis, quæ ab Auguſtini libris male intellectis accepiſſe dicitur initium, his temporibus ſerpere exorſa.* Diſertius aliquid de hac hæreſi non prodidit. At in calce indiculi de hæreſibus, qui Hieronymo inſcribitur, ex Gennadio Maſſilienſi Presbytero nonnullæ referuntur eorum opiniones, quæ majore ex parte Auguſtini dogma ſapiunt; niſi quod ad invidiam illi faciendam calumnioſe ſunt conceptæ. *Velut cum ait illos, qui DEO inſpirante obediunt*

diunt vocationi, ſi non ſunt de numero ſalvandorum, ſubtrahendas illis vires agendi, ne perdurent in bono. Quod adverſus Auguſtinum teſte Proſpero Galli, & Maſſilienſes obiiciebant. Ita & illud; *quod alios etiam invitos poſt multa mala opera attrahat ad ſalutem: alios poſt bona compellat in malum, quo pereant in æternum.* Sigebertus in Chronico ad A. 415. de iis agens ita ſcribit: *De prædeſtinatione, & Divina gratia diſputantes aſſerebant, quod nec pie viventibus proſit bonorum operum labor, ſi a DEO ad mortem prædeſtinati fuerint: nec impiis obſit, quod improbe vivant, ſi a DEO prædeſtinati fuerint ad vitam. Quæ hæreſis ex libris Auguſtini male intellectis initium ſumpſiſſe dicitur.* Ergo iſti ſalutem, ac perditionem hominum quadam fatali neceſſitate conſtare dicebant, nihil ut in alterutram partem merita conferrent. Placet ulterius doctrinæ hujus capita cognoſcere ex epiſtola Fauſti Reienſis ad Lucidum presbyterum, & ejusdem Lucidi libello, in quo errorem ſuum retractavit. Hic de auctoritate Concilii Arelatenſis a Fauſto monitus, prædeſtinatorum, quibus adjunctus erat, ejuravit hæreſin; ubi ei anathema dicit, qui aſſerit, *quod præſcientia DEI hominem violenter compellat ad mortem; vel quod cum DEI pereant voluntate, qui pereunt.* Item qui dicit, *humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non eſſe jungendum.* Tum *qui dicit poſt primi hominis lapſum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.* Addit & caput alterum: *qui dicit alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædeſtinatos.* Quod injuria quidem retractat; eſt enim veriſſimum, niſi fatalis utrobique neceſſitas conſtituatur. Adverſus hanc hæreſin acerrime pugnavit idem Fauſtus duobus in libris, quos ſcripſit de libero arbitrio; ſed intemperantius evectus catholicæ modum profeſſionis exceſſit. Nam & Auguſtini doctrinæ adverſatur in omnibus, & ſemipelagiana decreta propalam aſſeverat. Neque hic illis refutandis immorari lubitum eſt, qui Prædeſtinatorum hæreſin nullam in re-

 rum

rum natura fuiſſe putant; ſed meram Auguſtinianæ doctrinæ calumniam: cum qui illam tuerentur, invidioſo illo nomine a Pelagianis, eorumque reliquiis onerarentur. Verum apparet Auguſtini quidem ſententiam ab obtrectatoribus infami hac appellatione fuiſſe traductam: non tamen idcirco nulli extiterunt, qui, quod ex Lucidi recantatione veroſimile eſt, illa Auguſtini opinione freti extra catholicæ fidei regulas procederent. Sicut non ideo nulli vel Eutychiani, vel Neſtoriani fuerunt, quod catholicos in medio poſitos utroque nomine compellarent contrariæ invicem hæreſes. Videri hac de re poteſt Sirmondus in Hiſtoria Prædeſtinatiana undecim capitibus comprehenſa. Hæreſis iſthæc noſtris temporibus renovata eſt per Calvinum, qui docuit DEUM non alios velle ſalvare, quam prædeſtinatos; iis, quos elegit ad ſalutem, dare in tempore fidem juſtificantem (quam non poſſunt amittere) & gratiam actualem, quæ tollit libertatem arbitrii, eorumque peccata tegit per gratiam Chriſti eis imputatam: illis vero, quos ad interitum deſtinavit, negare fidem, omnemque gratiam; eosque ad peccandum neceſſitare.

XXVIII. Alii ex diametro iſtis oppoſiti prædeſtinationem ita ſuſtulerunt, ut negarent immobile illud, & immutabile decretum DEI, quo certum hominum numerum ad ſalutem, & efficacem, ac perſeverantem gratiam deſtinavit; alios autem perinde certo numero ad æternam ordinationem deſtinavit: ſic ut ab uno ſtatu non ſit tranſitus ad alterum, neque de prædeſtinatorum numero periturus ſit quiſpiam, nec de reprobis ad ſalutem aliquando venturus. In hoc præprimis errarunt ſemipelagiani, qui Auguſtini doctrina, & libris offenſi docebant, id nec divinæ bonitati, qua vult omnes homines ſalvos fieri, nec humanæ Libertati conſentaneum videri, certos duntaxat ad ſalutem excipi; repudiari ceteros; neque com-

mu-

munem omnibus, ac promiſcuam patere DEI bonitatem, ac juſtitiam. Ita docuit Fauſtus Reienſis ſemipelagianorum anteſignanus, qui libris duobus de lib. arb. iſtud ipſum Auguſtini dogma eumque ſenſum impugnat, qui diceret, *unum ad mortem præordinatum, alterum ad vitam eſſe prædeſtinatum.* Patet id ex duabus epiſtolis altera Proſperi, altera Hilarii ad Auguſtinum datis, quibus Maſſilienſium conatus adverſus ejus doctrinam explicantur: *nam ſi ſic prædeſtinati ſunt*, *inquiunt* (verba ſunt Hilarii) *ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus poſſit accedere, quo pertinet tanta extrinſecus correptionis inſtantia?*

2. Quod ſi dimidiati illi Pelagiani prædeſtinationis ſempiternum, ac immobile decretum adeo refugiebant; multo id magis Pelagianis ipſis diſplicuit, qui totum ſalutis negotium liberi arbitrii viribus imputabant. Hinc Eccleſia Lugdunenſis l. de 3. epiſtolis (V. To. 2. Auct. bibl. PP. col. 86.) ait Pelagianos in libris Auguſtini reprehendiſſe prædeſtinationem *ex parte electorum, ut divinam gratiam deſtruerent; & liberum hominis arbitrium eam afficere confirmarent. Quia ſi omnipotens DEUS ante mundi conſtitutionem, quos ſalvaturus eſſet, elegit, & dona ſua, quæ eis largiturus fuerat, prædeſtinavit, ceſſat hic omnis humani arbitrii præſumptio, & ſola DEI gratia firmiſſime commendatur.* Ergo utriusque prædeſtinationem, & gratiæ, & gloriæ Pelagiani ſuſtulerunt; atque ideo S. Auguſtinus (l. de dono Perſev. c. 19, & 20.) ait ſe contra novos hæreticos Pelagianos prædeſtinationem operoſius defendere. Ceterum ut prædeſtinationem ad gloriam ejusmodi, quo rata eſſet, & immobiliter fixa, Pelagii ſectatores vel ex parte, vel ex toto ſuſtulerunt; ſic ad gratiam prædeſtinari eos putarunt, quos per liberæ voluntatis arbitrium ſanctos fore præſcivit. *Præſciebat ergo*, *ait Pelagianus* (verba ſunt Auguſtini l. de prædeſt. SS. c. 18.) *qui futuri eſſent ſancti per libe-*

ræ voluntatis arbitrium: & ideo eos ante mundi conſtitutionem, in ipſa ſua præſcientia, qua tales futuros eſſe præſcivit, elegit ergo; inquit, antequam eſſent, prædeſtinans filios, quos futuros Sanctos præſcivit: utique ipſe non fecit: nec ſe facturum, ſed illos futuros eſſe præſcivit. Verum de his uberius agitur in Tract. de gratia.

§. II.

Quæ ſit Doctrina Catholicorum de Prædeſtinatione?

XXIX. QUam latini prædeſtinationem nominant, eam græci Προορισμὸν ſeu ſimpliciter ὁρισμον appellarunt ἀπο τȣ ὀρȣ, id eſt, a fine, ſeu termino, ad quem res dirigitur, ſeu deſtinatur: unde nihil aliud ſonat, quam definitionem hominum in aliquem finem, antequam ipſi exiſtant. Prævia hæc deſtinatio, de qua hic agimus, perſæpe Præſcientiæ vocabulo exprimi ſolet; ſic enim Auguſtinus l. 2. de perſev. c. 15, *prædeſtinationem* ait *eſſe præſcientiam eorum, quæ DEUS ipſe facere diſpoſuit*, & Apoſtolus Rom. 11. *non repulit*, inquit, *DEUS plebem ſuam, quam præſcivit.* Verum hæc præſcientia non eſt mera, ac otioſa rei futuræ contemplatio, ſed cum actu, & decreto voluntatis conjungitur. Nonnunquam ſumitur late pro qualibet DEI ordinatione ab æterno facta, ſeu ea in bonum ſit, ſive in malum: quo ſenſu utitur ſæpius D. Auguſtinus, & concilium Valentinum III. A. 855. in galliis celebratum his verbis: *fideliter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem.* Communiter tamen ſumitur pro ordinatione ad gloriam, & gratiam, qua tanquam medio gloria obtinetur; atque ſic accepta definitur a D. Auguſtino (l. de dono perſev. c. 14.) *præſcientia, & præparatio beneficiorum, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur.* Dicitur 1. *præſcientia*, per

quam

quam novit DEUS, quibus mediis infallibiliter certi homines ſalvari poſſint, & in qua teſte Auguſtino opera ſua futura diſponit. Dicitur II. *præparatio*, id eſt æterna in DEO diſpoſitio mediorum, quibus in tempore hominem ad finem ſuum ultimum certiſſime dirigit. III. *beneficiorum*: qua voce innuere videtur D. Doctor non tantum dona gloriæ ſed & gratiæ juxta illud S. Fulgentii l. 3. de Verit. Prædeſt. *Prædeſtinavit ergo DEUS ſanctos ſuos & ad gratiam vitæ bonæ, & ad gratiam vitæ æternæ.* IV. *quibus certiſſime liberantur;* nempe a peccato per gratiam efficacem, & a miſeria per gloriam æternam. Dicitur denique; *quicunque liberantur.* Nam prædeſtinatio non ad omnes homines, ſed ad aliquos tantum pertinet, per quod differt a providentia, quæ eſt voluntas antecedens, ac conditionata omnes ſalvandi. His expoſitis duo hic contra hæreticos ſunt demonſtranda; primo admittendam eſſe veram ex parte DEI prædeſtinationem; ſecundo, eam certiſſimam eſſe ſecundum ſe, immutabilem, ac cum libertate arbitrii noſtri conſentientem: quæ præcipuæ ſunt ejusdem proprietates.

ASSERTIO I.

Exiſtit vera ex parte DEI Prædeſtinatio.

XXX. HOc dogma fidei tot evidentibus ſcripturæ teſtimoniis demonſtratur, ut mirum ſit a Chriſtianis in dubium revocari poſſe. Nonne enim Chriſtus expreſſis verbis illam Matth. 25. aſſeruit? ubi ait: *venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi.* Quo ſenſu loquitur etiam Apoſtolus Rom. 8: *quos prædeſtinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Hanc eſſe fidem eccleſiæ, non ſemel affirmat Auguſtinus, qui ex profeſſo contra ſemipelagianos conſcripſit duos libros, unum de prædeſtinatione SS. & alterum de dono perſeverantiæ. Ca-

pite 19. hujus poſtremi ita ait : *hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundum ſcripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare poſſe.* Cui conſentit D. Proſper in reſponſ. 1. ad object. gall. dicens: *prædeſtinationem DEI nullus catholicus negat.* Et in Ep. ad Ruffinum: *Prædeſtinationem tam impium eſt negare, quam ipſi gratiæ contraire.* S. autem Fulgentius l. de incarn. & grat. *DEUS*, inquit, *qui hominem condidit, ipſe prædeſtinatione ſua & donum illuminationis ad credendum & donum perſeverantiæ ad proficiendum, & permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit.* Ratio aſſertionis aperta eſt: nihil enim DEUS operatur in tempore, quod ab æterno non præordinavit faciendum; unde Apoſtolus ait Eph. 1., *nos prædeſtinari a DEO ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ,* Cum igitur DEUS nonnullis hominibus det gloriam in tempore, eam dare ab æterno decrevit.

Neque dicas cum hæreticis, doctrinam prædeſtinationis omnem ſolvere de procuranda ſalute curam, ac vigilantiam, hominesque conjicere vel in temerariam præſumptionem, vel in deſperationem. Si enim ab uno ſtatu non eſt tranſitus ad alterum; certiſſime ſalvabitur, qui eſt prædeſtinatus: nec proinde ulla debet eſſe ſollicitudo de procuranda ſalute. Qui autem non eſt prædeſtinatus, certe peribit, adeoque omnis cura inanis erit. Hoc putidum hæreticorum argumentum neminem movere debet; ſupponit enim DEUM electos ad gloriam prædeſtinare absque operibus, cum tamen nemo ad gloriam eligatur, niſi qui prævidetur facturus bona opera ad eam comparandam neceſſaria. Hinc monet D. Petrus 2. c. 1. his verbis: *magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis - - - ſic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri, & Salvatoris J. C.* Hoc tamen argumentum non adeo facile

ſol-

ſolvitur ab illis, qui rejecta ſcientia conditionata, prædeſtinationem ad gloriam omnino gratuitam, abſolutam, & a prævisis gratiæ meritis independentem eſſe contendunt.

ASSERTIO II.

Prædeſtinatio ſecundum ſe eſt certiſſima, prorſus immutabilis: & conſentiens cum libertate arbitrii noſtri.

XXXI. AC certitudinem quidem prædeſtinationis, quantum eſt ex parte DEI, ſcripturarum, & SS. PP. teſtimonia manifeſte declarant. *Oves meæ vocem meam audiunt* (ait Chriſtus Joan. c. 10.) *& ego cognoſco eas: & ſequuntur me; & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Et c. 13. *ſcit Chriſtus, quos elegerit.* Ad Timoth. 2. ita ſcribit Apoſtolus: *cognovit Dominus, qui ſunt ejus.* Inde eſt, quod qui a gratia ad peccatum deflectunt, ſi eo in ſtatu perſeverent, non cenſeantur eſſe e numero prædeſtinatorum, de quibus dicitur 1. Joan. 2. *ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.* Hujus certitudinis fundamentum ſuppeditat D. Auguſtinus de corrept. & grat. c. 7. ita loquens: *horum ſi quisquam perit, fallitur DEUS: ſed nemo eorum perit, quia non fallitur DEUS; horum ſi quisquam perit, vitio humano vincitur DEUS: ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur DEUS.* Abſit tamen, ut cum hæreticis dicamus, abſolutam eſſe certitudinem prædeſtinationis reſpectu noſtri absque ſpeciali revelatione; *neſcit enim homo, utrum amore, an odio ſit dignus* Eccleſ. 9. Hinc D. Auguſtinus l. cit. c. 13. ait: *quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat?* Et Conc. Trid. *ſeſſ. 6. can.* 16. ei anathema dicit, qui magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum ſe certo habiturum, abſoluta, & infallibili certitudine di-

 xerit,

xerit, niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit. Ex quo ipſo patet altera Prædeſtinationis proprietas, nempe immutabilitas; DEUS enim ſapientiſſimus conſilium ſuum mutare non poteſt; atque hinc teſte Auguſtino *certus eſt Prædeſtinatorum numerus, qui neque augeri poteſt, neque minui.* Demum Electio iſthæc nullam imponit prædeſtinatis neceſſitatem; reliquit enim DEUS hominem *in manu conſilii ſui* Eccleſ. 15. *Ineptiſſime* igitur *dicitur* (verba ſunt S. Proſperi in Reſponſ. ad 6. object. gallorum) *prædeſtinationem DEI ſive ad bonum, ſive malum in homine operari, ut ad utrumque neceſſitas quædam videatur impellere.* Qua vero ratione concilianda ſit libertas cum prædeſtinatione, infra exponetur.

Refelluntur hæreticorum argutiæ.

XXXII. AButuntur Novatores quibusdam ſcripturarum teſtimoniis, ut oſtendant certitudinem prædeſtinationis non eſſe tantum ex parte DEI, ſed ex parte noſtra. Sequentia autem addunt: *hæc ſcribo vobis, ut ſciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filii DEI.* 1. Joan. 5. *ſcientes fratres dilecti a DEO electionem veſtram.* Theſſ. 1. *Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii DEI: ſi autem filii, & hæredes.* Rom. 8. Demum habemus obligatam Chriſti fidem his verbis: *omnia: quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis.* Pro certo igitur habemus, aſſiduis orationibus nos ſalutem a DEO eſſe impetraturos. At enim longe alium, quam intendunt hæretici, ſenſum continent textus allati; In primo non intelligitur vita æterna perfecta, & in re, ſed inchoata, & in ſpe; quo ſenſu Rom. 8. dicitur: *ſpe ſalvi facti ſumus.* In altero Apoſtolus loquitur duntaxat de electione Theſſalonicenſium ad gratiam fidei, addit enim: *quia Evangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed*

& in virtute, *& in ſpiritu S.* Tertius autem notat, ſpiritum S. teſtimonium quidem reddere, nos eſſe filios Dei, ſub certa nempe conditione: *ſi tamen compatimur, ut & glorificemur.* At quia nemo certus eſſe poteſt de digna compaſſione, ita quoque ex certa ſecuritate nemo certus eſſe poteſt, ſe filium Dei eſſe. Demum certi etiam non ſumus omnino, nos orare, ut oportet; ut ait Apoſt. Rom. 8.: *quid oremus, ſicut oportet, neſcimus.*

Immutabilitas Prædeſtinationis ſemipelagianis olim lapis erat offenſionis; ita enim Auguſtino opponebant: ex utraque parte ſuperfluus eſt labor, ſi neque rejectus ulla induſtria poſſit intrare, neque electus ulla negligentia poſſit excidere. Certe poſſunt aliqui de *libro vitæ*, id eſt de numero prædeſtinatorum deleri. Ita Moyſes Ex. 32. dixit: *aut dimitte eis hanc noxam, aut, ſi non facis, dele me de libro vitæ, quem ſcripſiſti.* Et David Pſ. 68. *Deleantur de libro viventium.* Angelus Ap. 3. *tene quod habes*, inquit, *ut nemo accipiat coronam tuam.* Apoſtolus timebat 1. Corinth. 9. ne cum aliis prædicaſſet; ipſe reprobus efficeretur. Ratam ergo, fixamque non putabat prædeſtinationem.

Argutia allata ſemipelagianorum momentum aliquod habere poteſt contra illos, qui admittunt decretum Dei abſolutum, & antecedens omnem prævifionem meritorum. At minime valet, ſi prædeſtinatio fiat ex meritis prævifis: nam inde non alia, quam conſequens naſcitur neceſſitas, adeoque quod in conſortio illius decreti prædeſtinatus non poſſit damnari, ex libera illius determinatione oritur, quam Deus ab æterno prævidit. Reliquis ut ſatisfiat, ſciendum eſt ex D. Thoma, per librum vitæ notari *Divinam notitiam, qua retinet firmiter ſe aliquos prædeſtinaſſe ad vitam æternam.* Cum autem duplex ſit

vita ſupernaturalis, una inchoata, nempe gratia, quæ vitæ æternæ radix eſt, & principium; & conſummata, nempe gloria: ideo duplex liber vitæ diſtinguitur, unus, in quo inſcribuntur, qui ad gratiam ſunt prædeſtinati; alter, in quo continentur electi ad gloriam. Qui igitur in priore libro ſcripti dicuntur, poſſunt deleri; non item qui in altero conſignantur; poterit enim quis excidere a gratia, nunquam vero a gloria, ad quam eſt prædeſtinatus. Ajo igitur, Moyſen poſtulaſſe deleri, non quidem de numero prædeſtinatorum, ſed de numero viventium; ſuam nempe propriam vitam in ſalutem populi Iſraelitici devovere paratus. Pſalmum citatum explicat D. Auguſtinus his verbis; *delebuntur de libro viventium, id eſt, non ibi ſe eſſe cognoſcent: nam verſus, qui ſequitur, exponit, quod dictum eſt: & cum juſtis non ſcribantur. Dixi ergo, deleantur ſecundum ſpem eorum. Secundum autem æquitatem tuam, quid dico? non ſcribantur.* S. Joannes *coronæ* nomine intelligit, non gloriam cœleſtem, ſed fidem, & conſtantiam in bono: Apoſtolus autem timebat reprobationem, ignarus prædeſtinationis ſuæ.

Refellitur opinio Catharini.

XXXIII. HAnc eandem prædeſtinationem (ſive propoſitum certorum hominum ad ſalutem per efficacem gratiam dirigendorum) relictis aliis, & reprobatis, ſi de hominum univerſo genere ſermo ſit, negavit Ambroſius Catharinus ex ordine Prædicatorum in libro de Prædeſt. quem vigente concilio Tridentino edidit. Ait gratuitam electionem non niſi eſſe excellentium quorundam hominum, quos Deus, ſingulari proſequens amore, ex nulla præſenſione meritorum ſic ad vitam deſtinat, ut ab ea non poſſint excidere. Cujusmodi fuere Beata Virgo, Apoſtoli, Prophetæ, aliique nonnul-

li. Ceteros ait in communi providentia relictos, velut in ſuſpenſo manere, quamdiu in vita ſunt; ita ut ſalus eorum a poteſtate liberi arbitrii pendeat: *neque certus ſit illorum numerus, ac determinatus in providentia DEI pro eo tempore, quo adhuc ſunt in via* (hæc enim illius verba ſunt) *tametſi in DEI præſcientia ſit definitus: cum prædeſtinatorum, id eſt eximio illo delectu comprehenſorum, certus ſit & in præſcientia DEI; & in providentia numerus.* Ex quo conſequens eſt, prædeſtinatos quidem omnes certo ſalutem aſſequi, nec eorum perire quemquam; multos vero non prædeſtinatos ad eandem pervenire: nec omnes, qui re ipſa vitam obtinent, ad eam fuiſſe prædeſtinatos.

Opinio iſthæc non ſine tumultu, ac reclamatione, teſte Petavio, eſt excepta: nec immerito. Gratis enim & ſine ullo fundamento facta eſt illa ſalvandorum diſtinctio; neque ullum illius extat in ſcripturis, aut traditione veſtigium: imo de omnibus ſalvandis ſine diſcrimine loquuntur ſcripturæ N. XXX. citatæ. Ut adeo Tournelius velit Catharinum hoc ſolum nomine excuſatum, quod nonnullos judicarit non eſſe prædeſtinatos, niſi poſt præviſa merita. Duplicem autem illam ſalvandorum claſſem fundat Auctor citatus in illo Matth. c. 20. *erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi:* At vero perabſurdum eſt, ex verbis figuratis, ac parabolicis, quæ in varios ſenſus trahi poſſunt, quidquam concludere adverſus aperta, & ſine ænigmate prolata verba. Quid enim intelligendum per regnum cælorum in illa Matthæi parabola, an Eccleſia triumphans, an militans? Si triumphans, quomodo in ea locum habent invidi, & murmuratores? ſi pares cum aliis in mercede, quomodo noviſſimi? Noviſſimi ergo hic vel intelliguntur reprobi, qui quidem vocati ſunt, ſed minime electi, vel ſi juxta interpretationem quorundum PP. noviſſimi hic debeant collocari in

Patria

patria cæleſti poſt peractam pænitentiam, & ipſi ſunt electi, & prædeſtinati. Nam *Matth.* 4. quotquot ad Chriſtum con. gregantur, electi dicuntur. Et *Matth.* 22. qui non ſunt electi, mittuntur in tenebras exteriores, nec uſquam ſcriptura meminit quorundam; qui ſint medii inter electos, & reprobos. Hinc firmiſſime tenendum, verba ſunt Fulgentii l. de fide c. 35. *nec quemquam eorum, quos non prædeſtinavit ad vitam, ulla poſſe ratione ſalvari.*

CAPUT V.

DE CAUSIS, ET EFFECTIBUS PRÆDESTINATIONIS.

§ I.

Explicatur Controverſiæ ſtatus.

XXXIV. ADnotanda hoc loco cenſemus aliqua, quæ in aliis Theologiæ partibus uberius oſtendentur. I. certum eſt, Chriſtum eſſe cauſam moralem, ac mer toriam prædeſtinationis hominum. *Benedixit nos* (verba Apoſtoli ſunt ad Epheſ. 1.) *in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* II. de fide eſt, Prædeſtinationem ad primam gratiam prorſus eſſe gratuitam, nullamque eſſe ejus cauſam in prædeſtinato; conſtantem hanc Eccleſiæ fidem adverſus Pelagianos, & ſemipelagianos definiverunt Concilia; ut in tractatu de gratia docetur. III. certum eſt, prædeſtinationem ad gratiam finalem fieri ſine omni noſtro merito condigno: nam perſeverantiam finalem magnum

DEI

Dei donum eſſe ita declarat Concilium Tridentinum, ut a puro Dei beneplacito pendeat, ut juſti accipiant gratias efficaces, quibuſcum uſque in finem perſeverent in ſtatu juſtitiæ. IV. de fide eſt, juſtos per bona opera vere, ac proprie mereri *augmentum gratiæ*, *vitam æternam*, *atque etiam gloriæ augmentum*; ut his verbis definivit Concilium Tridentinum Seſſ. 6. can. 32.

Sermo nobis non eſt de prædeſtinatione ad gratiam; ſed de illa duntaxat, quæ eſt ad gloriam, & vitam æternam. Atque de hac quæritur, utrum Deus efficaciter, & abſolute decreverit prædeſtinatis, dare gloriam ex mero ſuo beneplacito, & ante merita eorum, aut non niſi propter merita ſupernaturalia prævisa? quæ controverſia ex ſcripturis, & patribus erit definienda.

XXXV. In hoc de gratia, vel electione argumento minor haberi ſolet ratio antiquorum PP. qui ante Pelagianam hæreſin vixerunt, quam eorum, qui poſtea ſunt ſecuti. Latini vero PP. multo majorem habent auctoritatem, quam græci, etiam hæreſi illa poſteriores; eo quod hæreſis illa latinam magis eccleſiam, quam orientalem exercuerit, ut adeo græci plerique intima Pelagianorum dogmata vel ignorarint funditus, vel minus accurate perſpexerint. Omnium vero latinorum, quorum in hac controverſia majorem eſſe auctoritatem dixi, princeps eſt Auguſtinus, cujus de gratia ſententiam quotquot deinde conſecuti ſunt patres, ac doctores; tum vero Eccleſiæ Romanæ Præſules ratam, ac catholicam judicarunt. Paucos duntaxat recentiores excipio, qui in electione potiſſimum ad gloriam, vel prædeſtinatione pertractanda, ultro ſe ab Auguſtini opinione diſceſſiſſe profitentur. Alii porro ne tantum auctoritatis pondus rejicerent, Auguſtinum quoquo mo-

do interpretari ſunt conati. Inter quos fuit Vaſquezius, qui adverſus omnia teſtimonia (quæ ad comprobandam gloriæ prædeſtinationem ſine operum præſenſione adferri ſolent) duo quædam præſcribit: alterum, prædeſtinationis vocabulum ab Augustino ad ſolam gratiam reſtringi; alterum, nunquam Auguſtinum adverſus pelagianos, eorumque reliquias de electione ad gloriam, ſed ad gratiam duntaxat diſputaſſe.

Petavius in SS. PP. lectione apprime verſatus oſtendit argumentis ſolidiſſimis infra inſinuandis; Auguſtinum exiſtimaſſe, prædeſtinationis ad gloriam factæ decretum divinum ex nullis electorum meritis manaſſe. Quæ opinio a multis Catholicis hactenus eſt defenſa, atque etiam hodie ſumma doctrinæ, ac pietatis commendatione propugnatur. Sed ſi quis ita tueri illam inſtituit, ut contrariam, tanquam falſam, ſcripturisque adverſam, damnandam cenſeat, magnopere is errat, ac plurimorum, qui hanc anteponunt alteri, Theologorum conſenſione refellitur. Jam pridem diſputari in utramque partem cœpit in ſcholis iſta quæſtio, neque pro aliquo præjudicio valere ad hanc controverſiam credita eſt auctoritas Auguſtini. Quare priuſquam quidquam ſtatuatur, detrahenda eſt primum illa invidia, quam in oppoſitam opinionem ex Auguſtini nomine conflant aliqui; quaſi nefas ſit ab illius præſcriptis deſciſcere, præſertim in illis quæſtionibus, quæ ad gratiam, & ſalutis adipiſcendæ rationem ſpectant: in quibus ducem illum ſequi ſe Romani Pontifices, & vetera concilia, quæ ſunt adverſus Pelagianos coacta, teſtantur.

XXXVI. Non omnia, quæ in refellendis iſtis hæreticis ab Auguſtino propoſita ſunt, pro catholicis, immotisque decretis habentur ab iis ipſis, qui illius doctrinam commendant, ſummis Pontificibus, ac ſynodis; ſed quædam vere, certoque conſtituta, quædam dicta probabiliter arbitrati ſunt: ac prioribus

ribus ad catholicæ religionis dogma aſſumptis, de poſterioribus velut in medio poſitis libera poſteritati judicia reliquerunt. Extat hac de re luculentum Cœleſtini Papæ decretum (*Ep.* I. *ad Ep. gall.*) quod legis inſtar edidit, ut quatenus de his rebus ſentiendum ſit, cognoſcant Theologi. Poſtquam pelagianæ hæreſis capita præcipua damnavit, iisque catholica dogmata ex Romanorum Pontificum epiſtolis, & ſynodalibus ſanctionibus oppoſuit: demum ita concludit: *profundiores vero, difficilioresque partes occurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere: quia ad confitendum gratiam DEI, cujus operi, ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ ſedis nos ſcripta docuerunt. Ut prorſus non opinemur catholicum, quod apparuit præfixis ſententiis eſſe contrarium.* Ex eo genere profundiorum quæſtionum, quæ nihil ad negotium gratiæ pertinent, eſt illa de prædeſtinatione controverſia, de qua cuivis, utrum volet ſequi, Romani Pontificis ſententia permittitur, ut adeo quisque illud, quod ſcripturis, Patribusque conformius videbitur, relicta etiam hac Auguſtini opinione, conſectari pro lubitu poſſit.

§ II.

Oſtenditur conſonum magis eſſe ſcripturis, ac multis PP. electionem ad gloriam factam eſſe ex præſcientia meritorum.

XXXVII. ETſi exiſtimem, opinionem illam, quæ prædeſtinationem gratuito abſque meritorum prævisione factam eſſe ſtatuit, nihil vel rationi contrarium, vel divina indignum majeſtate in ſe continere; potuiſſeque DEUM, ſi ita viſum eſſet, in hunc modum de prædeſtinatis poſt ſcientiam

conditionatam ſtatuere: tamen ob oculos habendum eſt, hic non quæri, quid facere potuerit DEUS, ſed quid re ipſa fecerit; quod, ut dixi, inveſtigandum eſt ex ſacris literis, cum per ſe loquentibus, tum ut eas pars major antiquorum Patrum explicandas putavit. Placet enim id inprimis, quod errorem, ac temeritatem vitanti faciendum eſſe Vincentius Lirinenſis admonet, ut in iis, quæ dubia ſunt, neque in ſcripturis ſatis expreſſa, adhibeamus *antiquitatem*, & *conſenſionem*, quam ait teneri, ſi ab iis ſenſibus nullatenus recedamus, quos ſanctos majores, & Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt. Hoc ſi præceptum in eo, de quo agitur, ſervare volumus, non dubitamus, quin ea verior ſit opinio, quæ ex præſenſione meritorum ſuam cuique ſortem æternitatis aſſignat.

Ac inprimis ut ex ſcripturis divini conſilii, ac decreti prædeſtinativi ratio nobis conſtet; ſciendum eſt operum omnium providentiæ DEI (quæ ad ſalutem hominum pertinent, & quorum in ſcripturis aliqua eſt ſignificatio) fontem eſſe duplicem Pſ. 24. ita expreſſum, *univerſæ viæ domini miſericordia, & veritas*. De utroque autem ſeorſim ſacræ literæ teſtantur; miſericordiæ quidem opera gratuita eſſe, nec ullis meritis reddi, cum perſæpe indignis etiam obtingant: veritatis autem, ſeu juſtitiæ, id eſſe proprium, ut quæ cujusque meritis ſunt conſentanea, rependat. De priore diſertum eſt DEI reſponſum l. Ex. 33. his verbis: *miſerebor, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit.* De altero inquit David Pſ. 61.: *reddes unicuique ſecundum opera ſua.* Præterea ſcimus ex ſcripturis, proprium eſſe opus miſericordiæ, ac proinde nullis impetratum meritis, vocationis illud, primæque gratiæ beneficium, quo ſepultis *in tenebris*, & umbra mortis lux oritur, & a lethali ſomno peccati torpentia mortalium corda revocantur. Unde & gratia operibus, id eſt meritis opponi ſolet ab

Apo-

Apoſtolo Rom. 11. v. 6. *Si autem gratia*, inquit, *jam non ex operibus*, *alioquin gratia jam non eſt gratia*. Rurſus Eph. 2. *gratia*, ait, *eſtis ſalvati per fidem. Et hoc non ex nobis*, *ſed DEI donum eſt: non ex operibus*, *ne quis glorietur*. At viciſſim ipſæ nos ſcripturæ docent, poſtquam merita omnia antecedens gratia juſtos, ac Deo gratos homines effecit, juſta, ac pia deinceps opera conſequi, quæ ſunt merita ſanctorum, quibus merces ex juſtitia perſolvitur; ut quantam quisque ſementem bonorum operum fecerit, tantam meſſem colligat. Ita enim loquitur Apoſtolus 2. Timoth. 4. *bonum certamen certavi*, *curſum conſummavi*, *fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*, *quam reddet mihi dominus in illa die juſtus judex*. Item ad Gal. 6. *quæ ſeminaverit homo*, *ea & metet*. Et Rom. 2. *ſcimus*, *quoniam judicium DEI eſt ſecundum veritatem . . . quia reddet unicuique ſecundum opera ejus*. In meritis ergo compenſandis ſuas juſtitiæ partes tribuit Apoſtolus.

Ecquid igitur ex his omnibus Theologus conficiet? iſtud opinor; etſi vocatio ad fidem, & electio ad gratiam æque ſequatur ad conditionatam meritorum prævisionem, ac electio ad gloriam ad hanc conditionatam meritorum, & perſeverantiæ prævisionem ſequitur; tamen quando ſcripturæ loquuntur de electione ad gratiam, & fidem, eam dicunt dari *ex miſericordia*, & non *ex meritis*, Deumque ſic *exercere miſericordiam:* & quando loquuntur de electione ad gloriam, dicunt eam dari *intuitu meritorum*, Deum ſic *exercere juſtitiam*; ut ex prioribus conſtat. Sicut igitur ex prioribus ſcripturis recte colligimus electionem ad *gratiam*, & *fidem* eſſe actum miſericordiæ, & fieri ante merita; ita recte colligemus electionem ad *gloriam* & vitam æternam eſſe actum juſtitiæ, fierique poſt merita. Neque erit, cur iſtæ ſcripturæ non de decre-

to intentivo, ſed de executiva duntaxat DEI voluntate, ac actuali gloriæ conſignatione intelligantur: cur enim non dicamus eodem modo decerni gloriam, quo modo ſuo tempore repræſentatur? Nonne incongruum erit dicere, DEUM id, quod facit in tempore, id ea, qua facit, ratione faciendum ab æterno deſtinaſſe? An ulla ſcriptura, ullum concilium docet, DEUM alium ordinem in intendenda gloria, alium in exequenda ſectari? Sicut igitur ſcripturæ, quæ loquuntur de vocatione, de gratia, de ipſa pœnæ irrogatione, ita ab omnibus ſumuntur, ut ad intentivum etiam gratiæ, vocationis, & pœnarum decretum extendantur; ita & hæ ſcripturæ ad ipſam gloriæ intentionem pertinebunt.

Age porro, expendamus parabolas ipſas Evangelicas, quibus, tanquam in picturis, deſcriptum eſt illud ſalutis noſtræ negotium. *Simile eſt*, (ait Chriſtus Matth. 20.) *regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam.* Tum poſt veſperam vocari operarios juſſit, & reddi mercedem ſingulis. Apparet hic inſignis ſimilitudo divinæ ad ſalutem, & præmium deſtinationis, & effectus illius; ac utrobique cauſa monſtratur eadem tum decernendæ mercedis, tum exhibendæ. Hic enim præcipuus finis eſt iſtius parabolæ. Quæro igitur, ſi quis percontetur de patre illo familias, cur pecuniam ſuam in hos potius, quam alios erogare decreverit: num aliter reſpondebit, quam hoc ſe ideo facere, quod illi ex pacto operam ſuam locarint? nempe unam, & eandem ſe cauſam habuiſſe deſtinandi, perſolvendique denarii: nec alia re impulſum, ut mercedem in fine operæ redderet, quam qua reddere ante apud ſe conſtituerat. Cur hunc potius, quam illum, ex tota otioſorum multitudine, elegerit, quem ad culturam vitis

vitis mitteret, voluntatis ſolius dicet fuiſſe ſuæ. Quod autem iis ipſis, quos gratis deligeret, mercedem ſolvere ſtatuerit, jam eorum laborem cauſam extitiſſe. Ita Deus ex uſu hominum ſimilitudinem ſumpſit, qua decretorum ſuorum non minus, quam factorum modum ſignificaret. Quid igitur attinet diverſam in proponendo, & exequendo divinæ providentiæ rationem fingere, nullo idoneo varietatis illius argumento? ſimile quid legitur apud Matth. 25. in parabola de talentis, ubi electio ad negotiationem eſt quidem gratuita, inſigne tamen pro rite curatis talentis oblatum præmium, fidelem procurationem conſequitur. Accedit, formam ipſam judicii, in fine mundi futuri, a Matthæo 25. deſcriptam talem eſſe, ut & electi ob merita præmio ſempiterno afficiantur, & reprobi ob eorum omiſſionem damnentur. Quid igitur cauſa eſſe poteſt, cur non perinde meritis, ac demeritis impulſus ſit Deus juſtiſſimus, ut & præmium, & pœnam decerneret. Nam dicere aliter ſe geſſiſſe Deum in deſtinando, quam exequendo, divinare prorſus eſt, ut jam dixi; ſi hoc nulla ſcripturarum oracula ſuadent, nulla ſecretorum divinorum conſcia vox, & interpres.

XXXVIII. Inſtituti noſtri ratio prohibet, copioſiores adferre auctoritates Patrum, qui noſtram aſſertionem manifeſte propugnarunt. Paucis igitur contenti ſumus. Ambroſius (*l.* 5. *de fide ad Gratianum c.* 5.) de illis Chriſti verbis agens: *non eſt meum dare vobis*, ſic ea declarat: *non eſt meum, qui juſtitiam ſervo, non gratiam* (en prædeſtinatio ad gloriam non gratia eſt, ſed juſtitia) *denique ad patrem referens addit: quibus paratum eſt; ut oſtenderet Patrem quoque non petitionibus deferre ſolere, ſed meritis, quia DEUS perſonarum acceptor non eſt* (en! ne de conditionata tantum meritorum prævisione agere videatur, addit, merita in cauſa eſſe; quod Deus prædeſtinan-

nando unum præ alio ad gloriam non ſit acceptor perſonarum: quæ cauſa eſſe non poſſunt merita conditionata, quæ eligendum non efficiunt dignum) *unde Apoſtolus ait*, *quos præſcivit*, *& prædeſtinavit. Non enim ante prædeſtinavit*, *quam præſciret: ſed quorum merita præſcivit*, *eorum præmia prædeſtinavit.* S. Chryſoſt. hom. 66. in Matth. explicans eadem verba: *non eſt meum dare* &c. ait: *non eſt meum dare*, *ſed quibus labore præparatum eſt.* Igitur gloria præparatur propter prævifa merita, ut immediate declarat dicens: *num igitur quaſi non potentem illum id facere condemnabimus? nequaquam*, *ſed juſtitiam ejus admirabimur: quoniam non perſonam*, *ſed rem*, *id eſt merita*, *reſpicit.*

Hilarius in Pſ. 64. perſpicue adeo hoc tradit, ut expoſitione nulla indigeat. Verba ejus ſunt ſequentia: *itaque non res indiſcreti judicii electio eſt*, *ſed ex meriti delectu facta eſt diſcretio: beatus igitur*, *quem eligit DEUS: beatus ob id*, *quia electione ſit dignus. Scire autem nos convenit*, *hic beatus in quam rem fuerit electus; ſcilicet ad id*, *quod ſequitur: inhabitabit in tabernaculis tuis.* Hieronymus ad C. I. Malach. *dilectio*, inquit, *& odium DEI vel ex præſcientia naſcitur futurorum*, *vel ex operibus.* Non naſceretur autem ex operibus, non ex futurorum præſcientia, ſi prædeſtinatio ad gloriam non ſequeretur merita prævifa: conditionata enim merita non poſſunt eſſe cauſa odii, aut dilectionis.

§. III.

Satisfit momentis ex ſcriptura depromptis.

XXXIX. Qui electionem hominum, gloriæque deſtinationem ſine ulla meritorum præſenſione a Deo factam aſſerunt, Apoſtoli potiſſimum *ad Rom.* ſcribentis auctori-

auctoritate nituntur, *qui cap.* 9. id aperte videtur oſtendere duorum exemplo fratrum Eſau, & Jacob, quorum alterum dilexit, alterum odio Deus habuit, non ex operibus utriuſque cognitis; ſed ex ſola voluntate, ac propoſito. *Cum enim nondum nati fuiſſent*, inquit l. cit. *aut aliquid boni egiſſent, aut mali (ut ſecundum electionem propoſitum maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori. Sicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Ante omne igitur præviſum meritum Jacob diligitur; per illam autem dilectionem Jacob, prædeſtinatio intelligitur. In hoc loco cum fundamentum cauſæ ſuæ ponant oppoſitæ ſententiæ patroni, conandum erit, ut illius loci verum ſenſum adferamus.

Apoſtoli in illa ad Romanos epiſtola mentem, ipſe Auguſtinus exponit, qui l. 1. ad ſimpl. q. 2. ait, propoſitum fuiſſe illo loco *efficere, ut de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Iſraelitæ gloriari, quod datæ ſibi legi ſerviiſſent, & ex hoc Evangelicam gratiam tanquam debitam meritis ſuis percepiſſent, quia legi ſerviebant. Unde nolebant eandem gratiam dari gentibus, tanquam indignis, niſi judaica ſacramenta reciperent. Quæ orta quæſtio in Apoſtolorum actibus ſolvitur. Non enim intelligebant, quia hoc ipſo, quod gratia eſt Evangelica, operibus non debetur &c.* Hunc Judæorum, ac gentilium conflictum fuſius explicat Primaſius in *Præfat. comment. in epiſt. ad Rom.*, ac totum de Evangelica gratia, & vocatione fuiſſe certamen inter illos aſſerit, quod ſuo quiſque merito conceſſum id ſibi a Deo beneficium putaret. Ex quo apparet, Apoſtolum non de electione ad gloriam, ſed de ſola vocatione ad Evangelium, Chriſtique fidem, & gratiam locutum eſſe, & geminorum fratrum exemplo nihil ſpectaſſe aliud, niſi gratuitam unius præ altero electionem. Nempe ut Jacob nullis ſuis meritis divinum illum favorem obtinuit, ſuo ut fratri anteponeretur, quo præpinquem, & uberem Palæſtinæ regionem eſt adeptus; Eſau vero nullis item meritis ſuis hoc infortunio

percuſſus eſt, ut ſterilem ſolitudinem poſſideret: ſic & Judæorum olim populus nullis ſuis officiis hanc a DEO gratiam emeruit, ut legis, ac ſacramentorum, & regni Divini compos & hæres eſſet; cum ceteræ nationes infidelitatis tenebris conſepultæ jacerent. Viciſſim vero gentilium poſtea populum, nullis itidem ipſius meritis provocatus Dominus ad idem decus evexit. De ſempiterna porro vel amborum fratrum, vel utriusque populi ſalute, aut damnatione nihil iſthic agitur. Non enim aliud tam exemplo iſto Iſaaci filiorum, quam ſuperiore Iſmaelis, & Iſaaci, probare voluit Apoſtolus, quam non eo præciſe, quod ab Abrami ſtirpe originem traxerant, poſteros hujus in peculiarem DEI populum eſſe aſſumptos: ſed poſſe DEUM *ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ*, ac pro arbitrio, quos ei libitum eſt, adoptare filios.

XL. Sequitur ejusdem epiſtolæ celebris locus, ex quo ſuam opinionem acriter defendunt Auguſtini ſectatores. *An non habet poteſtatem*, inquit Apoſtolus v. 21., *luti figulus ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* nempe ſicut ex vili eadem maſſa facit figulus vaſa quædam, ſine ullo argillæ merito, vaſa honorum, contumeliæ alia, non facturus injuriam, ſi totam hanc vilem materiam pro arbitrio ſuo in vaſa contumeliæ converteret; ita ex damnata poſt peccatum originis Adamitica maſſa DEUS quosdam ad gloriam eligit, ſine ullis eorum meritis, ex miſericordia gratuita, relinquens alios ſine injuſtitia in maſſa perditionis, non facturus inique, ſi omnes pariter in eadem damnationis maſſa relinqueret.

Contextus hujus Apoſtolici longe alium, quam Adverſarii volunt, finem, ac ſcopum fuiſſe, ex interpretatione colligimus illorum PP., qui in ſcripturarum intelligentia apprime

verſa-

verſati exiſtimant, Apoſtolum nihil hic de electione ad gloriam, aut condemnatione ad pœnam æternam egiſſe; ſed voluiſſe duntaxat, creaturam non debere inquirere in arcana DEI conſilia; verum humili corde adorare ejus circa ſe providentiam. Chryſoſtomus inprimis (hom. 16. in Ep. ad Rom.) hanc figuli, & vaſorum ſimilitudinem explicans affirmat, hanc eo ſpectare, *ut oſtenderet, quouſque DEO parere oporteat. Nam ad hoc, ut facti rationem exigamus a DEO, nihilo magis affici nos par eſt, quam lutum. Siquidem non ſolum contradicendum non eſt, nec inquirendum; ſed neque loquendum omnino, neque cogitandum adverſus illum quippiam: ſed in animo iſti ſimiles eſſe debemus, quod figuli manus ſequitur, & quocunque voluerit ille, circumducitur. Ad hoc enim unum ejusmodi aſſumpſit exemplum; non ad certum vitæ genus deſignandum, ſed ut extremam obedientiam, & ſilentium commendaret &c.* Deinde ſic ſubdit: *unde igitur alii vaſa iræ, alii vaſa miſericordiæ? ex propria voluntate.* Similia habent in expoſitione hujus loci Theodoretus, Æcumenius, Theophilactus, & ante hos omnes Origenes a Petavio citati. Ambroſius etiam comment. c. 3. hanc figuli voluntatem a Divina electione ita ſecernit, ut Divinum eſſe actum juſtitiæ, atque adeo neceſſario merita conſequi tueatur; cum omnes ex una maſſa ſimus in ſubſtantia, & cuncti peccatores, alii miſereri, & alium ait DEUM deſpicere non ſine juſtitia. *In figulo enim ſola voluntas eſt, in DEO autem voluntas cum juſtitia.* Conſentit Damaſcenus ita loquens: *Vaſa quidem fiunt a DEO, qui eſt ſolus artifex, ſed non qua honorata, vel inhonorata ſunt: id enim cujusque liberum facit arbitrium.* Ceterum vel ipſa ſcriptura hanc PP. expoſitionem ſtabilit. Deſumpta enim eſt iſthæc ſimilitudo ex c. 18. *Jer.* ubi juſſus eſt Jeremias deſcendere ad figulum, videreque, ut vas confractum pro ſua figulus poteſtate convertat in aliud, atque inde eſt commonitus, Iſraeliticum populum, & uni-

verſa regna ita in poteſtate Dei eſſe, ut facile confracta, & collapſa inſtaurare poſſit, ut ſic propheta dilapſos ad idola Judæos ad ſpem erigeret. Hac ergo ſimilitudine etiam Apoſtolus commonitos Judæos voluit: confracta, & inhonora gentilitatis vaſa pro poteſtate ſua Deum poſſe in vaſa honoris chriſtiana fide replenda convertere, neque eſſe, qui facti rationem ab ipſo repetere auſit.

Opponitur rurſus caput 8. ad Rom. ubi ſic loquitur Apoſtolus: *quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, hos & glorificavit.* Unde infertur, ante omnem vocationem, & juſtificationem, atque adeo ante omnia merita præceſſiſſe prædeſtinationem; neque ſolam deſtinationem ad gratiam (nam ſic non omnes prædeſtinati ad vitam æternam pertingunt) ſed & ad gloriam. Accedit in eadem epiſtola *incomprehenſibilia judicia* Dei prædeſtinantis vocantur; qualia non forent, ſiquidem prædeſtinatio fieret ex meritis. Facilis enim, cur hic aſſumatur, ille relinquatur, redderetur ratio, quia hujus movet perſeverantia, & illius impœnitentia. R. textu apoſtolico nihil aliud inſinuari, quam infruſtrabilem Dei prædeſtinantis voluntatem, qua nempe, quos ab æterno ut credant, ut ſancti moriantur, ut mediantibus meritis perveniant ad gloriam, prædeſtinavit; etiam in tempore & vocaturus certo ad fidem eſt, & in finali ſanctitate conſervaturus, & ſic ob merita præmium redditurus. An ex prævisis meritis, an ante illa facta ſit prædeſtinatio, altum tacet Apoſtolus: nec probat quidquam, quod prædeſtinationis prius meminerit, quam vocationis, juſtificationis, & glorificationis; per prædeſtinationem enim æternum illud, & immobile decretum, quo ad hæc omnia beati eliguntur, intelligitur: per reliqua ipſa in tempore facta, futuraque beatorum, vocatio, conſervatio, corona-

ronatio, quibus certe decretum illud æternum, & intentivum eſt prius. Quod alterum attinet, Apoſtolus *incomprehenſibilia DEI judicia* non illa dicit, quibus ſalutem hominibus deſtinat, & gloriam. Horum enim cauſas in ſcripturis patefecit Deus; quæ pro eo, ac quisque geſſit in corpore, in judicio accepturum eſſe paſſim denuntiant. Quare comprehendi a nobis iſta poſſunt, quia cauſas eorum illo, qui facit, ſignificante novimus. Ea porro inſcrutabilia judicia nominantur, quorum nobis eſt ignota ratio. Loquitur igitur de vocatione certorum ad fidem, & Chriſti notitiam, aliorumque rejectione, cujus altiſſimi conſilii nemini cauſa comperta eſt. Ob quam rationem etiam Auguſtinus Tract. 26. in Joan. *magna*, inquit, *gratiæ commendatio. Nemo venit niſi tractus. Quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat; noli velle judicare, ſi non vis errare.*

XLI. Alias ſcripturarum auctoritates adferunt oppoſitæ opinionis patroni, quibus probare intendunt, deſtinationem ad gloriam eſſe gratuitam, & absque meritorum intuitu factam. Imprimis *Luc.* 12. Chriſtus dixit diſcipulis ſuis: *nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* ubi vox illa: *complacuit*, ſignificat voluntatem puri beneplaciti. *Joan.* 15. Chriſtus ait: *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Elegit ergo ſuos ad gloriam ex mera miſericordia. Sic quoque *Joan.* 13. dixit: *ſi hoc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea: non de omnibus vobis dico: ego ſcio, quos elegerim,* Igitur ideo beati erunt, quia electi ſunt. Rurſus *Act.* 13. poſt prædicationem Pauli dicitur: *crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Denique duo ex Apoſtolo teſtimonia adiiciuntur; unum ad Rom. 6. *ſtipendium peccati mors, gratia autem vita æterna:* ut adeo ſicut mors æterna eſt propter ſolum peccatum, ita gloria eſſe videatur propter ſolam Dei gratiam. Alterum ex Ep. ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo an-*

te mundi conſtitutionem, *ut eſſemus ſancti.* Ubi Apoſtolus aſſerit nos electos eſſe ad gloriam, non quia prævisi ſumus ſancti, ſed ut ſimus ſancti. Oſtendendum modo eſt, ex citatis ſcripturæ teſtimoniis non effici id, quod adverſarii contendunt.

I. Certe vox iſta *complacuit*, non ſignificat voluntatem *abſolutam*, & efficacem; alioquin Judas, qui de illo puſillo grege erat, fuiſſet efficaciter electus ad gloriam. Intelligi igitur debet de voluntate puri beneplaciti *conditionata*, & inefficaci DEI promittentis gloriam ſub conditione meritorum, quod ipſæ loci citati circumſtantiæ abunde demonſtrant. II. locus ex *C.* 15. *Joan.* citatus non poteſt intelligi de electione ad gloriam, tum quia unus ex diſcipulis, quos alloquebatur, Judas reprobatus erat: tum quia paulo infra Chriſtus dicit illam electionem eſſe cauſam, cur mundus Apoſtolos odio habeat; at mundus non poterat eos odiſſe ob electionem ad gloriam, cum eam non cognoſceret; ergo neceſſe eſt loquatur de electione alia vel ad Apoſtolatum (additur enim; *ut eatis*, & *fructum afferatis*) vel ad fidem, aut primam gratiam, quam per externam profeſſionem mundus cognoſcebat, ut interpretatur contra Maſſilienſes Auguſtinus. III. Textus *Joan. C.* 13. ad literam non eſt de electione ad gloriam, ſed ſolum de perfectione ſcientiæ Chriſti, per quam intime novit eos, quos ad Apoſtolatum delegit. IV. Præordinati ad vitam æternam, de quibus act. 13., dicuntur crediдiſſe in tempore; ex quo minime ſequitur, eos ante omnia merita eſſe præordinatos. Potuit enim DEUS illos ordinaſſe, quos DEUS prævidit ab æterno credituros. V. Ad primum Apoſtoli textum ajo, vitam æternam nominari *gratiam* in ſemine, ac radice, quia redditur meritis gratiæ: ſi enim in ſe, ac formaliter gratia foret, daretur gratis in tempore, ſicut gratia; quod eſt hæreticum. Sic explicat ipſe Auguſtinus hunc textum l. de corrept. & gra-

tia

tia c. 13. his verbis: *verumtamen quia & ipſa vita æterna ab Apoſtolo gratia DEI dicitur, confitendum eſt, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia redditur his meritis, quæ gratia contulit homini.* Igitur non eſt mera gratia, ſed etiam corona juſtitiæ, quæ pro mercede bonorum operum retribuitur. In altero textu Apoſtolus non agit de prædeſtinatione ad gloriam, ſed ad gratiam vocationis, & juſtificationis, ut patet ex conſequentibus: *prædeſtinavit nos*, inquit, *in adoptionem filiorum per J. C . . . in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus remiſſionem peccatorum.* En adoptio, redemptio, & remiſſio peccatorum pertinent ad gratiam juſtificationis.

Reſolvuntur reliquæ objectiones, & quæ fuerit hac in re Auguſtini ſententia, accurate exponitur.

XLII. Concilium Valentinum III., quod in galliis in cauſa Valentini Epiſcopi A. D. 855. celebratum eſt, paſſim opponitur. Nam Canon tertius hæc habet: *Fidenter fatemur, prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem: In electione tamen ſalvandorum miſericordiam DEI præcedere meritum bonum, in damnatione autem perituorum meritum malum præcedere juſtum DEI judicium.* Verum Valentina hæc Synodus nationalis ad ſummum eſt, neque nationis integræ, & Epiſcoporum paucorum, cujus proinde auctoritas nos admodum non ſtringit; maxime cum hi Epiſcopi tanquam opinionem erroneam ſequenti canone damnent eorum ſententiam, qui ajunt Chriſtum redemiſſe omnes homines: ſatisque clare tradant, pro ſolis eum electis ſanguinem ſuum profudiſſe. Ceterum meritum bonum præcedit miſericordia, ſi prædeſtinatio ad gratiam meritum bonum præcedere dicatur, etſi electio ad gloriam bonum meritum conſequatur.

Du-

Ducuntur præterea objectiones ex rationibus theologicis fere ſequentes I. qui ordinate, ac ſapienter vult, prius intendit finem, quam media; ſiquidem movetur ad electionem mediorum ex voluntate finis: DEUS igitur prius intendet gloriam, quæ eſt finis hominis, quam merita, ſeu media gratiæ per quæ finis obtinetur. II. DEUS electis vult efficaciter, ante præviſa eorum merita, gratias, quas præſcit fore efficaces: ergo vult efficaciter eorum ſalutem. Sane non alia de cauſa quibusdam perſervantiam concedit, quam quod eos gratis prædeſtinavit ad gloriam; & aliis negat, quod negative ſaltem ſint reprobati. Quippe cum donum perſeverantiæ gratuitum ſit, & (ut loquitur Trident. Seſſ. 9. Cap. 13.) *magnum illud donum, quod aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt, eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet, & eum qui cadit, reſtituere:* non poteſt alia ratio aſſignari, cur aliquibus concedatur, & aliis non concedatur, quam quod aliqui ſunt ad gloriam gratis electi, alii vero ab ea excluſi. III. DEUS prius eligit ad fidem, quam eligat media ad fidem; ut docet Auguſtinus *l. de dono perſev. c.* 14. Igitur prius etiam ad gloriam eligit, quam eligat media ad eam opportuna. His objectis ut ſatisfiat; *R. ad primum* diſtinguendo propoſitionem: prius intendit finem, quam media, ſi velit finem ſub unica ratione finis conc. Si velit finem ſub ratione mercedis, ac præmii, nego. Porro cum DEUS ad gloriam homines prædeſtinat, gloriam non intendit ſub unica ratione finis, neque abſolute, ſed ſub ratione mercedis, ac præmii, & conditionate ex parte hominum, ſi nempe velint divino gratiæ auxilio adjuti ea exequi, quæ neceſſaria ſunt, ut ad beatum illum finem, & ad laborum debitam mercedem perveniant. DEUS igitur in hac providentia electis non ideo decernit auxilia efficacia, fidem, ſanctitatem, & perſeverantiam, quia jam gloriam ipſis decrevit, ſeu

ita, ut gloria jam tanquam finis intendatur, & vocatio, & perſeverantia tanquam media: hoc enim nulla ſcriptura oſtendi poteſt. Sed ea decernit ita, ut poſſit gloriam meritorum intuitu ut coronam (exercendo miſericordiam ſimul, & juſtitiam diſtributivam) conferre. *Ad alterum* diſtinguo conſeq. ergo efficaciter vult ſalutem in ſe nego: radicaliter, ac in alio, nempe in gratiis efficacibus, in quibus virtualiter continetur concedo. Cum enim fide conſtet, Deum abſque intuitu meritorum, pro ſuo beneplacito prædeſtinatis decreviſſe eam ſeriem gratiarum, quas præviderat fore finaliter efficaces; decretum iſtud, ſuppoſita generali voluntate (quam habet Deus ſalvandi omnes finaliter perſeverantes) eſt virtualis efficax volitio prædeſtinatis dandi gloriam, quam illis poſt meritorum prævisionem deſtinat. Quod additum eſt de finali perſeverantia, fatemur illam eſſe ſummum, ac gratuitum Dei donum, quod nullis meritis de condigno debetur, adeoque gratis, quibus voluerit, illam a Deo concedi, nec aliam tanti collati muneris cauſam quærendam eſſe, quam miſericordiam Dei. At enim inde inferri non poteſt, gloriam, quæ cum finali perſeverantia conjuncta eſt, gratis a Deo deſtinari; niſi etiam inferre velles, eam & in ipſa executione gratis concedi, quia & ipſa finalis perſeverantia in ordine executionis plane gratuita eſt. Denique nulla eſt paritas inter prædeſtinationem ad fidem, ſeu gratiam, & prædeſtinationem ad gloriam, de qua nobis controverſia eſt. Inprimis nulla eſt paritas in *finibus*; finis enim prædeſtinationis ad fidem eſt abſolutus, neque pendet a meritis, ſed omne meritum præcedit. At finis prædeſtinationis ad gloriam eſt conditionatus, & reſtrictus ad merita, atque adeo abſolute decerni non poteſt ante prævisionem conditionis futuræ. Non eſt paritas etiam *in mediis*. Nam media fidei, ſeu actualia gratiæ auxilia ſunt duntaxat media reſpectu Dei intendentis actum fidei ut finem,

& ſic debent eſſe poſteriora fine in mente Dei. At vero merita noſtra relate ad gloriam non ſunt media reſpectu Dei, ſed tantum relate ad nos, & ſic non poſtulant eſſe poſteriora in mente Dei; imo poſtulant eſſe priora, cum reſpectu Dei ſint motiva, quæ ſemper debent eſſe priora in mente decernentis, quam id, quod per illa decernitur.

XLIII. Sunt nonnulli cum Vaſquezio, ac Leſſio, qui Auguſtinum ejusdem, quam hactenus tradidimus, opinionis fuiſſe contendunt. Nimium enim verentes, ne Auguſtinianæ doctrinæ deſertores haberentur, omnibus viribus laborarunt, tantum Doctorem invitum in ſuas partes pertrahere, tanquam is cauſam electionis ad gloriam, præter divinam voluntatem, conſtituerit ullam, atque ex meritis bonorum operum illam fieri putaverit. Nos minime diffitemur opinionem noſtram a mente Auguſtini alienam eſſe, neque nefas eſſe ducimus, hac in quæſtione a tanti magiſtri præſcriptis deſciſcere juxta illa, quæ N. XXXV. diximus; operæ duntaxat pretium erit, ex Petavio genuinam mentem, ac ſententiam Auguſtini in conſpectum dare.

Ut de cujusdam e Patribus ſententia conſtet, illud intuendum eſt, non quid uno, alterove in loco, quaſi obiter injecerit, ſed quæ ſit per ejus ſcripta perpetua doctrina. Jam vero ea fuit peculiaris Auguſtini, ab eoque paſſim repetita doctrina, poſt Adami peccatum totum genus humanum velut maſſam quandam fuiſſe corruptam, & exitio devotam; ex qua per ſolam electionem, ac prædeſtinationem nonnullos Deus gratis, ac miſericorditer ſeparat, nullis eorum meritis impulſus, alios autem juſto judicio ibidem relinquit; cum non minus juſte priores illos, ſi voluiſſet, relinquere poſſet. Hæc adeo eſt Auguſtiniana ſententia, ut ejus primus auctor habi-

tus

tus ſit: quam ex Apoſtolo *c.* 9. *ad* Rom. deduxit. Quippe Pelagiani, ac ſemipelagiani, & quicunque Auguſtino vel vivo vel mortuo refragati ſunt, hoc inter alia, tanquam abſurde ab eo inventum, dogma vexarunt, ex eoque maximam illi invidiam concitare ſtuduerunt: quaſi ex priſtino Manichæorum errore ſentiret, natura, ac velut fato quodam, ſine ullo meritorum diſcrimine, ſalutem contingere: unde conſequens ſit, non eſſe in hominum poteſtate, ut ſalutem adipiſcantur, atque ex vaſis iræ tranſeant in vaſa miſericordiæ; quoniam fixa ſemel eſt divina ſententia, certusque definitus electorum numerus. Has contra Auguſtini dogma frequentiſſimas fuiſſe temporibus illis querelas, ex Fauſti Rejenſis l. 1. c. 4. & 12. nec non ex epiſtolis Proſperi, ac Hilarii ad Auguſtinum datis colligi poteſt.

His poſitis duo ſunt probanda, ut ad mentem Auguſtini pervenire poſſimus: alterum gratis, ac nullis adductum meritis DEUM certos ex illa maſſa diſcernere; alterum ſecretionem illam non ſolam eſſe gratiæ deſtinationem, ſed etiam gloriæ, imo per hujus potiſſimum deſponſionem vaſa miſericordiæ fieri. Primum docet D. Doctor in Enchiridio ad Laurentium C. 98, ubi ex C. 9. Rom. oſtendit, nullam apud DEUM iniquitatem eſſe, etſi, antequam quidquam boni, aut mali facerent homines, hoc eſt, facturos prævideret, quoſdam amet, & eligat, alios oderit, ac reſpuat. *Qua in re*, inquit, *ſi futura opera vel bona hujus, vel mala illius, quæ DEUS utique præſciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, non ex operibus; ſed diceret ex futuris operibus .... Jacob dilexit per miſericordiam gratuitam, Eſau autem odio habuit per judicium debitum. Quod cùm deberetur ambobus, in altero alter agnovit, non de ſuis diſtantibus meritis ſibi eſſe gloriandum, quod in eadem cauſa idem ſupplicium non incurrit; ſed de Divinæ gratiæ largitate, quia non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt DEI.* C.

vero 99., *ſola*, inquit, *gratia redemptor diſcernit a perditis, quos in unam perditionis concreverat maſſam ab origine ducta cauſa communis.* Ibidem ait, *eos, qui ex illa maſſa liberantur, ſic oportuiſſe liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione juſtiſſima derelictis, oſtenderetur, quid meruiſſet univerſa conſperſio, & quo etiam iſtos debitum DEI judicium duceret, niſi ejus indebita miſericordia ſubveniret.* Similia habet in 4. l. c. 8. contra Jul. & ſcribit Ep. 105, & 106. in qua illa Apoſtoli verba: *miſerebor, cujus miſertus ero*, ſic explicat: *quid nos hic docuit, niſi ex illa maſſa primi hominis, cui merito mors debetur, non ad merita hominum, ſed ad DEI miſericordiam pertinere, quod quisque liberatur.*

XLIV. Oſtendendum nunc, quod erat ſecundum, illam ex maſſa ſecretionem Auguſtino non fuiſſe ſolam deſtinationem gratiæ, ſed gloriæ etiam. Etenim per hoc præciſe ab illa maſſa ſeparatur quilibet, per quod in ea contineri, & ejus pars eſſe deſinit. At nequaquam ſola gratia, quamvis efficax, aut Juſtitia hominem ſic eximit, ſed ſola prædeſtinatio gloriæ, ſive gratiæ, quatenus certo habet adjunctam gloriam: quippe gratia DEI, & ſanctitas reprobis multis tribuitur, qui nunquam ab illa maſſa ſunt excluſi, ne tum quidem, cum juſti, ac ſancti fuerunt. Illuſtris ea de re locus eſt l. de corrept. & grat. c. 7. ubi D. Doctor ita loquitur: *tam illi, qui Evangelium non audierunt, quam qui eo audito in melius commutati perſeverantiam non acceperant, non ſunt diſcreti ab illa conſperſione, quam conſtat eſſe damnatam . . . diſcernuntur autem non meritis ſuis, ſed per gratiam mediatoris, hoc eſt, in ſanguine ſecundi Adam juſtificati gratis. Itaque cum audimus, quis ergo te diſcernit? . . . . ab illa perditionis maſſa, quæ facta eſt per primum Adam, debemus intelligere neminem poſſe diſcerni, niſi quod hoc donum habet, quisquis habet, quod gratia ſalvatoris accepit.* En

duo

duo illa, quæ probanda ſumpſimus: nempe ab illa maſſa damnata neminem ſola gratia, & juſtificatione diſcerni; cum illi, qui audito Evangelio in melius commutati ſunt, non tamen ab illa diſcreti fuerint. Tum ſola Dei miſericordia, hoc eſt gratis, in divina ſcilicet præſcientia, ac prædeſtinatione, quotquot ab ea ſegregantur, eximi. Poſtea Auguſtinus hos ipſos, qui ex maſſa ſeparati ſunt, ait ſecundum propoſitum vocatos eſſe, & electos: *electi autem ſunt ad regnandum cum Chriſto*, *non quomodo electus eſt Judas: ad opus, cui congruebat.* Ergo electio illa non ad ſolam gratiam, ſed ad regnum cæleſte comparatur. Denique de iis loquens, qui in accepta fide, & juſtitia non perſeverant, ait eos in illo numero non contineri, qui per electionem gratuitam a maſſa damnata ſeparatus eſt. *Qui vero perſeveraturi non ſunt . . . . nec eo tempore, quo bene, pieque vivunt, in iſto numero computandi ſunt.* Hinc evidens eſt, Auguſtinum ſenſiſſe, neminem ab illa maſſa ſeparari, niſi quem Deus cæleſti regno deſtinarit, & gloriæ.

XLV. Dices I. Auguſtinum contra Pelagianam duntaxat vanitatem pugnans aliud his locis non aſſerere, quam ſine meritis naturæ factam eſſe eam ſegregationem; quo poſito ob merita ſupernaturalia iſthæc ad gloriam electio fieri potuit. Contra enim eſt, quod Auguſtinus pure gratis, & ſine ullis noſtris meritis hanc ſegregationem factam eſſe contendat; docet enim ex Apoſtolo, nos ſic eſſe electos ad gloriam ante mundi conſtitutionem, non quia futuri eramus, ſed ut eſſemus ſancti. Sæpiſſime etiam Jacobi ſortem contemplandam proponit, ob cujus merita negat, præſcientem Deum eam ſegregationem ex originali maſſa feciſſe. De iis igitur meritis loquitur, qualia præſcivit Deus, & qualia erant futura: At ex ſpiritu fidei, & gratiæ futura erant Jacobi merita: ergo

talia merita negat cauſam, vel occaſionem præbuiſſe DEO, ut Jacobum ex illa maſſa ſecerneret.

Dices II. l. 1. ad Simplicianum q. 2. explicans illud Apoſt. Rom. 9. *cum* nondum nati eſſent &c. ait: *non quia invenit DEUS opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propoſitum juſtificationis ipſius: ſed quia illud (propoſitum) manet, ut juſtificet credentes, ideo invenit opera, quæ jam eligat ad regnum cælorum.* Videtur hic D. Doctor diſtinguere prædeſtinationem ad gratiam a prædeſtinatione ad gloriam in hoc, quod prima ſit ex liberalitate donorum gratiæ; altera vero ex electione meritorum, quæ homo poſt juſtificationem a gratia factam acquirit. Quod clarius explicans addit: *nemo eligitur, niſi jam diſtans ab illo, qui reiicitur.* Ubi electionem ad gloriam ait fieri inter diſtantes. Ut ergo illi duntaxat reiiciuntur, quorum demerita videntur, ita eliguntur ad gloriam, qui jam per merita a reprobis diſtantes cognoſcuntur. R. Auguſtinum, antequam Pelagianum errorem impugnaret (id eſt, quando hæc ad Simpliciani Mediolanenſis Epiſcopi conſulta reſcripſit) aliter nonnihil loquutum eſſe, quam deinceps, nequaquam tamen id, quod deducitur, intendiſſe: nempe ut dubitantibus explicaret, qua ratione juſta ſit electio, qua DEus hunc aſſumit ad gloriam, & reiicit alium, & non ex operibus, ſed ex vocante iſthæc electio fiat, propoſitum, & electionem diſtinguit, illoque ait juſtificationem, hac gloriam attribui, ſed utique non juſtificationem, aut gratiam quamlibet, ſed cum perſeverantia connexam (dependenter enim ab alio propoſito non invenit DEus opera, quæ ad gloriam eligat) ideoque & gloriam. Gloria igitur ex Auguſtino hoc explicandi modo confertur Jacobo, id eſt, prædeſtinato, & per propoſitum ante omne meritum, deſtinando nempe, & confertur per electionem dependenter a meritis, intentionem priorem exequendo. Pro-

poſitum ergo Auguſti no, decretum intentivum eſt ; electio, quæ non niſi diſtantes aſſumit, decretum executivum. Poſteaquam vero D. Doctor hoc prædeſtinationis negotium amplius tractare cœpit, nec hanc propoſitum inter, ac electionem diſtinctionem fecerat, inde ſatis electioni, etiam omne meritum antevertenti, juſtitiam aſſerens, quod eripiendo unum gratuito ex maſſa perditionis, relicto in eadem alteri injuria non fiat. Vide c. 7. de corrept. & grat. 19. de prædeſt. 55. & 8. de don. perſev. Epiſtolas item 105. & 106.

Dices III. ex Auguſtino *ſerm.* 7. *de verb. Dom.* ita loquente: *quos voluit, Dominus elegit: elegit autem & ſecundum ſuam gratiam, & ſecundum illorum juſtitiam* Et poſtea, præmiſſis his Apoſtoli verbis: *reliqui mihi ſeptem millia, qui non curvaverunt genu ante Baal*, Deum ſic loquentem inducit: *ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præſumentes, non de ſe, nec de Baal.* Electio igitur, quæ fit ſecundum Dei gratiam, & noſtram juſtitiam, fit ob merita prævisa. R. Auguſtinum hic agere duntaxat de electione ad uberiorem gratiam, ſingularemque protectionem, qua 7 illa virorum millia, qui ante Baal genua non curvaverunt, ſervavit, adeoque nihil aliud hic docere, quam in præmium meritorum ſæpe a Deo etiam deſignari uberiora merita, ac gratiarum ubertatem, ut ex ſubjunctis verbis, quibus loquentem Eliæ Dominum inducit, colligi poteſt. Ceteri D. Doctoris loci facile exponuntur de collatione ipſa gloriæ, ſeu executivo, non intentivo, prædeſtinationis decreto, quod ſane etiam ex Auguſtini mente merita ſupponit.

§. IV.

De effectibus prædeſtinationis.

XLVI. Effectus prædeſtinationis eſt omne id, quod Deus, virtute prædeſtinationis factæ, ex ſpeciali affectu con-

confert electo, ut eum ad beatam vitam perducat. Tres autem requiruntur conditiones. I. ut talis effectus ſit ab auctore Deo; hinc peccatum non poteſt dici effectus prædeſtinationis. II. ut detur ex meritis Chriſti; Deus enim *prædeſtinavit nos per Chriſtum.* III. ut certiſſime conducat ad ipſius gloriæ conſecutionem.

Ajo itaque præcipuos effectus prædeſtinationis adæquatæ (id eſt cum ad gratiam, tum ad gloriam) tres eſſe, ad quos reliqua, quæ ad aſſequendam gloriam conducunt, referuntur; nempe vocationem, juſtificationem, & glorificationem. Hinc Apoſtolus Rom. 8. ita habet: *quos prædeſtinavit, hos & vocavit,; & quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Porro ad gratiam *vocationis* reducuntur omnia auxilia externa, quæ ſimul cum internis ad juſtificationem concurrunt; ut ſunt Evangelii prædicatio, miracula, bona aliorum exempla, a parentibus Chriſtianis ortus, ac educatio, occaſionum peccandi remotio, morbi; calamitates &c. Ad gratiam *juſtificationis* revocantur habitus fidei, ſpei, & Charitatis, aliarumque virtutum, item dona Spiritus Sancti, gratiæ ſacramentales, & donum finalis perſeverantiæ. Ad *glorificationem* reducuntur omnia dona gloriæ accidentalis, quæ vel animam, vel corpus reſpiciunt. Illa enim proveniunt ab illa benevolentia, qua Deus electos dilexit ob merita, & per quam tot, & tanta ſuæ largitatis dona ipſis præparavit.

Neque dicas I. vocationem, & juſtificationem eſſe communes prædeſtinatis, ac reprobis. Nam non quælibet vocatio eſt effectus prædeſtinationis, ſed ea duntaxat, quæ a Deo datur ex efficaci intentione perducendi ad gloriam, qualis ſolis electis datur: nam reprobis conceditur ſolum ex voluntate Dei generali ſalvandi omnes homines: ideoque in illis eſt pro-

providentiæ generalis effectus. Neque II. plura ex memoratis donis eſſe naturalia, adeoque non eſſe effectus prædeſtinationis. Nam etſi illa dona non ſint quoad ſubſtantiam ſupernaturalia, pertinent tamen ad ordinem ſupernaturalem ratione ordinationis Dei, qui illa concedit ex meritis Chriſti, quatenus juvant prædeſtinatos ad gloriam conſequendam. Sic bona fortunæ dici poſſunt aliquando prædeſtinationis effectus, quando inſerviunt ad eleemoſinas erogandas, ſalutemque obtinendam.

XLVII. Quæritur, an permiſſio peccati poſſit eſſe verus prædeſtinationis effectus? Ita omnino: nam permiſſio peccati de ſe bona eſt, cum ſit a Deo, & poteſt conducere ad ſalutem prædeſtinati, tanquam occaſio pœnitentiæ, demiſſionis, aliorumque bonorum illam conſequentium. Poteſt igitur Deus propter hæc bona velle permiſſionem peccati ex ſpeciali affectu erga ſalutem prædeſtinati. Ita ſentiunt Baſilius & Auguſtinus; ille enim in Regulis brev. interrog. 81. ſic ſcribit; *atque etiam id ſcire operæ pretium eſt, contingere ſæpe piorum delicta, divina providentia ita diſpenſante, ad eorum utilitatem.* Iſte vero l. 14. de civ. c. 13. *audeo dicere*, inquit, *ſuperbis utile eſſe cadere in aliquod apertum, manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſpliceant.* Et l. de nat. & grat. c. 24. docet, Deum permiſiſſe peccatum Davidis, *ut ei eſſet contra ſuperbiam conturbatio illa medicinalis.* Idem habet c. 28.

CAPUT VI.

DE REPROBATIONE.

Tam clare in ſcripturis expreſſa eſt nonnullorum reprobatio, ut ad eam demonſtrandam uberiore opus non ſit probatione. Variis autem nominibus reprobi deſignantur. Dicuntur *repulſi.* Pſ. 87. *deſpecti.* Eccleſ. 7. *facti in diem malum.*

Prov. 16. *Hædi*, *&* *maledicti.* Matth. 25. *Vaſa iræ.* Rom. 9. *Filii perditionis.* Joan. 17. *Præſcripti in judicium*, *&* *condemnationem.* Ep. Judæ v. 4. Operæ pretium erit diverſas præprimis de hoc argumento opiniones in medium proferre.

Exponuntur errores Calvini, ac Janſenii, aliorumque opiniones.

XLVIII. VEterum hæreticorum errores ut præteream, Calvinum præ ceteris adduco, eo quod partim ab ignaris uſurpatum ſit temere, partim ab improbis inſidioſe confictum, eandem eſſe Calvini, quæ Auguſtini fuit, de reprobatione ſententiam. Hanc Bellarminus ad quinque capita revocat. I. ex mente Calvini, quem ſecutus eſt Theodorus Beza, DEUS non ſolum permittit, ſed etiam vult fieri, quæcunque fiunt ab hominibus peccata. II. non ſolum vult fieri, ſed etiam ab æternitate decrevit, ut fierent, idque non prævifa determinatione voluntatis humanæ: DEUS enim non decernit quidquam, quia præſcit futurum; ſed præſcit futura, quia ipſe decrevit, ut fierent. III. DEUS non ſolum decrevit, ut fierent, quæcunque fiunt ab hominibus peccata, ſed etiam imperat ſatanæ, & improbis hominibus, ut concipiant maleficia, eosque ad hoc inclinat, impellit, imo etiam cogit. Quin ipſe per eos, tanquam ſua inſtrumenta, facit ea omnia, quæ reſpectu hominum dicuntur, & ſunt vere peccata. IV. Etſi ea omnia fiant DEO volente, definiente, imperante, & operante, tamen reſpectu DEI non ſunt peccata, ſed opera bona, & juſta, quia homines mala intentione, DEUS autem bono conſilio illa omnia facit. V. damnationis reproborum cauſa non eſt ipſorum culpa ſeu originalis, ſeu propria: ſed ſola DEI voluntas abſoluta, quæ omnium præſenſionem meritorum, ac voluntatem antegreſſa, creare illos ſtatuit in eum finem, ut damnarentur, ſeveritatis, ſummique juris, ac poteſtatis oſtentandæ gratia. Ut autem ad deſtinatam illam perniciem pervenirent,

nirent, decrevit, ut in peccata incurrerent. Hanc eſſe Calvini non tam mentem, quam furias, ex ipſius libris Inſtit. facili negotio demonſtrat Bellarminus, & Petavius.

Janſenius Iprenſis docet (l. 10. de gratia Chriſti c. 2.) veram reprobationis cauſam eſſe peccatum originale, quo reprobi *periiſſe*, & *damnationem prævidentur meruiſſe.* Negat igitur reprobos in ſtatu naturæ lapſæ habere auxilia reſpective ſufficientia ad concupiſcentiam domandam, ſervandamque Dei legem, & obtinendam ſalutem; ac per conſequens Deum poſt peccatum originale habere veram, ſinceramque voluntatem, etiam ante propria, & actualia peccata, ſalvandi omnes homines. Negat præterea Chriſtum pro aliis, quam prædeſtinatis, eſſe vere, ac proprie mortuum, ita ut pretium ſanguinis pro obtinenda illis reſpective etiam ad hunc ſtatum naturæ lapſæ ſufficiente gratia, ſaluteque conſequenda obtulerit. Neque decipiaris, ſi audias Janſenianos variis, & ad tegendos errores ſuos excogitatis modis fatentes, & Deum velle antecedenter omnes homines ſalvare, & Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe: nempe ſalvare Deus apud Janſenianos omnes homines vult, quatenus ſimplici ſaltem complacentia tendit in omne bonum, juſtum, & rectum, quale eſt ſalus æterna, & obſervatio legis, in ſtatu naturæ integræ etiam reprobis poſſibilis; imo & voluntatem hanc divinam fatebuntur etiam activam, minimeque ſterilem eſſe, quatenus Deus etiam reprobis ideo decernit auxilia abſolute ad vincendas tentationes ſufficientia, etſi reſpective ad ſtatum naturæ lapſæ non ſufficiant.

Catholici etſi omnes fateantur, Deum vera, & ſincera voluntate velle alios etiam, quam prædeſtinatos, ſalvos fieri; in varias tamen opiniones circa reprobationem abeunt. Tho-

miſtæ diſtinguunt inter reprobationem ſumptam pro voluntate excludendi a gloria, tanquam beneficio indebito, & reprobationem ſumptam pro voluntate puniendi, ſeu infligendi pœnam. Priorem ipſi vocant reprobationem negativam, & ſtatuunt ante; alteram poſitivam, & ſtatuunt poſt demerita abſolute præviſa. Alii cum Suarezio, & Bellarmino cenſent, DEUM neminem deſtinare ad pœnas æternas, ante præviſionem peccatorum. Qua in re certum nobis eſt, reprobationem permiſſivam peccati non fieri ob demerita præviſa: permittere enim ſaltem primum peccatum DEUS certe non vult ob aliqua hominis demerita, cum nulla abſoluta primum peccatum præcedant, conditionata autem tam parum moveant ad pœnam, quam merita conditionata ad præmium. Hoc igitur loco de ſola poſitiva reprobatione nobis ſermo erit, ac inprimis ſinceram DEI circa ſalutem hominum voluntatem ſtabiliemus; tum hæreticorum errores refellemus, ac veriorem de hoc argumento ſententiam proponemus.

ASSERTIO I.

De fide eſt, Deum ſincera voluntate velle alios ſalvos fieri, quam prædeſtinatos: imo Deum, etiam ſuppoſito peccato originali, velle ſalutem omnium hominum, ſi non eſt expreſſe de fide, certe eſt fidei proximum.

XLIX. UT prior pars de fide eſſe oſtendatur, audiendus præprimis eſt D. Joannes c. 6. v. 39. & 40. *Hæc eſt autem voluntas ejus*, inquit, *qui miſit me Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die. Hæc eſt voluntas Patris mei . . . ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Igitur quos Pater æternus ex illa damnationis maſſa inſtituendos dedit Chriſto, illos omnes voluit, ſi non voluntate conſequente,

abſo-

abſoluta, & efficaci, ſaltem antecedente, conditionata & inefficaci ſalvari. Sed illi non omnes ſunt prædeſtinati: nam Judas, qui erat ex eis, non erat electus; *quos dediſti mihi*, inquit Chriſtus Joan. 17., *cuſtodivi: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis.* Ergo aliquos ex illa maſſa non prædeſtinatos voluit ſalvari. Inexpugnabile hoc argumentum ipſis Janſenianis poſt Eſtium viſum eſt, ut cum jam apta hujus loci expoſitio non occureret, ſcripturam ipſam corrumpere non formidarint, & ſacrilego auſu in gallica Montenſi verſione particulam *niſi* converterint in particulam *ſed;* quaſi dictum a Chriſto fuiſſet: nemo ex eis, quos dediſti mihi periit; ſed tantum filius perditionis, qui ex illis non erat. Verum Judam fuiſſe ex eis, quos Deus Chriſto dederat, ut vitam æternam haberent, interpretatio eſt D. Auguſtini Tract. 106. in Joan. c. 17. D. Cyrilli Alex. l. 2. Comment. in Joan. aliorumque PP. Accedunt conſtitutiones Innoc. X. & Alexandri VII. quibus ut *impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam* proſcripſerunt hanc quintam Janſenii propoſitionem: *ſemipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe, eo ſenſu intellectam, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit.* Denique concilium Aretalenſe probavit Fauſti Regienſis epiſtolam ad Lucidum presbyterum: in qua hoc dogma proponitur: & Lugdunenſe probavit epiſtolam Lucidi errores ſuos retractantis, inter quos quartus huic dogmati opponitur.

L. Quod autem Deus antecedente illa voluntate omnes hujus maſſæ homines ſalvare velit; teſtantur imprimis ſcripturæ, quæ generatim, & ſine ulla reſtrictione dicunt Deum nolle mortem peccatoris, nolle ut quis pereat, omnes homines ad pœnitentiam evocare: beneficia etiam impiis, & præſtita ſalutis remedia exaggerant, quas reſtringere ad ſolos præde-

ſtinatos, vel etiam ad fideles ſolos ſine ingenti temeritate quis auſit? Continentur autem ſimilia teſtimonia Proverb. 1. v. 24. *Ezech.* 18. v. 23. 33. *v.* 11. *Iſ.* 5. *v.* 4. 65. *v.* 2. *Matth.* 11. *v.* 28. *Et* 18. *v.* 14. *Et* 23. *v.* 37. Probatur II. ex illis ſcripturæ locis, quæ aperte dicunt, DEUM nullum velle perire, ſed omnes cupere ſalvos fieri. *DEUS vult omnes homines* (ita loquitur Apoſtolus 1. ad Timoth. 2.) *ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Atqui hanc DEI voluntatem extendi ad ſingulos homines probant, tum votum Apoſtoli eodem capite monentis, ut *fiant orationes pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt* (tunc infidelibus, fideique perſecutoribus, ac magna ſane parte reprobis) tum ratio, quam illius DEI voluntatis reddit, quia nimirum *unus eſt DEUS, unus mediator DEI, & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Sicut ergo DEUS omnium omnino hominum, nullo excepto, DEUS eſt; ita & omnium redemptor, ac proinde omnes vult ſalvos fieri. Ex PP. unus ſufficiat Auguſtinus *l. de ſp. & litt. c.* 33. ita loquens: *Vult DEUS omnes homines ſalvos fieri . . . non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes juſtiſſime judicentur; quod cum ſit, infideles quidem contra DEI voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum ſe ipſos fraudant magno, & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.*

Ex his autem manifeſte conſequitur, Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum: nam de fide eſt, Patrem æternum voluiſſe, ut Chriſtus moreretur pro ſalute eorum omnium, quos ſe Pater vult ſalvari; & Chriſtum omnem Patris voluntatem impleviſſe. Si igitur voluntas DEI eſt, omnes ſalvos fieri;

Chri-

Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, quis auſit negare? *Si unus pro omnibus mortuus eſt* (ait Apoſtolus 2 Cor. 5.) *ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Pro omnibus ergo mortuus eſt Chriſtus, qui mortui ſunt in Adamo; atqui omnes (excepta ſola B. V. M.) mortui ſunt in Adamo. Peſſime concluderet Apoſtolus omnes mortuos eſſe in Adam ex hoc, quod unus mortuus ſit pro omnibus, ſi vel unus eſſet, pro quo Chriſtus mortuus non foret. Verum de hoc uberius in Tract. de Incarnatione.

Diluuntur Objecta Adverſariorum.

LI. IMpugnant Janſeniani præcipuum doctrinæ noſtræ præſidium, conſiſtens in illa Apoſtoli ſententia: *qui vult omnes homines ſalvos fieri*, in qua vocem *omnes* non pertinere ad ſingulos, ſed aliquos ajunt: ſicut is ſenſus eſt in his textibus *omnis caro corruperat viam ſuam.* Gen. 6. *omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt.* Pſ. 13. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Tuentur autem ſeſe potiſſimum auctoritate Auguſtini, qui generalem illam voluntatem ſalvandi omnes damnat in Pelagianis; & Semipelagianis; imo allata verba Apoſtoli *Enchiridii c.* 103. exponit I. per diſtributionem accommodam negativam, hoc ſenſu, quod nemo ſalvus fiat, niſi quem DEUS ſalvum fieri velit. II. per diſtributionem accommodam affirmantem, de generibus ſingulorum, non de ſingulis generum, hoc ſenſu, quod DEUS quoſdam homines ex omnibus nationibus, & conditionibus ſalvari velit. III. exponit de voluntate cauſali, ita ut omnes excitet ad hoc, ut ſalvari vellent, ſicque ipſe dicatur eos ſalvare velle, ut Spiritus S. dicitur pro nobis gemere, & interpellare, qui ut oremus, & gemamus, efficit. Adde, D. Doctorem ibidem c. 102. agnoſcere, *voluntatem omnipotentis*

DEI

DEI ſemper invictam eſſe ; qualis voluntas non foret illa, ſalvandi omnes.

Ante Reſponſionem ſciendum eſt, Locutiones ſcripturæ generales in tota ſua latitudine accipiendas eſſe, quando ſine fidei, morumque jactura ſic ſumi poſſunt, aut ſpectatis aliis auctoritatibus ita ſumi debent: quamquam reſtringi debeant, quando vel fidei, vel morum regulæ id exigunt. Ex quo per ſe, & ex dictis patet, cur illum Apoſtoli textum ad omnes extendamus. Dico jam I. Auguſtinum voluntatem Dei generalem non damnaſſe abſolute, ſed in ſenſu perverſo Pelagianorum, & Semipelagianorum, qui docebant, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, ſi ipſi velint, ſolis nempe liberi arbitrii viribus; item Deum velle indifferenter, ſeu æqualiter omnium hominum ſalutem, ita ut nulla ſit Dei ſpecialis voluntas erga electos, quod utrumque reprobat Auguſtinus, ſed nuſquam negavit Deum velle omnes homines ſalvos fieri, ſi ipſi velint, per gratiam ſuam; *verum eſt omnino*, ait l. 1. retract. c. 10., *omnes homines hoc poſſe, ſi velint; ſed præparatur voluntas a Domino.* D. quidem Doctor textum Apoſtoli trifariam, ut dictum eſt, ita exponit, ut primo obtutu videri queat non exiſtimaſſe, Deum velle ſingulos ſalvare; ſed re ipſa (ut teſtatur D. Thomas in 1. d. 46. q. a. 1.) loquitur ibi duntaxat de voluntate abſoluta, & conſequente ad reproborum demerita; apte nempe contra Pelagianos, qui voluerunt, voluntatem Dei abſolutam ab hominibus fruſtrari poſſe. Eandem voluntatem ait loco citato *invictam* eſſe.

Dices: voluntatem illam verſantem circa ſalutem omnium hominum, eo quod ſeria non ſit, ſed ſterilis, & otioſa, admitti non oportere. R. ut Deus dicatur antecedenter ſerio velle ſalutem hominum, ſatis eſt, ſi cum affectu ad ſalutem

det

det cuique auxilia gratiæ ſufficientia, nec opus eſt, ut largiatur præviſa efficacia; hoc enim duntaxat ad efficacem ſalutis intentionem requiritur. Sterilis autem ea voluntas non eſt, quia eſt effectrix mediorum ſufficientium; ac quamvis velleitas ſit, ſeu inefficax volitio reſpectu ipſius ſalutis, eſt tamen efficax voluntas mediorum ad ſalutem obtinendam neceſſariorum.

LII. Opponunt porro copioſos ſcripturæ textus, qui videntur innuere, Chriſti mortem non pro omnibus eſſe oblatam. Sic Chriſtus Matth. 20. dicit ſe veniſſe *dare animam ſuam pro multis*. Joan. 10. teſtatur, ſe *animam ponere pro ovibus ſuis*. Joan. 17. oravit pro ſolis electis: *non pro mundo rogo*, inquit, *ſed pro iis, quos dediſti mihi.* Certe ſi Chriſtus oraſſet pro ſalute etiam reproborum, omnes ſalvarentur; cum oratio Chriſti ſemper effectum obtinuerit; Joan. 11. *ego autem ſciebam, quia ſemper me audis.* Denique Chriſtus certus erat de decreto Dei immutabili damnandi reprobos: non igitur potuit ſincere mortem ſuam offerre pro illorum ſalute.

Ad primum dicendum, textus illos, qui dicunt Chriſtum pro multis eſſe mortuum, ſumi debere de hominum multitudine univerſa, ut habet Auguſt. qui ait, *non repugnare omnibus multos; quia ipſi omnes non pauci, ſed multi ſunt.* II. dicit Chriſtus ſe animam ponere pro ovibus ſuis, ſed ſine excluſione aliorum, quos ſufficienter redemit per ſuam mortem, quam omnibus prodeſſe intendit, *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* 1. Tim. 2. Ceterum pro ſolis electis mortuus eſt, quoad efficacem meritorum Chriſti applicationem, & aſſecutionem vitæ æternæ; non item quantum ad ſufficientem mortis Chriſti oblationem. III. Etſi demus, Chriſtum efficaci ea poſt cœnam oratione interceſiſſe pro ſolis ele-

ctis ; minime tamen ſequitur, eum nunquam pro reprobis etiam interceſſorem egiſſe. Oravit *Luc.* 13. pro crucifixoribus, hominibus multis infidelibus, & magna certe parte reprobis. Et *Joan.* 17. orat pro omnibus in ſe credituris, quos inter multi futuri reprobi fuerant. Oratio autem *abſoluta*, qua Chriſtus pro electis rogavit, ſuum obtinuit effectum, non item oratio conditionata, qua rogavit, ut ipſis etiam reprobis vitam æternam daret, ſi velint uti mediis ſalutis ſufficientibus, quæ in ipſos virtute paſſionis ſuæ defluxerunt. IV. Potuit Chriſtus mortem ſuam offerre pro ſalute reproborum ante, etſi non poſt prævisionem demeritorum : Cum enim reprobatio hominum conſequatur orationem Chriſti, quia gratiam inefficacem ex illa oratione dandam, potuit Chriſtus orare pro reproborum ſalute eam inefficaciter intendendo, atque ſic procurare illis auxilia inefficacia, quibus, ſi vellent, ſalvari poſſent, & poſtea primo videre eorum reprobationem. Sicut potuit in ſigno priore petere inefficaciter, ut calix tranſeat, licet in ſigno ſubſequo videret, calicem a Patre non eſſe transferendum.

Ex generali iſta procurandæ ſalutis voluntate minime excludendi ſunt parvuli ſine baptiſmo decedentes, peccatores obdurati, & infideles omni religionis noſtræ notitia deſtituti. Inprimis enim parvulis præparat DEUS ad obtinendum baptiſmum ſufficientia auxilia in majoribus, & progenitoribus, quibus ſi illi uterentur, non moreretur parvulus ante ſuſceptum baptiſmum, ut id inſinuat D. Proſper *de vocat gent. c.* 24. Potuit nempe DEus unius ex progenitoribus merito alligare curſum rerum ita, ut parvulus obtenturus ſit ſalutem, ſi quidem ipſe hoc meritum poſuerit, & non obtenturus, ſi excitantem ad actum ſalutarem gratiam repudiarit e. g. interne ad orandum pro poſteris ſuis ſtimulatus non oraverit. Sic enim DE-

us

us, uti & hujus progenitoris meritum, ita & pendentem inde parvuli ſalutem poteſt ſincere intendere. Peccatores autem obdurati, etſi non ſemper, & omni momento habeant auxilia ſufficientia ad pœnitendum; habent tamen ea pro cauſarum variarum exigentia, & ſi non ſemper habent proxime ſufficientia ad obſervandam legem, vel obtemperandum; habent tamen remote ſufficientia, & ſæpe proxime ſufficientia ad orandum. Hinc quando D. Auguſtinus ait, Pharaonem excæcatum non amplius obtemperare potuiſſe, neque punitum eſſe; quia tunc non obtemperavit, ſed quia olim non obtemperavit, quando potuit; negat tantum, eum tunc habuiſſe auxilium proxime ſufficiens (utpote qui jam deſertus a Deo, & furore correptus erat, non advertens ad obligationem huic præcepto obediendi) non ait tamen D. Doctor, eum non habuiſſe auxilia remote ſufficientia, internos nempe ſtimulos ad implorandam Dei opem, & miſericordiam. Idem dicendum de infidelibus, qui habent auxilia remote ſufficientia, quibus ſi bene uterentur, obtinerent auxilium proxime ſufficiens, cujus adjutorio ad fidem, & ſalutem pertingere poſſint. Verum de hoc argumento fuſius in Tract. de gratia.

ASSERTIO II.

Cauſa reprobationis nec eſt ſolum Dei beneplacitum in ſenſu Calvini; nec peccatum originale in ſenſu Janſenii: ſed unica reprobationis adultorum baptiſatorum cauſa, ſunt actualia eorum peccata.

LIII. Blaſphema Calvini doctrina, quæ ſtatuit ſolam Dei voluntatem eſſe cauſam reprobationis, partim refutatur ex iis, quæ paulo ante de generali voluntate Dei ſal-

vandi omnes diximus; partim ex divinis literis, quibus docemur, DEUM non velle peccata, ac proinde non decreviſſe ab æterno, ut peccata fierent. Sap. 1. *DEUS mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Ezech. 18. *nunquid voluntatis meæ eſt mors impii? dicit Dominus* Oſeæ 13. *perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* 2. Pet. 3. *DEUS neminem vult perire.* Certe qui hanc Calvini doctrinam ſequuntur, DEUM auctorem peccati faciunt, quamvis id ipſi, ne invidiam tam horribilis blaſphemiæ ſubeant, nec palam affirmare audeant, & non raro diſertis verbis inficientur. Calvinus l. 1. Inſt. c. 18. §. 4. ſic loquitur: *homo juſto DEI impulſu agit, quod ſibi non licet.* Et c. 17. §. 11. ait, impios a DEO cogi quaſi freno, ut maleficia concipiant, & moliantur. At qui impellit, & cogit alium ad opus quodcunque faciendum, operis auctor primarius eſt, & dicitur apud omnes gentes, neque ſinit hoc lumen naturale ullo modo negari: igitur DEUS ex ſententia Calvini auctor primarius eſt eorum peccatorum, quæ ab hominibus perpetrantur.

Quod contra Janſenianos aſſertum eſt, non intelligitur de infantibus ſine baptiſmo defunctis (quos certum eſt reprobari ob ſolum peccatum originale) ſed de adultis baptiſatis, quos ob illud peccatum a gloria excludi putant. Probatur autem contrarium argumento, quod Bellarminus l. de grat. & lib. arb. inſolubile dicit: Peccatum originale in hominibus baptiſatis per gratiam baptiſmi eſt remiſſum, ut definivit Conc. Trident. Seſſ. 5. Can. 5. his verbis: *ſi quis per J. C. gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, anathema ſit.* Quam definitionem confirmat ex Ap. Rom. 8. dicente: *nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*, id eſt ut habet Trident. *qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma*

tiſma in mortem. Quomodo autem peccatum remiſſum cauſa reprobationis eſſe poteſt? Adde, illam voluntatem Dei ſalvandi omnes, etiam ſuppoſito peccato originali, non poſſe conjungi cum voluntate aliquos reprobandi propter illud idem peccatum.

Demum reprobationem factam eſſe poſt abſolutam demeritorum præviſionem, ex ſcripturis, & SS. PP. colligimus. Ezech. 33. dicitur: *nolo mortem peccatoris, ſed magis, ut convertatur, & vivat.* Matth. 18: *non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, ut pereat unus de puſillis iſtis.* Ex PP. audiendi ſunt potiſſimum D. D. Proſper, Fulgentius, & Thomas, quorum primus ad cap. gallorum Reſp. 7. *Gratia DEI,* inquit, *non prius eos deſeruit, quam ab eis desereretur, & quia hoc ipſos voluntaria facturos defectione prævidit, ideo in prædeſtinationis electione eos habuit.* Et Reſp. 2. ad object. Vincent. *Sinceriſſime credendum eſt DEUM velle, ut omnes homines ſalvi fiant ... ex quibus quod multi pereunt, pereuntium eſt meritum, quod multi ſalventur, ſalvantis eſt donum.* Alter ad Monimum C. 23. ita ait: *iniquos, quos præſcivit DEUS hanc vitam in peccato terminaturos, prædeſtinavit ſupplicio interminabili puniendos.* Tertius p. 1. q. 19. a. 9. ad 1. *DEUS antecedenter vult omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter vult quosdam damnari ſecundum exigentiam juſtitiæ ſuæ.* Ex quibus ita arguitur: Deus in hac providentia antecedente demerita voluntate cupit omnes homines ſalvos fieri. At intelligi non poteſt, quomodo antecedenter velit ſalvum, quem nullis adhuc meritis malis moventibus deſtinat ad æterna ſupplicia, aut excludit a regno Dei. Neque dici poteſt, antecedentem Dei voluntatem, qua vult omnes homines ſalvos fieri, antevertiſſe etiam ſcientiam conditionalem, & voluntatem, qua vult aliquos damnare, conſequutam eſſe illam ſcientiam, ſed prævertiſſe etiam ſcientiam viſionis: nam

ſi DEUS ante ſcientiam conditionalem voluiſſet omnes homines ſalvari, non ſatis egiſſet provide, inſcius quippe, relate ad quos hæc ipſius voluntas ſit efficax, & relate ad quos inefficax; quia inſcius adhuc, qui perſeveraturi ſint, aut non perſeveraturi. Adde, DEUM non poſſe proprie dici quorundam mortem velle tantum conſequenter ad peccata, ſi eam velit, antequam poſſint movere peccata, id eſt ante abſolutam eorum prævifionem.

Oppones illud Prov. 16. *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; impium quoque ad diem malum.* Item v. 17. c. 9. Rom. ubi dicitur *DEUS excitaſſe Pharaonem, ut in eo oſtenderet virtutem ſuam.* Rurſus Rom 9. ubi de Jacob, & Eſau dicitur: *cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali . . . non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt . . . Jacob Dilexi, Eſau autem odio habui.* DEUS igitur addicit pœnis æternis ante præviſa demerita. De ultimo hoc loco fuſius alibi eſt dictum: Primus autem ſcripturæ Locus exponi debet de voluntate conſequente demerita, non antecedente. Quod de Pharaone dicitur, intelligendum eſt de collatione auxilii præviſi inefficacis, ſeu permiſſione peccati, qua DEUS virtutis ſuæ oſtenſionem, & magnificentiam intendit. Faciat DEUS optimus, ne in Manus juſtitiæ ejus incurramus, ſed per bona opera certam noſtram Vocationem, & electionem faciamus.

CONTROVERSIA IV.

DE DIVINIS AD EXTRA OPERATIONIBUS SEU DE DEO CREATORE.

DE creatione fides catholica in ſymbolo Nicæno-Conſtantinopolitano continetur ita definita: *credimus in unum*

DE-

DEUM, Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium conditorem. Cum igitur ſymbolum fidei noſtræ creaturas omnes in duas claſſes diſtribuat, inviſibiles, ſeu ſpirituales, & viſibiles; ſeu corporeas, hunc ordinem ſequemur: agemusque I. de Angelis; II. de mundi corporei, ac præſertim hominis opificio. De Angelis multas quæſtiones congeſſerunt Theologi, quæ ad philoſophiam ſpectant, vel ſunt penitus incertæ, vel certe inutiles videntur; nos ſacræ ſcripturæ, & traditionis lumine ducti, ea primario examinanda ſuſcipimus, quæ his duobus momentis oſtendi poſſunt.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA, CREATIONE NATURA, AC PROPRIETATIBUS ANGELORUM.

IN earum rerum genere, quæ ratione, intelligentiaque ſunt præditæ, ſupremum locum DEUS; infimum homines tenent: inter ambos interjecti ſunt creati illi ſpiritus, quos exteri fere *dæmones*, ſive *genios*, noſtri *Angelos* appellarunt. Nomen hoc ab ἀγγέλλω, *nuntio* derivatum nomen officii eſt non naturæ: tunc enim ſunt Angeli, cæleſtes hi ſpiritus (inquit Greg. *Hom.* 34. *in Ev.*) *cum per eos aliqua nuntiantur.* Hinc eſt, quod etiam divini verbi præcones, & ipſe Dominus a Patre miſſus Angelorum nomine ſignificantur. Communiter hoc nomine notatur ſubſtantia ſpiritualis, completa, intelligendi, volendique vi prædita, præſtantior homine, ac ſummo Numine inferior; Qualis utrum detur, inquirendum eſt contra Sadducæos, qui ut in actis 23. Lucas refert, *neque reſurrectionem fore credunt; neque Angelum eſſe, neque ſpiritum:* ſicque πνευματικὴν ὀυσίαν funditus abolebant. Erant autem Sadducæi celebris quædam inter Judæos ſecta, circa Machabæorum tempora originem ha-

habens, quæ etſi divinas ſcripturas admitteret, ea tamen, quæ de Angelis prædicantur, teſtimonia aut de ſpectris a DEO excitatis, aut de divinis quibusdam inſpirationibus, quibus DEUS voluntatem ſuam declarat, expoſuit.

Exiſtentia, & Creatio Angelorum.

I. MIrum omnino eſt, negaſſe Angelos quemquam, qui quinque ſaltem libros Moyſis aſciſci pateretur; quos agnoviſſe ſadducæos, veteres affirmant. Nam in libris iſtis crebra eſt, & manifeſta Angelorum mentio. Sic *Gen.* 29. duo Angeli Sodomam venerunt, everſisque oppidis Lotum inde liberarunt. *Gen.* 16. Angelus Domini Agarem compellat, eique reditum perſuadet ad herilem domum. Abramus famulum ſuum in Meſopotamiam mittens, *Dominus DEUS cæli* &c. *Mittet*, inquit, *Angelum ſuum coram te. Gen.* 24. Et ejusmodi alia quam plurima. In ceteris ſcripturæ libris tam Hiſtoricis, quam propheticis longe etiam frequentiora ſunt teſtimonia, quæ ſupervacaneum ſit adſcribere. In novo denique teſtamento de iisdem clariſſima ſit mentio, ut nemo, qui Chriſtianam teneat fidem, eſſe Angelos dubitare poſſit. Hinc Auguſtinus in Pſ. 102. ait: *Angelos novimus ex fide, & multis apparuiſſe ſcriptum. Legimus, & tenemus, nec inde dubitare fas nobis eſt.* Concilium denique Lateranenſe C. *firmiter* creaturam ſpiritualem, & Angelicam ab univerſorum conditore productam apertiſſime definivit.

II. Angelos itaque a DEO creatos fuiſſe, Chriſtiana religio profitetur. Sed de tempore, in ſacris libris vel obſcura vel nulla prorſus eſt mentio. Nam etſi veteres aliqui procreationis Angelorum meminiſſe Moyſem putarunt (vel ſub *cæli* nomine, ut Origenes, & Beda, vel *lucis*, quod Augu-

ſtinus

ſtinus non improbat) melius tamen alii teſte Petavio fatentur, eam a Moyſe prætermiſſam: idque duplici de cauſa. Primo quia (ut ait Cyrillus l. 3. contra Julianum) non debuit Moyſes ea ſcriptis committere, quæ ſub aſpectum non cadunt (ut etiam Chryſoſtomus Hom. 2. in gen. obſervat) deinde quia non omnium rerum, ſed adſpectabilium duntaxat procreationem ſcribere inſtituit, ut Baſilius *l. de ſp. S. c.* 16. aſſerit. Etenim narrationem ſuam ita temperavit, ut ſe ad popularem intelligentiam demittens, abſtruſiora, & ab ſenſu communi ſecreta attingere nollet, atque adeo ſolius mundi corporei productionem exponens, de Angelorum ortu tacuerit omnino. Quem tamen ignorari a nobis neque Moyſis, neque alii ſcripturæ libri patiuntur (ut Cyrillus ait) cum paſſim ſervi eſſe, ac miniſtri Dei dicantur.

III. Verum quando illi producti fuerint, utrum ante aſpectabile mundi opificium (quod initio geneſeos traditur) an cælo ſint poſteriores? perantiqua eſt, ac celebris quæſtio, in qua duæ ſunt veterum opiniones. Nam alii ante cælos, corporaque omnia conditos volunt eſſe Angelos; alii cum, & in cælo ipſo. Priorem ſententiam amplexi ſunt maxime græci, & qui græcos ſequi ſolent Latini. Unius Ambroſii verba refero: *Angeli, Dominationes, & Poteſtates, etſi aliquando cœperunt, erant tamen jam, quando hic mundus eſt factus.* Alteram opinionem ſequuti ſunt pauci e græcis, & plures e latinis Patribus. Auguſtinus in libro unico, & imperfecto de Geneſi dubius videtur, an ante corpora omnia extiterint Angeli. Sed *l.* 22. contra Fauſtum, *C.* 10, & 11. *de Geneſi ad literam c.* 8. primo die factos illos putat; uti & *l.* 9. *de civ. DEI C.* 19. Idem tamen *C.* 32. rem in dubio relinquit, & cuique poteſtatem facit, quod velit, ſequendi; modo creatos a Deo conſtet Angelos. Neutri parti vel certam eſſe auctoritatem, vel rationem oſtendemus breviſſime.

IV. Solet a Theologis nonnullis adferri decretum concilii Lateranenſis, quo dicitur *DEUS creator omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium: qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam.* Poſt hujus concilii ſanctionem rem certam, imo ad fidem pertinere putant aliqui; ut qui priſcam illam de Angelis ante mundum creatis ſententiam tueri jam audeat, pro hæretico ſit habendus. At falſo, & temere ita judicant. Nam D. Thomas in Opuſculo, quo decretalem illam expoſuit, cenſet ita decreviſſe Synodum adverſus Origenis errorem, qui ſpiritales creaturas ſolas, ac per ſe ab initio conditas aſſerebat; corporeas vero ex accidenti, non autem ex primaria inſtitutione, ut eo velut carcere ſpirituum delicta plecteret. Contra quos Innocentius ita ſanxit; utramque *ſimul*, hoc eſt *æqualiter* pari conſilio & primario conſtitutam a DEO, idque *ab initio temporis*, hoc eſt non ex omni æternitate: tempus enim non raro ſumitur pro omni duratione creata, quæ divinæ æternitati ex oppoſito reſpondet.

Rurſus ſynodorum Patres in definitionibus ad fidem pertinentibus duas regulas obſervare ſolent, ſcripturam, & traditionem. At ex traditione Angelos ante mundum non fuiſſe, nemo poteſt evincere: contrarium enim ſentiunt Greg. Nazianz. Damaſcenus, Maximus, Nicætas, aliique plurimi, quorum teſtimonia profert Petavius l. 1. de Angelis C. 15. Neque ſoli græci hæc tradiderunt; verum etiam ex latinis Ambroſius, Iſidorus Hiſpalenſis, Hieronymus, & Beda. Itaque traditio non eſt hac in re penitus manifeſta. Textus autem ſcripturæ, qui ab adverſa parte adferri ſolent, nihil plane ad rem faciunt. Verba gen. *In principio creavit DEUS cælum & terram*, accipi poſſunt de principio durationis rerum

cor-

corporalium, quarum narrationem ex dictis Moyſes inſtituit, ita ut ſenſus ſit nullam corpoream creaturam ante cælum terramque extitiſſe. Neque opponi poteſt locus ille Eccleſiaſtici: *qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* Nam Eccleſiaſticus non de creaturis ſpiritualibus, ſed de illis ſolum loquitur, quarum Moyſes in Geneſi meminit. Propoſitum enim illi eſt, homines imbecillitatis ſuæ admonere, ut ſe divinæ opis egere ſciant, quæ ſuprema pariter & infima complectitur, quibus ex æquo Deus proſpicit, quoniam qui vivit in æternum, *κοινῇ*, id eſt *ex æquo* & *communiter* omnia condidit. Similis locus eſt in libro ſapientiæ: *quoniam puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura illi eſt de omnibus.* Alia duo ſcripturæ loca ſunt, quibus oſtendi putant, Angelos in cælo peccaſſe, indeque præcipites eſſe ejectos. Alter Luc. X. ubi Chriſtus *videbam* inquit, *ſatanam, quaſi fulgur, de cælo cadentem.* Alter Apoc. XII., in quo Michaelis in cælo cum diabolo conflictus, & hujus e cælo profligatio deſcribitur. Sed neuter ſatis firmum argumentum ſuppeditat. Nam plerique de primo illo dæmonum lapſu ſermonem eſſe negant: ſed poſteriorem quidem ad extrema mundi tempora pertinere; priorem vero ad illud ipſum, quo vivente Chriſto ex aere præcipites interdum agebantur, aut ex obſeſſis etiam corporibus, ut ita ſenſus ſit iſte: *videbam ſatanam cadentem, ſicut fulgur e cælo cadere ſolet.* Ut adeo nulla ratione oſtendi poſſit, Angelos ante mundum conditos non fuiſſe, prout cenſuerunt Velloſillus (in advert. ad Tom. 9. Hieron. q. 33.) & nonnulli poſt Ferrarienſem ſcholaſtici, quos erudite refellit Vaſquezius diſp. 224. Et Juenin. diſſert. 1. de Angelis q. 3.

Numerus, & Hierarchia Angelorum.

V. Conſtat ex ſcripturis, ingentem multitudinem eſſe Angelorum. Danielis enim 7. dicitur: *millia millium mi-*

niſtrabant ei, *& decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Ap. 5. *& erat numerus eorum millia millium.* Neque obeſt, quod Raphael Tobiæ 12. ait: *ego ſum Raphael Angelus*, *unus ex ſeptem*, *qui adſtant ante thronum.* Nam ſeptem ſunt velut principes ceterorum, & ſublimiore gradu throno divinitatis proximi, quos commemorat etiam Joannes in Ap. *qui ſunt* 7. *ſpiritus DEI.* Ne autem quis credat, hoc numero ſpiritales ſubſtantias finiri, addit: *& vidi & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni.* Quæri poteſt, utrum Angelorum numerus univerſorum hominum ſummam excedat. Affirmantem opinionem tenet D. Thomas q. 50. a 3. nixus auctoritate S. Dionyſii: neganti favet S. Greg. Hom. 34. in Ev. Auguſtinus l. 22. de civ. DEI c. 1. & Enchir. c. 29. Res hæc penituseſt incerta, de qua tum ſcriptura, tum traditio, ſine quibus id ſciri non poteſt, tacent.

Sanctorum Angelorum exercitum appellant græca voce Ἱεραρχίαν id eſt ſacrum principatum, cujus novem ordines recenſet poſt Dionyſium, vel auctorem *libr. de Div. nom. & cæleſti hierarch.* Gregorius Papa Hom. 34. his verbis: *novem Angelorum ordines diximus*, *quia videlicet eſſe teſtante ſacro eloquio ſcimus Angelos*, *Archangelos*, *Virtutes*, *Poteſtates*, *Principatus*, *Dominationes*, *Thronos*, *Cherubim*, *atque Seraphim.* 9. hos choros in tres Hierarchias diviſit Dionyſius c. 3. In ſuprema locantur *Seraphim*, id eſt Spiritus charitate ardentes; ut habet Bern. Serm. 19. in cant. *Cherubim*, in quos DEUS Sapientiæ plenitudinem profudit. *Throni*, in quibus tanquam in ſede divina majeſtas reclinatur, teſte Caſſiano. Spiritus autem ad hanc Hierarchiam pertinentes dicuntur eſſe, quibus DEUS ſua conſilia pandit, & qui DEO ſemper aſſiſtunt, neque ad exercenda erga homines miniſteria mittuntur. Ad alteram Hierarchiam ſpectant Dominationes, Virtutes, & Po-

teſta-

teſtates. Atque *Dominationes* Gregorius nominari exiſtimat, quod eis ad obediendum cetera ſint ſubjecta. *Virtutum* appellatio per Dionyſium eſt Angelorum illorum, per quos ſigna & miracula frequentius patrantur. *Poteſtates* vero ſunt Angeli, qui inſurgentes contra homines malos ſpiritus arcent. In tertia hierarchia ſunt *Principatus*, quibus regnorum cura commiſſa eſt, ut docent Bernardus, & Theodoretus. Sequuntur *Archangeli*, id eſt, inter nuntios digniores, qui ſumma annuntiant: atque ultimum locum tenent *Angeli*, qui ad cuſtodiendos homines mittuntur.

VI. Hæc etſi probabilia eſſe fatemur, iis tamen inconcuſſam, plenamque fidem habere non poſſumus: ſed tamen novem illos ordines agnoſcimus, ſcripturis, ac PP. teſtibus. Nam Angelos paſſim legimus; Archangelos etiam in 1. *ad Theſſal. c.* 4. Et in *Epiſt. Judæ c.* 9. Seraphim apud *Eſaiam c.* 6. Cherubim *Ezech. X.* Ceteras cœleſtium ſpirituum claſſes in *Ep. ad Epheſios c.* 1. Et ad *Coloſſ.* 1. Quarum & meminerunt Eccleſiæ PP. Ignatius in *Epiſtola ad Trall.* Irenæus *l.* 2. *c.* 54. Auguſtinus *contra Priſcill. c.* 11. Dionyſius, Gregorius, & Bernardus ſupra citati.

Igitur qui Angelicorum ordinum numerum repudiat, præceps, & temerarius eſt. Verum an Seraphimi ſublimiorem, & Angeli inferiorem locum teneant, utrum in qualibet Hierarchia recenſito ordine ſinguli ſint diſpoſiti, non omnibus æque probatur. Primo enim ex ſcripturis talem eſſe Angelorum diſpoſitionem non conſtat: Imo ex his colligitur Cherubim miſſum *Gen.* 3. *ad cuſtodiendam viam ligni vitæ*; & Seraphim *Iſ.* 6. volavit ad prophetam: ideoque aut Cherubim, aut Seraphim ad ſupremam Hierarchiam non pertinent, aut Angelos illius Hierarchiæ nunquam mitti eſt falſum. Tobiæ etiam 12.

 ait

ait Raphael Angelus: *ego ſum unus ex ſeptem, qui adſtamus ante Dominum.* Ex quibus conſtat Raphaelem Archangelum eſſe unum ex ſpiritibus aſſiſtentibus, de quibus legitur *c.* 1. & 5. *Apocalypſ.* Sed & Michaelem non ad ultimam, ſed primam Hierarchiam pertinere colligitur ex capite X. Danielis: & *ecce Michael unus de principibus primis*, id eſt, *ſupremis*, ut legunt Hebræi. Deinde ad illam diſtributionem adſtruendam traditio PP. movet minime. Dionyſium enim, ex quo alii mutuati ſunt illam Hierarchiarum diſpoſitionem, eſſe illum Areopagitam, non juniorem aliquem ſcriptorem quinti, aut ſexti ſeculi, non facile omnes fatebuntur. Irenæus autem l. 11. c. 54. diviſionem Angelorum habet aliam. Denique Auguſtinus l. ad Oroſium c. XI. ita ait: *eſſe Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates in cœleſtibus apparatibus firmiſſime credo, & differre inter ſe aliquid indubitata fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas eſſe doctorem, quænam iſta ſint, & quid inter ſe differant, neſcio. Nec ea ſane ignorantia periclitari me puto.*

Perfectio, & Natura Angelorum.

VII. NAtura Angelica excellentior eſt humana. Nam id primo ex ſcripturis colligimus: *minuiſti eum paulo minus*, inquit Pſaltes 8., *ab Angelis;* unde Apoſtolus Heb. 2. concludit, filium DEI infra Angelos ſe dejeciſſe, cum humanam naturam aſſumpſit. C. quoque 41. Job. de ſatana ſub figura Behemoth dicitur: *non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.* Hinc D. Auguſtinus l. 12. de civ. DEI c. 5. *Angelica natura*, inquit, *omnia cetera, quæ DEUS condidit, naturæ dignitate præcedit.* Tract. autem 110. in Joan. cur DEUS Angelos non repararit poſt lapſum, rationem hanc affert: *quanto erat natura ſublimior, tanto damnabilior judicata eſt culpa.*

Anti-

Antiquiſſimi quique theologi Angelos eſſe corporatos, & æthereis, ſeu ſubtilibus corporibus conſtare arbitrati ſunt; ſic Origines l. 1. de Princ. c. 6. *Solius DEI proprium eſſe* putat, *ut ſine materiali ſubſtantia, & abſque ulla corporeæ adjectionis ſocietate intelligatur ſubſiſtere.* Et ſub finem l. 4. negat rationalem naturam abſque ullo corpore vitam degere poſſe. In eadem opinione fuere Cyrillus Alex. & ex latinis PP. Tertullianus, Hilarius, Ambroſius, & quotquot cum Juſtino illud Gen. 6. *videntes filii DEI* (juxta 70 interpretes, Angeli DEI) *filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores*, intellexerunt de Angelis, qui genuerunt gigantes: quo ſenſu S. Cyprianus l. de habitu Virg. ait: *ad terrena contagia a cæleſti vigore receſſerunt.* Auguſtinus pluribus locis corporeos eſſe Angelos affirmat; ut *l. 2. de Trin. c.* 7. in *Pſ.* 85. *Epiſt.* 115. *Ad Nebridium. L.* 21. *de civ. DEI c.* 10. *Et* in 1. *quoque retract. c.* 26. Verum alii cum Noriſio (cap. 6. Vindiciarum §. 1.) cenſent D. Doctorem hac in re dubium fuiſſe, aut priorem ſuam de Angelorum corpore ſententiam depoſuiſſe. Sed fuere permulti tum ex græcis, tum ex latinis PP. qui Angelos meros eſſe ſpiritus corporis expertes ſunt arbitrati. Inter hos fuere Gregorius Nyſſænus *l.* 12. contra Eunomium, Epiphanius *Hæreſ.* 26. Chryſoſtomus *l.* 1. *ad ſtagirium.* Theodoretus q. 20. *in Geneſ.* Gregorius Magnus *l.* 4. *mor. c.* 9. Notandum autem eſt ex Petavio, ipſam *corporei*, & *incorporei* vim, ac ſignificationem varie a variis PP. fuiſſe uſurpatam, ut adeo multi ex priore ſententia eximi poſſint. Alii hoc dici corporeum putarunt, quod definito loco continetur, & in eo movetur: Alii rurſus corporeum id appellarunt, quod etſi ſpiritale proprie ſit, non tamen omnino ſimplex eſt, ſed qualitatibus extrinſecus adhæreſcentibus afficitur. Hoc modo ſolum eſſe DEUM incorporeum affirmant; cetera, etſi materia carent, & nobiſcum comparata incorpo-

rea

rea ſunt, tamen ſi cum DEO conferantur, eſſe corporea. Sunt tamen nonnulli, qui de materia Angelicorum corporum diſerte pronuntiant; quos proinde propria illis, veraque corpora tribuiſſe cenſemus.

Contra opinionem iſtorum PP. Spiritualem Angelorum naturam oſtendimus ſacrarum literarum auctoritate. Etenim Angelos, ac dæmones ſcripturæ ſæpe vocant ſpiritus, ac virtutes, ut Pſ. 103. *qui facit Angelos ſuos ſpiritus;* & 102. *benedicite Domino omnes virtutes ejus.* Ad Heb. 1. *nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus?* At nomen *ſpiritus* in ſacris literis notat incorpoream ſubſtantiam, præſertim ubi abſolute de rebus ſubſiſtentibus enunciatur; ut Joan. 4. *Spiritus eſt DEUS.* Nam quæ corporea eſt ſubſtantia, licet ſpiritum habeat inhabitantem, non appellatur ſpiritus, ſed habens ſpiritum: dicitur quippe ſpiritus hominis, non ſpiritus homo. Atque hæc tenent de virtutum, ac poteſtatum appellatione; quod enim corporeum eſt, non Virtus, ac Poteſtas abſolute dicendum erit, ſed virtute, ac poteſtate donatum.

Angelorum proprietates.

VIII. QUoniam certum eſt Angelicas naturas intellectu, & voluntate præditas, illaſque conditas eſſe cum perfecta rerum multarum naturalium notitia, inprimis inquiri debet, quænam res illi cognitioni ſint ſubjectæ. Tria in quæſtionem veniunt: nam aut de liberis, occultisque hominum cogitationibus agitur; aut de futurorum cognitione, aut de myſteriis illis, quæ naturæ vim, ac captum ſuperant. Quod primum attinet, illud ſacræ nos docent literæ, liberas hominum cogitationes (quas arcanas, apud ſe continere, nec ullis indiciis prodere volunt) ab ſolo conditore

Deo nec ab ullo altero naturaliter poſſe cognoſci. L. 3. Reg. dicitur: *tu ſolus noſti cor omnium filiorum hominum.* Jerem. 17. *Pravum eſt & inſcrutabile cor hominis, quis cognoſcet illud? Ego dominus ſcrutans cor, & probans renes.* Quæ verba ſolius Dei proprium eſſe notant, hominum cor, id eſt interiores, ac ſecretas mentis cogitationes, voluntatisque motus intueri. Hoc idem nos docent PP. antiqui, quorum nonnulli ex eo probant, Chriſtum verum Deum extitiſſe, quod ſecretas mentium cogitationes ſæpius in Evangelio cognoviſſe, ac pateſeciſſe monſtretur. Ex aliis PP. unicum habe Chryſoſtomum, qui Hom. 4. in Matth. ad illa verba: *hæc eo cogitante, Angelus in ſomnis apparuit Joſeph*, ita loquitur: *hoc ſignum fuiſſe certiſſimum, illum a DEO miſſum fuiſſe Angelum, quippe cum ſolius DEI ſit, arcana cordium noſſe.*

Eodem modo oſtenditur, Angelos ex conditione naturæ ſuæ non cognoſcere futura libera, & contingentia; eorum enim cognitionem divinitatis eſſe propriam ſacræ literæ loquuntur. *Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum* (ita Dominus apud Iſaiam 41. æmulos divinitatis ſuæ ad hanc conditionem provocat) *& ſciemus, quia dii eſtis vos.* Unde Tertull. Apol. 20: *idoneum, opinor, teſtimonium Divinitatis, veritas divinationis.*

Tertium genus cognitarum ab Angelis rerum, quod inquiſitionem meretur, communi vocabulo *myſteriorum gratiæ* S. Thomas complectitur. Quo illa potiſſimum pertinent, quæ naturæ conditionem penitus excedunt: cujuſmodi eſt SS. Trinitatis arcanum, nec non hominis a Deo ſuſcepta natura, quam Incarnationem appellant. De quibus ſic univerſe ſentiendum eſt, neque naturæ vi, ac facultate Angelos poſſe iſta cognoſcere, ſed ſolo ſignificante Deo; ita ut de his tantum

intelligendo adepti ſint, quantum illis demonſtravit DEUS: qui nec omnia, nec eodem tempore ſcire iſta conceſſit. Quod de iis intelligi volo, non quæ DEO inſunt, & cum ejus natura neceſſario conjuncta ſunt (hæc enim ſtatim, ac DEUM videre cæperunt, Angeli clare contuiti ſunt) ſed de iis, quæ extra ſe DEUS producit. Ad hæc enim inprimis referendum eſt illud Apoſtoli 1. Corinth. 2. *quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ DEI ſunt, nemo cognovit niſi ſpiritus DEI.* Quare quæ ex ſola, & libera DEI voluntate pendent, nullus, niſi illo tribuente, cognoſcit. Addit igitur Apoſtolus: *nos autem non ſpiritum mundi accepimus; ſed ſpiritum, qui ex DEO eſt, ut ſciamus, quæ a DEO donata ſunt nobis.* Ubi *ſpiritum mundi* recte interpretari videtur Theodoretus de creato ſpiritu. Hoc enim Apoſtolo propoſitum eſt, Chriſtianæ fidei myſteria nullam creatarum rerum intelligentiam potuiſſe conſequi, ſed ſolo DEI revelante ſpiritu fuiſſe cognita: proinde *ſpiritum mundi ſpiritui DEI* opponit. Quo faciunt verba Ambroſii in comment. ad eundem locum: *ſenſum DEI nemo novit, niſi qui de DEO eſt, ſpiritus DEI. Inferiora enim non poſſunt ſuperiorum ſcire conſilium, neque creatura conditoris ſui dignoſcere voluntatem.* Ceterum ipſum myſterium Incarnationis Angelos minime latuiſſe, Apoſtolus indicat ad Heb. 1. ita ſcribens: *& cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli DEI.* Eo igitur momento, quo in carnis conſortium inductus eſt filius, hunc Pater Angelis ſuis propoſuit adorandum. Deinde non ſolum Gabriel naſciturum illum DEI, & Virginis filium nuntiavit, ſed & alii natum eundem poſtea feſtis acclamationibus celebrarunt, ejusque ortum paſtoribus indicarunt. Denique multo ante, quam carnem aſſumeret, Angelis cognitum eſſe, perſuadet iſta ratio, quod cum prophetæ Chriſtum DEUM, hominemque venturum eſſe prædixe-

dixe-

dixerint, non ſit credibile hoc Angelos latuiſſe, qui cœleſtium vaticinationum adminiſtri fere, atque interpretes fuerant. Utrum autem ſub initium creationis id illis myſterium revelatum fuerit, prout nonnulli putant, nulla id ſcripturæ, vel antiquorum PP. auctoritate conſtat. Neque vero probabile Petavio videtur, tanto ante patefactum hoc Angelis myſterium, neque ſine graviſſimo argumento, quod nullum omnino eſt, vaticinari de re tanta fas eſſe arbitratur. Quid quod Rupertus in ſecundo de victoria verbi DEI, myſterium hoc Angelis abſconditum fuiſſe ex Apoſtolo 1. Timoth. 3. demonſtrat.

IX. Pollent Angelicæ ſubſtantiæ non intelligendi modo, ſed & volendi facultate, atque ſi in ſtatu viæ, hoc eſt ante obtentam beatitudinem, ſpectentur, liberum habent ad bonum vel malum voluntatis arbitrium. Oſtendit id caſus & ruina reproborum ſpirituum: nam *ſi Angeli naturaliter incommutabiles fierent* (ait Fulgentius l. de fide c. 23.) *nunquam de eorum conſortio diabolus, & ejus Angeli cecidiſſent.* In hoc tamen Theologorum ſententiæ diſcrepant. Etenim D. Thomas, & qui eum ſequuntur, voluntatem Angeli ante electionem ad utrumvis eſſe liberam exiſtimant; poſt electionem vero immobiliter adhærere ad id, quod amplexa fuerit, atque hanc eſſe cauſam, cur dæmones in ſuſcepta pravitate mentem obfirment, nec in melius vertantur. At vero hæc minus Theologis pleriſque probantur, eo quod antiqui PP. fere conſentiant, Angelos ſuapte natura ab iis, quæ ſemel elegerunt, ad contraria converti poſſe; ut adeo bonorum conſtantiam non tribuant eorum naturæ, ſed divinæ gratiæ; & dæmonum in nequitia obfirmatam voluntatem ex eo oriri putent, quod illos divina gratia deſtituit, non quod ita ferat ipſorum natura. S. Auguſtinus de corrept. & gratia C. X. præmium permanſionis Angelorum fuiſſe ait, *ut cadere ulterius omnino*

non poſſent, & hoc de ſe certiſſime noſſent. Quod & repetit de civ. DEI l. 22. c. 1. Fulgentius loco ſupra citato ita habet: *hoc ipſum, quod ab illo ſtatu beatitudinis, in quo ſunt, mutari in deterius nullatenus poſſunt, non eſt eis naturaliter inſitum, ſed poſtquam creati ſunt, gratiæ divinæ largitate collatum.* Nazianzenus etiam Orat. 38. ait Angelos eſſe ad malum immobiles, *utpote DEUM circumſtantes, ac primario DEI fulgore collucentes.* Idem habent Proſper l. 1. de vit. contempl. c. 3. Eucherius l. 1. in Gen. Iſidorus l. 1. de ſummo bono c. 12. Aliique a Petavio relati L. 1. de Angelis c. XI. Dæmonum autem in malo immobilitas partim oritur ob ſubtractum gratiæ auxilium, nam teſte Fulgentio *de Angelis hoc DEUS diſpoſuit, & implevit, ut ſi quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eam divino munere repararet.* Partim quia ex acerbiſſima pæna, & conſideratione amiſſæ beatitudinis oritur deſperatio, & inſanabilis animi ægritudo abſque ulla rerum meliorum expectatione.

CAPUT II.

DE GRATIA, LAPSU, AC PÆNA ANGELORUM.

TRia hoc loco occurrunt explicanda: I. quo in ſtatu conditi ſint Angeli. II. quodnam fuerit reproborum peccatum. III. quæ pæna illorum lapſum ſit conſecuta. Sit igitur

§. I.

Quo in ſtatu Creati ſunt Angeli?

X. DE naturali Angelorum ſtatu egimus hactenus: modo de altero natura ſubliimiore dicetur. Ac primo quidem

dem quæritur, utrum a prima ſui origine gratiam, & ſanctitatem acceperint, an vero in puro naturæ ſtatu ſint procreati? deinde an ab eodem momento conditionis ſuæ beati fuerint?

Quod primum attinet, Hugo Victorinus (in ſumm. ſent. Tract. 2. c. 2.) Rupertus l. 1. de operibus Trin. c. 15. Et Petrus Lombardus exiſtimarunt, mentes Angelicas creatas eſſe ſolis naturalibus ornamentis præditas ſine gratia & juſtitia. Alii ſolos Angelos bonos in gratia ſanctificante fuiſſe conditos: dæmones autem nunquam divina gratia eſſe præditos opinantur. Verum ceteri Theologi cum Gregorio Nazianzeno, Theodoreto, Auguſtino &c. omnes, vel ipſos dæmones, initio originis ſuæ gratia, & virtute præditos fuiſſe cenſent. Quod ad alterum ſpectat, quidam Angelos ab origine ſua beatos fuiſſe arbitrari videntur. Quod & Gennadius indicat *l. de eccleſ. dogm. c.* 62. Et Fulgentius *l. de Fide c.* 3. Et Gelaſius Papa in Epiſt. adverſus hæreſin Pelag. Et Gregorius Papa Hom. 7. in Ezechiel. Ubi ait, *Angelos bonos, cadentibus aliis in ſua beatitudine perſtitiſſe, atque hoc accepiſſe in munere, ut jam cadere omnino non poſſent.* Quaſi jam initio eadem fruiti ſint felicitate, quam nunc obtinent, ac ſola eis perpetuitas acceſſerit poſt lapſum aliorum.

ASSERTIO.

Angeli tam reprobi, quam prædeſtinati in ortu ſuo gratia quidem ſunt exornati; non tamen beatitudine donati.

XI. ETſi primum aſſertionis caput Scriptura nunquam aperte exprimat, ex ea tamen prout per PP. explicata manifeſte eruitur. Ezech. 28. ſub figura Regis Tyriorum de Lucifero dicitur: *tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in deliciis paradiſi DEI fuiſti .... in medio*

 lapi-

lapidum ignitorum ambulaſti, perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa eſt inquitas in te. Hunc locum de Lucifero interpretantur Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Gregorius. Hic enim l. 22. Moral. c. 18. ita habet: *quid doni non habuit, ſi ſignaculum DEI ſimilitudinis fuit?* Pro omnibus ſit Auguſtinus, qui l. II. de civ. DEI c. 9. Angelos primo die creatos lucis nomine ſignificari aſſerit: *lumen quippe verum,* inquit, *quod illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem, hoc illuminat & omnem Angelum mundum, ut ſit lux non in ſe ipſo, ſed in DEO: a qua ſi avertitur Angelus, fit immundus, ſicut ſunt omnes, qui vocantur immundi ſpiritus, nec jam lux in Domino, ſed in ſe ipſis tenebræ, privati participatione lucis æternæ. Mala enim nulla natura eſt, ſed amiſſio boni mali nomen accepit.* Tum l. 12. ejusdem operis ait: *ſimul ut facti ſunt, ei, a quo facti ſunt, amore, cum quo facti ſunt, adhæſerunt: eoque ſunt iſti ab illorum ſocietate diſcreti, quod hi in eadem voluntate bona manſerunt, illi ab ea deficiendo mutati ſunt.* Hanc porro bonam voluntatem, amoremque DEI ne forte cum Magiſtro ſententiarum naturalem interpretetur aliquis, quæ apud eundem Auguſtinum ſequuntur, legat; ſciet utique de amore, & voluntate illa loqui, *quam niſi operante adjutorio Creatoris habere non poſſent.* Nam ſtatim ita ſubjicit: *& iſtam* (bonam voluntatem) *quis fecerat, niſi ille, qui eos cum bona voluntate, id eſt cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit, ſimul in eis & condens naturam, & largiens gratiam.*

Contra alteram aſſertionis partem aliquot in locis pugnare videtur Auguſtinus. Nam l. X. de Gen. ad lit. c. 14. inquirendum de diabolo proponit, *an aliquo tempore in ſancto cætu fuerit Angelorum, etiam ipſe pariter juſtus, & pariter beatus.* Idem c. 16. repetit ita loquens: *nec fruſtra putari poteſt, ab initio temporis diabolum ſuperbia cecidiſſe, nec fuiſſe ullum antea tempus, quo cum*

Ange-

Angelis ſanctis pacatus vixerit, ac beatus. Ac tota deinceps conſequens illius hæſitatio videtur pro fundamento habere, Angelos ante caſum diaboli plenam habuiſſe felicitatem, quæ nullum poſtea incrementum, niſi ſecuritatis, & ſtabilitatis, acceperit; quippe diu, multumque dubitat, an diabolus eandem cum ſanctis Angelis habuerit aliquando, utrum illi quidem perpetuæ ſuæ felicitatis certam præſcientiam acceperint, diabolus vero cum ſociis ſuis ab ceteris diſcretus fuerit, nec ei ſit tributa: aut *utrum omnes ſancti Angeli, ſi inter illos aliquando pariter beatus cum ſuis Angelis diabolus vixit, nondum habuerint etiam ipſi certam præſcientiam felicitatis ſuæ, ſed eam poſt caſum ejus acceperint.* Ac nihil omnino de perfectiore aliquo genere felicitatis loquitur, ſed tantum de perpetuitate, ejusque certa notitia. De hoc argumento idem D. Doctor multa diſputat l. II. de civit. DEI c. 13.

Verum cenſemus cum Petavio, Auguſtinum non præciſe de ſupremo illo gradu felicitatis eſſe intelligendum, qui in DEI aſpectu ſitus eſt: ſed communi & confuſa notione beatitudinem uſurpaſſe pro vitæ genere læto, ac tranquillo, ac bonis omnibus affluente, ſive cum DEI contuitu jungatur, ſive nondum eo pervenerit. Quippe primis hominibus beatitudinem ſimiliter attribuit, quos conſtat plene beatos minime fuiſſe; etſi, quia doloris omnis expertem in ſumma voluptate, ac bona DEI gratia vitam agebant, beati nominentur. Sic & diabolum initio beatum ob ſolam, quacum eſt conditus, juſtitiam exiſtimare poſſumus. Hanc expoſitionem ex alio ejusdem Auguſtini loco colligimus. Nam l. de grat. & corrept. poſtquam Angelos ſanctos de ſuo ſtatu ſecuros eſſe dixit, ita loquitur: *diabolus vero, & Angeli ejus, etſi beati erant antequam caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant, erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium*

bitrium in veritate ſletiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipſius permanſionis, acciperent: id eſt ut magna per Spiritum ſanctum data abundantia charitatis DEI cadere ulterius non poſſent, & hoc de ſe certiſſime noſſent. Ac paulo poſt primum hominem beatum fuiſſe aſſerit. Quare de generali beatitudine loquitur Auguſtinus, quatenus gratia DEI ſaltem, & juſtitia continetur, adjuncto felici aliquo tranquilloque vitæ ſtatu. Certe de ratione beatitudinis ſupernaturalis eſt ſtabilitas in bono, quam Angeli ſtatim, ut creati ſunt, non obtinuerunt.

§. II.

Lapſus Angelorum.

XII. Ex antiquioribus PP. multi (qui corpora vel Angelis omnibus, vel dæmonibus aſſignant) cenſuerunt, Angelos ob fœdæ impuritatis crimen cælo, Deique conſortio fuiſſe ejectos. In hac opinione fuerunt Juſtinus Martyr, Athenagoras, Tertullianus, Clemens Alex. Cyprianus, Lactantius, Euſebius, Ambroſius, quos fuſe perſequitur Petavius *L. 3. de Angelis C. 2.* Nitebantur præcipue textu ſcripturæ N. 7. relato. Atqui quos 70 interpretes filios DEI, & Angelos nuncupant, eos homines fuiſſe ex Sethi progenie non dubitat Auguſtinus; & Chryſoſtomus eorum opinionem, qui filios DEI Angelos interpretantur, μυθολογίαν, id eſt *fabulam* appellat, & *blaſphemiam*; partim quia nuſquam filii DEI vocati ſunt Angeli: partim quia ſtultum eſt Angelos putare tanto poſt intervallo cecidiſſe; cum ante Adamum lapſos eſſe conſtet juxta illud Sap. c. 2. *invidia diaboli mors intravit in mundum.* Denique quia abſurdum eſt, naturam corporis expertem hujuſmodi illecebris tentari.

Alii

Alii cum Gregorio Niſſeno primo illorum peccato invidentiæ crimen inſcribunt, ajuntque Angelos invidiſſe homini, vel quod eum ad imaginem DEI factum conſpexiſſent, vel quod conjunctionem naturæ humanæ cum Divina olim futuram, ingenti livore, ac zelo exceperint. Verum neutrum Scripturæ, vel antiquorum PP. auctoritate defenditur. Inprimis, ut ſupra dixi, nullum videtur eſſe fundamentum ſufficiens aſſerendi, Angelis viatoribus revelatum eſſe myſterium Incarnationis. Deinde illa de invidia diaboli poſt conditum hominem opinio eo minus placet, quod nimis ſerum illius lapſum facit. Adde invidia priorem videri ſuperbiam: quam primum, ac potiſſimum diaboli peccatum plerique conſtituunt.

XIII. Cenſemus igitur cum communiore PP. ſenſu, Angelorum primum peccatum fuiſſe ſuperbiam.

Inprimis audiendus eſt Auguſtinus *l.* II. *de Gen. ad lit.* C. 14. ita loquens: *nonnulli dicunt ipſum ei* (diabolo) *fuiſſe caſum a ſupernis ſedibus, quod inviderit homini facto ad imaginem DEI. Porro hæc invidia ſequitur ſuperbiam, non præcedit. Non enim cauſa ſuperbiendi eſt invidentia, ſed cauſa invidendi ſuperbia. Cum igitur ſuperbia ſit amor excellentiæ propriæ, invidia vero ſit odium felicitatis alienæ, quid inde naſcatur, ſatis in promptu eſt. Amando enim quiſque excellentiam ſuam vel paribus invidet, quod ei coæquentur, vel inferioribus, ne ſibi coæquentur, vel Superioribus, quod eis non coæquetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quiſque ſuperbus eſt. Merito initium omnis peccati ſuperbiam Scriptura definivit dicens: initium omnis peccati ſuperbia.* Hanc vero ſuperbiam ſic explicat C. 13. *ut ſua poteſtate propter excellentiam delectatus, tumeſceret ſuperbia.* Et C. 23. *factus conti-*

nuo ſe a luce veritatis avertit, ſuperbia tumidus, & propriæ poteſtatis delectatione corruptus. Idem variis in locis D. Doctor confirmat; *ut L.* 12. *de Civ. DEI. L. de Nat. & Grat. C.* 29. *L.* 22. *contra Fauſtum C.* 87. Ejusdem mentis ſunt Chryſoſtomus *Hom.* 22. *in Gen.* Hieron. in *Caput Ezech.* 16. Cyrillus, Theodoretus, Bernardus, uberrime a Petavio relati, quorum plerique diaboli peccatum illo genere ſuperbiæ definiunt, quod æqualis DEO, ac ſimilis eſſe voluerit; quo vulgata illa Prophetarum (Iſaiæ C. 14. Et Ezechielis C. 8. & 20.) oracula pertinere putant.

Quomodo autem tantum ſuperbiæ conceperit, non eſt explicatu facile. Diſputavit hac de re ceteris ſubtilius Quilelmus Pariſienſis, cujus hæc inprimis eſt ratio: peccaſſe ſuperbia diabolum, quod non, ut ſervum decebat, ſubjectus eſſe DEO, ſed ut filius, liber, ac ſui juris eſſe, ac præeſſe omnibus voluerit. Cum enim excellentiam ſuam, ac nativa ornamenta contemplaretur, eorum amore captus, & plus æquo ſibi placens, nulli ſubeſſe penitus, ac rebus omnibus a DEO conditis ſummo, ac nulli obnoxio jure dominari voluit. Vis enim tanta eſt ſuperbiæ, ac φιλαυτίας, ut ſapientiſſimum quemque facile implicet, & ad ſe rapiat. *Incredibilis virtutis* (ait Pariſienſis ille Antiſtes) *ad obtenebrandum intellectum, & ad pervertendum palatum eſt falſa dominatio, & honor illuſtris. Adjuvaberis autem ad hoc lucidius videndum, ſi dementationes adulationum cogitaris, quæ adeo falſa, adeoque incredibilia ſuadent, & credere faciunt homines, quos dementant. Si tanta eſt virtus adulationis ex alieno ore blandiſſime applaudentis . . . cujus virtutis putanda eſt, quæ ex ipſo corde, ſeu intellectu unicuique confingit inopinabilia; cum idem eſt orator, & judex; decipiens, & deceptor.* Quin imo veroſimile arbitratur, diabolum, & Angelos ejus divi-

num

num ſibi honorem voluiſſe tribui, quod a gentibus obtinere magno deinde ſtudio ſunt conati. Similia habent Rupertus 1 *de vict.* C. 8. Anſelmus *L. de lapſu diaboli.* Iſidorus *L. de ſummo bono.* Bonaventura *in breviloquio C. 6.* Hoc modo explicari poteſt, quemadmodum æqualitatem, ac ſimilitudinem cum Deo affectarit ſuperbus ille Apoſtata: Cum enim hæc ſit illa Dei ſimilitudo (ſecundum quam hominem ad Dei imaginem factum in Scriptura dici, Chryſoſtomus, aliique PP. interpretantur) quod ideo procreatus ſit, ut *dominaretur beſtiis terræ, ac piſcibus maris;* ſed ita tamen, ut ſe Deo ſubjectum eſſe libens, volenſque pateretur: hoc ipſum detrectare auſus, eſt ſuperbus ſpiritus, ac ſummum, & *αὐτοκρατὲς* in res omnes imperium voto ſaltem, ac inani deſiderio concupivit. Sed quomodo Angelorum iſte coryphæus, Angelos ceteros in peccatum traxerit, curioſus aliquis inquiret. Dici poteſt cum Petavio, ſingulos noluiſſe ſubjici, ſi potuiſſent, imperio Summæ majeſtatis, præſertim in adminiſtratione rerum conditarum; quam vel mandaverat Deus, ut complures antiquorum aſſerunt, vel ſe mandaturum oſtenderat. Fecit igitur illorum ſuperbia, ut præſenti ſervitute damnata, ſeditionem facerent, & *ἀναρχίαν* appeterent, aut certe tolerabiliorem ſub Tyranni principatu ſibi conditionem fingerent.

Etſi nemo illorum, qui peccarunt, ad ſalutarem pœnitentiam ſit reverſus (ut deduci poteſt ex epiſtola 2. Petri C. 2. *DEUS Angelis peccantibus non pepercit*) vero tamen ſimile nobis eſt, & infinitæ Dei miſericordiæ, quæ eſt ſuper omnia opera ejus, multo magis conſentaneum, ſi dicatur, poſt lapſum conceſſam illis eſſe moram aliquam, intra quam pœnitere potuiſſent. Nam ſi Angeli boni non ſtatim poſt primum meritum æternæ beatitatis præmium ſunt

conſecuti, ſed eorum perſeverantiam in bono expectavit DEUS; cur non cenſeamus, Angelos malos non ſtatim poſt lapſum eſſe derelictos, ſed moram habuiſſe ad reſipiſcendum? præſertim cum DEUS pronior ſit ad miſerandum, quam puniendum. Certe moram aliquam interceſſiſſe poſt lapſum comprobant aliqui auctoritate Joannis, qui 12. *Apocal.* Michaelem, & Angelos ejus prælium feciſſe cum rebellibus, & victoriam reportaſſe narrat. Unde deducunt, malorum peccato bonos tentatos eſſe, & hunc laudis cumulum illorum acceſſiſſe meritis, quod ei tentationi reſtiterint. Alia ab aliis diſputata miſſa facimus, quæ ſola ſibi humanæ cogitationis opinio; non certa, & explorata vel auctoritas, vel ratio aſſerit.

§. III.

Quæ pœna conſecuta eſt peccatum Angelorum?

XIV. Pœna damnatorum iſtorum ſpirituum quadruplex eſt, nempe 1. cæcitas mentis, ob quam dæmones ab Apoſtolo, (Epheſ. 5.) dicuntur *mundi rectores tenebrarum harum.* 2. obſtinatio voluntatis in malo, ob quam vocantur ſpiritus mali. *Spiritus Domini malus arripiebat Saul.* 1. Reg. 16. 3. excluſio a gloria, & 4. tormentum ignis, juxta illud Matth. 25. *diſcedite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus.* Ac inprimis cæcitas mentis in eo ſita eſt, quod priventur omni lumine ſupernaturali, deſtituanturque teſte Bernardo (Ep. 77. ad Hugonem) *participatione gratiæ ſpiritualis*, quæ cum ſit ordinatio ad vitam æternam, in illis remanere non poteſt. Etſi vero Jac. 2. dæmones dicantur credere, id non eſt intelligendum de fide di-

divina, ac ſupernaturali, ſed naturali ſumpta pro perſuaſione ex effectibus, prophetiis impletis, & miraculis editis in confirmationem myſteriorum Religionis Chriſtianæ. Lumen naturale non amiſerunt perfidi ſpiritus, quorum natura per peccatum non eſt immutata; unde in Auctor. libr. de Div. nom. c. 4. *dona naturalia in Angelis reprobis integra remanſerunt.*

Obſtinatam adeo in malo eſſe dæmonum voluntatem, ut nunquam bene operentur, tenendum eſt firmiter ſecundum fidem catholicam, ut contra Origenem ait D. Thomas q. 64. a. 2. ⊙. Hinc Joan. 9. dicitur, *venit nox*, *quando nemo poteſt operari.* Et Pſ. 9. *non eſt in morte*, *qui memor ſit tui.* Hinc S. Fulgentius l. de fide c. 3. *in quo igne* (inquit) *omnes illi prævaricatores Angeli nec mala unquam poſſunt voluntate carere*, *nec pœna.* Quæ autem ſit cauſa tantæ obſtinationis, non una eſt in ſcholis opinio: veroſimilior eſt, quod omni divino auxilio, moralique Dei adjutorio deſtituti dæmones, ſüisque relicti viribus, ob atrociſſimas pœnas in extremam triſtitiam, & deſperationem conjiciantur, indeque in odium Dei adeo commoveantur, ut voluntas eorum male affecta, omnique gratiæ auxilio carens neceſſitate quadam ad peccatum determinetur. Sed porro quæritur, utrum illa neceſſitas ſit phyſica, an moralis duntaxat? Calvinus, & Janſenius affirmant neceſſitatem male agendi, & impotentiam bene agendi in dæmonibus eſſe adeo abſolutam, ac neceſſitatem amandi Deum, & impotentiam peccandi in beatis. Si ita eſt, quomodo ſalvari poſſit libertas ad peccandum requiſita, minime apparet. Moralis igitur duntaxat neceſſitas ejusmodi, & impotentia eſſe debet, utpote quæ cum peccato, & obſtinatione dæmonum conciliari poteſt. Audi Suarezium *l.* 8. *de Angelis c.* 11. rem ita explicantem: dico hanc moralem impoſſibilitatem ſufficere ad obſtinationem ſimpliciter; quia tanta eſt, ut infallibiliter nun-

quam contingat oppoſitum, id eſt, ut damnatus bene operetur. Quod enim moralis impoſſibilitas tanta eſſe poſſit, exemplis demonſtratur. Homo lapſus, & ſpeciali privilegio gratiæ carens, non poteſt diu omnia venialia peccata vitare, quæ impotentia non phyſica, ſed moralis eſt, quoniam ad ſingulos actus potentia phyſica non deeſt. Et nihilominus tanta eſt illa impotentia moralis, ut nunquam oppoſitum evenire contingat. Simili modo non poteſt homo lapſus ſolis viribus liberi arbitrii graviſſimam tentationem vincere, quæ impotentia moralis eſt: & nihilominus tanta eſt naturæ fragilitas, ut nunquam contraria potentia phyſica effectum ſuum conſequatur. Ita Auctor citatus. De reliquis dæmonum pœnis neceſſariæ quæſtiones a Theologis tractantur: nempe An omnes ante diem judicii inferni pœnas patiantur; utrum inferorum ignis, cui addicti ſunt illi ſpiritus, ſit corporeus? utrum ſempiternæ ſint dæmonum pænæ? Verum hæc eo pertinent, ubi de peccatorum pœnis ex profeſſo tractabitur.

CAPUT III.

DE ANGELORUM IN HOMINES OFFICIIS.

XV. ANgelorum in humanum genus & infinita, & illuſtria, & quotidiana ſunt officia; de quibus propoſitum eſt hoc loco breviter dicere. Prima autem ſtatim incidit quæſtio de eorum cuſtodia, quam tum publice univerſorum, tum ſingulorum privatim ſuſcipiunt. Ac ſingulis quidem ſtatim ab ortu tutelarem appoſitum eſſe Angelum, vetus, ac prope inſita mortalium animis eſt opinio, quam rudes etiam rerum Chriſtianarum gentiles conſtanter tenuerunt; ut erudite oſtendit Petavius *l.* 2. *de Ang. c.* 7. Nos hanc cuſtodiam repetimus ſacris e literis, quæ Angelos tuendis hominibus

bus vacare, tum vero ſingillatim curæ iisdem eſſe quemvis mortalium demonſtrant. *Gen.* 48. Jacob Patriarcha peculiaris cujusdam Angeli ſui meminit. *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* Sic Judith c. 13. ab Angelo ſe cuſtoditam gratulatur. Chriſtus vero de ſingulorum tutela perſpicuum teſtimonium edidit Matth. 18. *Videte*, inquit, *ne contemnatis unum ex iis puſillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Nam cum dicit: *Angeli eorum*, ſignificat certis ex ordine Angelorum curam hominum eſſe commiſſam.

Cum vero Calvinus neget, inde colligi poſſe, peculiarem cuivis Angelum a Deo eſſe præpoſitum; id communi antiquorum traditione erit oſtendendum. Ac inprimis Origenes ex illo actorum loco 12. (ubi ſcriptum eſt, Petro e carcere educto, & oſtium pulſante, fideles, qui ibi erant, dixiſſe, *Angelus ejus eſt*) ita arguit: *ergo intelligitur eſſe & alius Pauli Angelus, ſicut & Petri, & alius alterius Apoſtoli, & ſingulorum per ordinem.* Gregorius Thaumaturgus in oratione habita in laudem Origenis cuſtodes luculenter agnoſcit, qui a parvulis homines procurent. Euſebius quoque l. 13. de Præp. Evang. ait: *Angelum unicuique ad cuſtodiam divinitus datum, nos ex ſcriptura didicimus.* Baſilius item Angelos diverſis officiis attributos eſſe; & alios præeſſe totis gentibus, alios ſingulis fidelium aſſerit his verbis: *quod autem cuique fidelium adſit Angelus, nemo contradicat, qui Domini verborum meminerit dicentis: ne contemnatis unum ex his puſillis &c. Et Pſalmiſta dicit: caſtrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium ipſum. Et Angelus, qui eruit me a juventute mea, & cetera id genus.* Vides, quibus ſcripturæ locis Baſilius commune Catholicorum dogma adſtruat; & Calvino ſilentium indicat, qui & falſum illud eſſe commentum dictitat, & ex illis ſcri-

ſcripturæ locis concludi non poſſe putat. Quamvis autem idem Baſilius, & Chryſoſtomus ſolis fidelibus adeſſe ſuum cuſtodem Angelum, exiſtimare videantur; complures tamen veterum omnibus promiſcue hominibus id miniſterii attribuunt. Pro omnibus Hieronymum, & Anſelmum audiamus: quorum ille in c. 18. Matth. ita loquitur: *magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.* Hic vero in Elucidar. ait: *unaquæque anima, dum in corpus mittitur, Angelo committitur.* DEUS ſane, qui omnium etiam infidelium, ac reproborum ſalutem ſincere cupit, a generalibus ſalutis remediis (inter quæ eſt Angelorum cuſtodia) excludere videtur neminem. Præpoſiti autem iſti cuſtodes hoc fine ſunt, ut clientum ſuorum ſoſpitatem, educationem, vitam totam, ac æternam præſertim ſalutem curent: dæmonum inſidias, & imminentia undique pericula propulſent; animos ad virtutem addant; timidos confirment; mærentes recreent; laborantes adjuvent; lapſos erigant; opportuna monita ſuggerant; orantibus aſſiſtant, eorumque preces offerant DEO: denique ut perfunctos hujus vitæ caſibus poſt obitum excipiant, & ad beatorum ſocietatem transferant. Hinc a Clemente *L.* 4. *ſtromat.* dicuntur *aſcenſui animarum præpoſiti*: a Baſilio *cuſtodes*, *pædagogi*; ab Athanaſio *præceptores hominum*; ab Ambroſio *epiſcopi*, & *paſtores gregum.* Horum inſuper officia deſcribit Clemens Al. *l.* 7. *ſtrom.* Cyrillus Al. *l.* 4. *contra Jul.* Bernardus *Serm.* 12. *in Pſal.* 90.

XVI. Integris gentibus, nationibus, ac regnis ſuos datos eſſe a DEO Angelos, conſtans eſt multorum PP. opinio: colligunt autem potiſſimum ex Daniele, qui c. 10. Angelorum pugnas pro commiſſis ſibi gentibus ſuſceptas deſcribit. Is enim, qui Danieli apparuit, Angelus reſtitiſſe ſibi Perſarum principem, id eſt, tutelarem ait, ac ſibi Michaelem auxilio veniſſe.

ſe. Etſi autem de hoc principe vetus ſit controverſia, ſitne inter bonos referendus, an malos Angelos: in primam tamen partem conſpirant plures ex veteribus, ſpeciatim Baſilius *l.* 3. *contra Eunom.* Theodoretus *in comment. ad Danielem.* Gregorius *l.* 17. *mor. c.* 8. Iſidorus Peluſiota *l.* 2. *Ep.* 85. qui hanc Angelorum pugnam fuſe declarat. Cum enim nondum cognita iis Dei voluntas eſſet, jure utrinque certabant: ac judæorum quidem patronus æquum cenſebat, Divinum de illis dimittendis interdictum exitum habere. Alter ex adverſo nefarios illorum mores proferebat, quibus longiorem ſervitutem meruerunt. Sic inter ambos quidam erat miſericordiæ, ac juſtitiæ conflictus. Cum vero nationibus, populisque præſint Angeli; tum multo magis Eccleſiis, ac cætibus religionis jure ſociatis, & locis illis, in quibus Chriſtiana ſacra celebrantur. De Eccleſiis Apoc. 1. teſtimonium extat, ubi ſeptem Eccleſiis totidem præſides Angeli nominantur, ut interpretantur Origines *Hom.* 20. *in Num.* Ambroſius, Hieronymus, Hilarius, Gregorius Naz. Baſilius a Petavio relati.

XVII. Verum ut tantis SS. Angelorum in nos meritis tenue officium rependamus, paucis reſolvemus ea, quæ contra cultum, & invocationem illorum opponuntur: nam hæretici, hac præſertim ætate, Dei, & mediatoris Chriſti majeſtatem deteri hoc in illos obſequio jactitant, & eſſe nos affines idololatriæ, ac gentilium ſuperſtitioni ad ravim uſque declamant. Angelorum autem cultum evertere conantur his potiſſimum ſcripturæ teſtimoniis. *Dominum DEUM tuum timebis, & illi ſoli ſervies.* Deut. 6. *Iis, qui natura non ſunt Dii, ſerviebatis.* Gal. 4. *nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum.* Coloſſ. 2. Adhæc Angelus Joannem ſe adorare volentem prohibuit Apoc. 19. his verbis: *ne feceris: conſervus tuus ſum.* Item vulgare iſtud: *unum eſſe media-*

torem DEI, *& hominum hominem Jeſum Chriſtum* 1. Timoth. 2. Denique objiciunt Theodoretum, & Laodicenum canonem 35. in quo conſtitutum eſt: *non oportere Chriſtianos Eccleſiam DEI relinquere*, *& ire*, *atque Angelos nominare*, *& congregationes facere: quæ interdicta noſcuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ idololatriæ ſerviens*, *ſit anathema.*

XVIII. Ad decantatas iſtas hæreticorum verſutias refellendas pro omnibus audiendus eſt Auguſtinus, qui l. 20. contra Fauſtum Manichæum ex eadem ratione (qua fit a novatoribus) cultum martyrum exprobrantem, & ad invidiam ſuperſtitionis profanæ trahentem ita diſputat: *colimus martyres eo cultu dilectionis*, *quo & in hac vita coluntur ſancti homines DEI . . . ſed illos tanto devotius*, *quanto ſecurius poſt certamina ſuperata. Adeo ut ſacrificia quoque DEO in illorum memoriam*, *non ipſis tamen offerantur: ſed DEO &c. At vero iſto cultu*, *qui græce λατρεια dicitur*, *latine uno verbo dici non poteſt*, *cum ſit quædam proprie divinitati debita ſervitus*, *nec colimus*, *nec colendum docemus*, *niſi unum DEUM. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio ſacrificii*, *unde idololatrica dicitur eorum*, *qui hoc etiam idolis exhibent: nullo modo tale aliquid offerimus*, *aut offerendum præcipimus vel cuidam martyri*, *vel cuiquam ſanctæ animæ*, *vel cuiquam Angelo.* Hujuſmodi cultum in ſcriptura prohiberi Auguſtinus, aliique veteres cenſent: quo cultu divinitatis proprio nemo catholicorum Angelos colit; ſed longe inferiore, qui ſanctis etiam poſt mortem hominibus impendi poteſt; ut contra Fauſtum dicit Auguſtinus loco citato; item l. X. de civit. DEI, & ſpeciatim de Angelis L. 1. contra Maxim.

Cur autem in Apocalypſi Joannem adorare ſe volentem prohibuerit Angelus, varia ab antiquis ratio redditur: Primo

juxta

juxta Auguſtinum l. 20. contra Fauſtum c. 21. non quælibet adoratio ab cultu Angelorum abjudicatur ; ſed ea duntaxat, quæ ſummæ majeſtati debetur. Cujusmodi Joannes ei, quem terribili ſibi ſplendore apparentem videbat , Angelo tribuere voluit, cum quidem Deum ipſum, aut Chriſtum eſſe ſuſpicaretur, aut ſubito horrore perculſus non meditato facere id tentaret. Deinde aliam cauſam ſic reddit Gregorius Magnus hom. 8. in Evangel. *Angeli, quos prius infirmos, abjectoſque deſpexerant, jam ſocios venerantur. Hinc eſt, quod Loth, & Joſue Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur. Joannes vero adorare Angelum voluit, ſed tamen idem hunc Angelus, ne ſe debeat adorare, compeſcuit.* Communem nempe cum Chriſtianis ceteris, & propriam Apoſtolici nominis excellentiam in Joanne ſuſpiciens, ab tali, tantoque viro ſe demiſſe adeo coli vetuit.

Qui ex eo, quod Chriſtus dicatur *unus mediator &c.* prohiberi putant aliorum omnium invocationem, vehementer errant. Siquidem viventium hominum preces pro ſe, aliisque ſæpe implorat Apoſtolus, eoſque utique mediatores apud Deum adhibet. Tum viciſſim ipſe pro ipſis orationes ſuas, eandemque mediatoris operam pollicetur (*Rom.* 15. *v.* 30. 2. *Corinth.* 1. *v.* 11. *Ad Philemonem v.* 22.) Enimvero mediator unus eſt, ut magiſter unus, ut Pater; neque tamen qui hoc in Evangelio legunt, prohiberi ſe putant, quo minus magiſtros, & patres alios nominent. Dum igitur Chriſtus *unus mediator* dicitur, non excluduntur ceteri ei tanquam primario ſubjuncti, ejuſque virtute ſubnixi; neque aliter vox hæc *unus*, vel *ſolus* intelligi debet, quam pluribus aliis in locis, in quibus ſoli Deo aliquid excipitur, quod alibi tamen commune fit pluribus. Cultores autem Angelorum, quos notat Apoſtolus Coloſſ. 2., aut gentiles erant philoſophi, qui

DEUM Angelorum opera in creatione uſum eſſe putarunt; aut eorum opinione imbuti, qui Chriſtum aſſerebant majoris eſſe dignationis, quam ut de noſtris rebus compellaretur, ideoque mediatores unicos adhibendos eſſe Angelos; ut textum Apoſtoli exponit Chryſoſtomus *Hom: 6. in caput 2. Ep. ad Coloſſ.* Canone Laodiceno citato non prohibetur cultus quiscunque Angelorum, ſed ille duntaxat, qui ad contemptum pertinet Domini noſtri J. C. Quod illi faciebant, qui Angelos pro diis venerabantur Platonico, gentilique more: quem idcirco tacitam idololatriam ſynodus appellat. Hinc, ut loquitur Theodoretus (quem ab erroris ſuſpicione invicte vindicat doctiſſimus Petavius) ſynodus Laodicena, ut veteri illi morbo remedium afferret, decrevit non eſſe ſupplicandum Angelis, neque relinquendum eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

CAPUT IV.

DE PROCREATIONE HOMINIS:

XIX. PRocreationem aſpectabilis hujus mundi refert Moyſes (*Gen.* I.) ſex diebus eſſe perfectam, quidque ſingulis ſit factum diebus, enarrat. Quam creationis ſeriem qui ſcire volet, locum illum, ejuſque explanationes in commentariis ſacrorum ſcriptorum paſſim obvias conſulat; Nobis enim hoc loco propoſitum eſt, de ſolo homine, tanquam opere DEI præſtantiſſimo, uberius diſſerere. Præprimis tamen non falſa tantum, ſed & periculoſa notanda eſt ſententia nonnullorum, qui illa narratione nihil corporeum a Moyſe comprehendi volunt, ſed intelligibilia omnia, & a ſenſibus remota, quæ ſenſibilibus rebus, velut figuris, adumbrantur. Totam igitur hanc mundi hiſtoriam figuratam, & allegoricam eſſe docent;

cent ; tanquam abſurde is ſentiat , qui, cum legit dixiſſe DEUM: *fiat lux*, lucem illam viſibilem ſignificari putet. Unus hic ex Origenis erroribus fuit, qui tum in aliis plerisque ſpreto literali ſcripturæ ſenſu , ad allegorias omnia tranſtulit ; tum illam mundi naſcentis hiſtoriam a Moyſe traditam eadem ludificatione pervertit. Univerſe igitur cum Chryſoſtomo , Gregorio Nyſſeno, Cyrillo, aliisque fere omnibus ſtatuimus ; ea, quæ de mundi conditu a Moyſe tradita ſunt , tum re ipſa eſſe geſta, tum ab illo hiſtorico eſſe more deſcripta : imo in illa tota narratione rerum corporearum ita mentionem fieri, ut de Angelis, ceterisque corpore carentibus omnino taceat hiſtoricus.

XX. Abſolutis ceteris opificii partibus poſtremus creatus eſt homo; cujus multiplicem cauſam reddunt SS. PP. Prima eſt, quia omnia condita ſunt hominis gratia: nam , ut Gregorius Nyſſænus l. 2. de opif. Hom. loquitur , *conſentaneum non erat, ut rector, ac princeps exiſteret , antequam eſſent illa, quibus imperaret : ſed ut conſtituto jam imperio tum rex demum renunciaretur.* Altera cauſa eſt , ut ex tanto, tamque locuplete bonorum apparatu diſceret Adamus , in maxima rerum affluentia victurum deinceps ſe eſſe , ſi conditori ſuo morem gereret. Tertiam addunt hujuſmodi: DEUM voluiſſe , ut primo operi ſuo poſtremum reſponderet, atque ut initio cælum condiderat omnium ſenſibilium, æternorumque perfectiſſimum ; ſic ad extremum hominem feciſſe terrenorum, & corruptibilium longe præſtantiſſimum. Ejusdem autem ſupra cetera DEI opera præſtantia aliquot a Moyſe argumentis eſt prodita : maxime quod operoſius a DEO elaboratus , ipſiuſque manibus fictus eſſe dicatur. Ad aliarum rerum molitionem ſolo imperio uſus eſt DEUS: *dixit, & facta ſunt, mandavit, & creata ſunt.* Ubi ad creationem hominis eſt ventum, tanquam in exquiſito, &

induſtriæ majoris opere conſultationem prius adhibet, de eoque ad imaginem ſuam faciendo deliberat. De hujus igitur præſtantiſſimi operis formatione tria præ reliquis in quæſtionem veniunt. I. an Adamus univerſorum hominum primus fuerit parens? II. quomodo dicatur conditus *ad imaginem*, & *ſimilitudinem DEI?* III. quid de loco, in quo conſtitutus fuerat Protoparens noſter, præcipue memorandum?

Refellitur fabula Præadamitarum.

XXI. ISaac Peyrerius, dum calviniano detineretur errore, quem Alexandro VII. Pontifice maximo ejuravit, inſulſam Præadamitarum fabulam in orbem invexit; ſcrutatus enim in gentilium hiſtoriis fabuloſam antiquitatem, novitatum ſectatoribus ſtuduit venditare, ante Adamum extitiſſe homines plurimos, hunc vero hebraici duntaxat generis parentem fuiſſe. Exiſtimabat autem ſuum ſyſtema ſacris conſentire literis, maxime ob hiſtoriam Caini, & Apoſtoli ad Romanos Epiſtolam. De Caino legitur Gen IV. fuiſſe agricolam, atque a Deo reprehenſum his verbis: *Nonne ſi bene egeris recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum erit?* fuerunt ergo & artes, & judices etiam ante Caini flagitium. Deinde vero accepit uxorem, ædificavit urbem Henoch & traditur etiam cum latronum manu prædæ cauſa graſſatorem egiſſe. At quam fæminam tum generaverat Adam? quibus habitatoribus civitas eſt referta? quam peregrinorum catervam iniquus prædo invaſit? Igitur alios in orientali plaga homines invenit aliis genitoribus natos; unde ſibi uxorem, cives, & prædonum turbam aſcivit. Apoſtolus autem ad Rom. C.V. v. 13. & 14. ait: *uſque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet: ſed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen etiam in eos, qui non pecca-*

cave-

caverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, *qui eſt forma futuri.* Duo hinc argumenta ſumuntur. Primum; quod mors dominata eſt uſque ad legem etiam in eos, qui non peccaverunt in Adam: igitur præter Adæ poſteros alii ſunt homines mortales. Alterum, quoniam Paulus ait ante legem fuiſſe peccatum in mundo, etſi minime imputabatur. At imputatum eſt Caino, Lamech, aliiſque omnibus, qui ante legem Moyſis deliquerunt. Non ergo hanc legem Paulus deſignat, ſed legem Adamo indictam de fructu arboris non comedendo: ideoque antequam prævaricatus eſt Adam, alii fuerunt ſceleribus inquinati, ac mortales. His coloribus fabulam ſuam pingit Peyrerius, iique omnes, qui eam poſtea recoquere ſunt auſi.

Verum commentum hoc facile refellitur clariſſimis ſcripturarum teſtimoniis. 1. Gen. dicitur *in principio*, hoc eſt in exordio temporis, antequam creatura aliqua corporea eſſet producta, Deum condidiſſe cælum, & terram, & ſex diebus cuncta rerum genera perfeciſſe; ſexto autem feciſſe Adamum ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Quinam ergo fuerunt illi Præadamitæ, ſi nullus antea Deo auctore prodierat? in qua orbis plaga habitarunt, ſi anteactis ſeculis neque cælum erat, neque terra, neque locus alius corporeus? Gen. 2. ubi fit recapitulatio creationis cæli, & terræ, dicitur: *homo non erat*, *qui operaretur terram*, & ſtatim ſequitur: *formavit igitur Dominus DEUS hominem.* Eodem capite dicitur: *Adæ vero non inveniebatur adjutor ſimilis ejus.* At ſi fuiſſent Præadamitæ; inventi fuiſſent viri, ac mulieres ſibi ſimiles, nec Eva potuiſſet dici *mater cunctorum viventium*, Gen. 3. Apoſtolus autem in Epiſtola ad Rom. unius Adæ peccato mortem regnaviſſe teſtatur, per unius hominis delictum omnes peccatores conſtitui, atque uti per unum hominem

mors,

mors, & damnatio ad omnes pertranſiit, ita per Chriſtum ſuperabundare gratiam, & juſtitiam. Igitur ſi fabuloſi illi Anteadamitæ mortui ſunt, ex Adamo originem habuerunt; niſi negetur mortem eſſe pænam peccati originalis cum Pelagianis poſtea refutandis.

XXII. Ad ea, quæ Peyrerius obiicit, facilis eſt reſponſio. Exercuit Cainus agrorum cultum, ſicut & Abel paſtoritiam artem, ut in prima inſtitutione orta ex humana miſeria neceſſitate fieri potuit, absque exquiſitis agriculturæ inſtrumentis. Nam & fabrilem artem, & rationem paſcendi pecoris commorando in tentoriis invenerunt Jabel, & Tubalcain. Sententia Domini: *ſtatim in foribus peccatum aderit*, ſignificat culpæ ſuccedere pœnam, neque ullum abire patrato crimine impunem, torquente animum ſynderesi, & DEO puniente criminum auctores. Uxorem Caini fuiſſe ſororem ſuam ſcribit Auguſtinus l. 15. de civ. DEI C. 16. Quomodo autem Cainus potuerit unam, & plures etiam civitates condere, idem D. Doctor oſtendit lib. cit. C. 18. Primorum quippe hominum vita tam longa fuit, ut unius hominis filii poſſent etiam urbes conſtituere. Demum fratricidam timuiſſe a fratribus, vel nepotibus ſuis multi reſpondent, nec repugnat, cum homicidium patraverit An. M. 128. Sed & hæc verba: *omnis, qui invenerit me, occidet me*, hominis ſunt timentis, omnem ſibi creaturam, etiam beſtias terræ, adverſam fore.

XXIII. Teſtimonium Apoſtoli ipſum Peyrerium perſtringit; illo enim teſte per unius Adæ inobedientiam mors dominari cæpit. Deinde citatus verſus 14. Apoſtoli ita exponitur. Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſem, etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, hoc eſt, qui non peccaverunt actualiter, ſeu propria voluntate.

Vult

Vult enim ſolum Apoſtolus omnes etiam infantes ante legem ſcriptam fuiſſe morti obnoxios, ac proinde peccato originis infectos. Senſus alterius ſententiæ, *peccatum non imputabatur, cum lex non eſſet*, eſt iſte: nempe ante legem Moyſis non erat lex, qua arguente peccatum demonſtraretur, *ſive lex rationis in parvulo, ſive lex literæ in populo*, ut ait Auguſtinus, dictum eſt igitur: *non imputabatur*, pro *non redarguebatur*. Etenim ficti illi præadamitæ fuiſſent homines, atque adeo naturali ſaltem lege obſtricti, ideoque ſi peccaſſent, peccatum illis fuiſſet imputatum. Debet ergo & Peyrerius imputationem accipere pro legis latæ animadverſione. Quod vero mors dicitur regnaſſe *uſque ad legem*, ita accipiendum eſt, ut nec lex Moſaica potuerit auferre peccatum, nobisque impertiri gratiam. Igitur idem eſt *uſque ad legem*, ac *lege Moyſis vigente*: nam adverbia *donec*, & *uſque* frequentiſſime ſequens tempus includunt.

De imagine, & ſimilitudine, ad quam factus eſt homo.

XXIV. Ad imaginem Dei factum eſſe hominem, ſcriptura Gen. 1. claris verbis oſtendit: *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, &c. Et creavit DEUS hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem DEI creavit eum.* Vetus eſt illa quæſtio & in varias opiniones diſtracta, in quo imago illa ſit ſita? ut videre eſt apud Epiphanium *Hæreſi* 70. Aliqui antiquiores in humano corpore collocarunt Dei imaginem, ſed peſſime: nam res corporeæ non poſſunt eſſe expreſſæ ſimilitudines entis ſpiritalis, & incorporei. Alii eandem imaginem in cognitione, quidam in libero arbitrio, nonnulli in virtute, & Spiritu Sancto: denique alii in imperio, & dominatu eam ſitam eſſe exiſtimant,

quem in animantes, ac terrarum orbem conſtituit humano generi DEUS. Singulas opiniones fuſe perſequitur Petavius l. 2. de opificio hominis. Idem notat, a plerisque veterum PP. conſtitutum eſſe diſcrimen *imaginis* ac *ſimilitudinis*: ex Auguſtino tamen, aliisque Patribus oſtendit, Moyſen ambo iſta nomina pro uno, eodemque ſumpſiſſe.

Exiſtimo in mente hominis duplicem fuiſſe imaginem DEI: naturalem aliam, aliam ſupernaturalem. Illa in facultate intelligendi, & volendi, atque libertate arbitrii conſiſtit. Nam per illas facultates homo pro modulo ſuo imitatur ſuum exemplar: nempe per intellectum efformat verbum, in quo ipſi repræſentantur omnia, quæ ſub ejus notitiam cadunt; per voluntatem liberam non ſolum producit amorem omnium eorum quæ intellectus amanda proponit, ſed & actionum ſuarum eſt Dominus, atque præeſt cunctis animantibus. Unde poſtquam dixit DEUS: *faciamus hominem ad imaginem noſtram*, addit: *& præſit piſcibus maris &c.* Supernaturalis autem imago præter ſubſtantiæ intelligentis naturam dona etiam virtutum, divinarumque gratiarum munera complectitur. Hinc Apoſtolus ad Epheſ. 4. & ad Coloſſ. 3. hortatur nos ad charitatem, & exercitia virtutum, ut ſpiritu renovemur *ſecundum imaginem DEI*, ad quam creatus eſt primus Adam. Igitur præter rationalem naturam, quæ DEI imago eſt naturalis, impertitus eſt ſupremus creator homini dona gratiarum, in quibus ſplendeſcit imago quædam ſupernaturalis, cujus cauſa nuncupamur filii DEI, eique ſpeciali titulo ſimiles. Hac ratione explicari poſſunt complura PP. teſtimonia, quæ adfert Bellarminus *de gratia primi hominis c.* 2. quibus cogimur admittere non eſſe omnino idem imaginem ac ſimilitudinem, ſed imaginem ad naturam, ſimilitudinem ad virtutes pertinere: unde infertur, hominem peccando imaginem DEI

ex integro non perdidiſſe : atque ideo Auguſtinus , qui *l.* 6. *de Gen. ad lit.* ſcripſerat *Adam imaginem DEI perdidiſſe peccato*; in libro retract. ita accipiendum eſſe monet, *non tanquam in eo nulla remanſerit*, *ſed quod tam deformis*, *ut reformatione opus haberet.* Quam reformationem Apoſtolus in juſtitia, & ſanctitate conſiſtere pluribus locis declarat.

De primo primi hominis Domicilio.

XXV. DE paradiſo , in quo conſtitutus dicitur primus homo , hæc fere in libro Geneſeos habentur. *Plantaverat autem Dominus DEUS Paradiſum voluptatis a principio*, *in quo poſuit hominem*, *quem formaverat . . . lignum etiam vitæ in medio paradiſi*, *lignumque ſcientiæ boni & mali.* *Et infra*: *Tulit ergo DEUS hominem*, *& poſuit eum in paradiſo voluptatis.* . Non defuerunt (teſte Irenæo l. 1. adverſus Hæreſes c. 1.) qui cum Origene totam illam de paradiſo hiſtoriam deſtruere , & in meras allegorias tranſmutare voluerunt. Sed & noſtris temporibus fuere , qui ſententiam jam olim a PP. damnatam ad lucem revocarunt , & paradiſum terreſtrem, corporeumque negarunt , in quo Adam in ſtatu innocentiæ habitaſſet. Verum contra hunc errorem pugnat traditio Patrum , qui ea ſcripturarum loca in Senſu proprio acceperunt, opinionemque Origenis ut plane erroneam , & orthodoxæ fidei adverſam refellebant. Inter hos autem præcipui ſunt S. Methodius *apud Epiph. Hæreſi* 64. Ipſe Epiphanius *in Epiſt. ad Joan. Epiſc. Jeroſ.* Hieronymus *in Epiſt. ad Pammach.* Chryſoſt. *Hom.* 13. *in Gen.* D. Auguſtinus *l.* 13. *de civit. DEI c.* 21. aliique multi, quos fuſe perſequitur Bellarminus libro citato.

Sed eſt alia quæſtio de ligno ſcientiæ boni, ac mali, & de ligno vitæ, unde eæ arbores hoc nomen obtinuerint. Jo-

ſephus *l.* 1. *Antiq.* *c.* 2. ſcribit, eam arborem vim habuiſſe acuendi ingenium, & prudentiam augendi. Quam opinionem ſecuti videntur hæretici illi, qui a Tertulliano de præſcript. hæret. Et ab Epiphanio hæreſi 37. dicuntur Ophitæ, qui pro Chriſto ſerpentem colunt; quod hominibus auctor fuerit adipiſcendæ ſcientiæ, cum eſum ligni vetiti perſuaſit. Joan. Damaſc. l. 2. de fide c. 11. docet, arborem illam lignum ſcientiæ appellatam, quod adſerret cognitionem propriæ naturæ. Sed hæc improbabilia ſunt. Vera ſententia eſt (ab Auguſtino, Cyrillo, Theodoreto, Eucherio, aliisque tradita) lignum ſcientiæ boni, & mali appellatum ab eventu, quia guſtatum ob inobedientiæ culpam multa mala adferret, ac per hoc homines experiendo diſcerent diſcrimen boni, & mali. De ligno vitæ variæ ſunt Patrum ſententiæ; unde tutius eſt in re incerta, neque ſcripturarum auctoritate comperta, aſſenſum ſuſtinere, & a divinationibus abſtinere.

CAPUT V.

DE STATU, ET GRATIA PRIMI HOMINIS.

XXVI. De ſtatu Adami in illo voluptatis domicilio duæ quæſtiones contra hæreticos definiendæ veniunt. I. quas dotes homo innocens in ſuo ortu acceperit? II. An illa dona fuerint naturalia, vel ſupernaturalia? Prænoſcendum autem eſt ſtatum naturæ humanæ diverſum conſiderari poſſe. ſtatus *naturæ puræ* eſt, in quo natura humana conderetur cum ſolis perfectionibus, & facultatibus naturalibus abſque gratia ſupernaturali, & peccato, obnoxia tamen iisdem, quibus nunc premimur, infirmitatibus, nempe fami, ſiti, ægritudini, morti, & concupiſcentiæ. Status *naturæ integræ* dicitur ea con-

conditio, in qua homo nec gratia ſupernaturali prædițus, nec peccato infectus, nullam appetitus ſenſitivi adverſus rationem experiretur rebellionem. Duo hi ſtatus non extiterunt: utrum autem poſſibiles fuerint, videbimus infra.

Status *naturæ innocentis*, ſeu juſtitiæ originalis dicitur ille, qui ſuperaddit naturæ integræ ordinationem ad finem ſupernaturalem per dona ſupernaturalia, item immunitatem a morte, morbis, aliisque incommodis, quæ forent in ſtatu naturæ puræ. Demum ſtatus *naturæ lapſæ* eſt conditio naturæ humanæ originali juſtitia privatæ. Antequam igitur de ſtatu primorum parentum quidquam definiamus, videndum erit, quid ſenſerint in hoc argumento hæretici.

§. I.

Exponuntur errores Hæreticorum.

XXVII. PElagianos in primo homine nullum ſupernaturale donum, ſed naturales duntaxat facultates agnoviſſe, teſtatur Auguſtinus tum in l. de hæreſi c. 88. tum apertius in Ep. 106. ad Paulinum. Hinc exiſtimarunt per peccatum Adami nihil omnino homines perdidiſſe, talemque omnino conditum eſſe primum hominem (nempe ſine ullis donis ſupernaturalibus) quales nunc ceteros homines naſci videmus: adeoque eandem eſſe naturam in ſtatu naturæ lapſæ, qualem initio primus homo de manu conditoris accepit. Inde deducebant Pelagiani, hominem fuiſſe moriturum, etiamſi non peccaſſet.

Lutherus cum Calvino pro comperto habet, hominem per lapſum primi parentis factum eſſe deteriorem. Sed cum uterque putet, nulla ſupernaturalia dona in primo fuiſſe homine,

in eum errorem delapſus eſt, ut credat aliquid naturale (quale inprimis eſt liberum arbitrium) naturæ hominis nunc deeſſe. En verba Lutheri in Comment. ad C. 3. Gen. ita loquentis: *ſtatuimus juſtitiam non fuiſſe quoddam donum, quod ab extra accederet, ſeparatum a natura hominis, ſed fuiſſe vere naturalem, ut natura Adæ eſſet diligere DEUM, credere DEO, agnoſcere DEUM &c. hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale eſt, quod oculi lumen recipiant.* Et infra, *porro*, ait, *hæc probant originalem juſtitiam eſſe de natura hominis, ea autem per peccatum amiſſa, non manſiſſe integra naturalia, ut ſcholaſtici delirant.* Idem fere docet Calvinus l. 1. Inſt. C. 15.

XXVIII. Non minus Bajus, Janſenius, Queſnellus hac in re conſenſerunt, judicaruntque originalem juſtitiam non ad dona ſupernaturalia, ſed ad naturalem hominis conſtitutionem pertinere: imo immortalitatem, quam obtinuiſſet Adamus omiſſo peccato, non ſupernaturalem, ſed naturalem eſſe dicendam. Patet id ex propoſitionibus per ſummos pontifices damnatis. Pius enim V. Gregorius XIII. Et Urbanus VIII. has baji propoſitiones damnarunt.

XXI. *humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, ac proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.*

XXIII. *abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam ſupernaturali, & gratuito, ſupra conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, ut fide, ſpe, & charitate DEUM ſupernaturaliter coleret.*

XXVII. *integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.*

LV.

LV. *DEUS non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.* Similes ſunt propoſitiones 1. 3. 7. 9. 24. 78.

Item Clemens XI. damnavit has Queſnelli propoſitiones. 34. *gratia Adami non producebat, niſi merita humana.* 36. *gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.*

Contra iſtos errores pugnant Doctores Catholici, ajuntque primum noſtrum parentem multis ſupernaturalibus donis ornatum fuiſſe; per peccatum Adæ totum hominem vere deteriorem eſſe effectum, nec tamen liberum arbitrium, nec alia naturalia dona, ſed ſolum ſupernaturalia amiſiſſe. Ordine igitur adverſus utramque horum claſſem veritas catholica nobis eſt aſſerenda.

§. II.

Oſtenditur contra Pelagianos, hominem non eſſe initio conditum, qualis nunc naſcitur, ſed multo feliciorem.

XXIX. QUibus miſeriis tum animi, tum corporis in ſtatu naturæ lapſæ obnoxius ſit quiſque homo, nemo non videt. Naſcimur ſine juſtitia, contaminati peccato originis, & filii iræ, cum concupiſcentia, & rebellione carnis, morbis, morti, aliiſque incommodis obnoxii, ut pluribns locis ſcriptura teſtatur. *Sumus natura filii iræ*, ait Apoſtolus ad Epheſ. 2. Et ad Rom. 7. *Jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Et rurſum: *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* atque ante Apoſtolum Eccleſiaſticus c. 40: *grave jugum ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.* Jam vero longe

ge melior erat conditio primi hominis: conditus eſt in integritate, juſtitia, ac ſanctitate, ſine ullis concupiſcentiæ motibus, & carnis rebellione, ſine ullo metu mortis; quæ ſingula adverſus Pelagianorum errorem ſunt oſtendenda.

XXX. Ac inprimis quod primus homo in juſtitia, ac ſanctitate ſit conditus, probatur I. ex ſcripturis. Eccleſ. 7. v. 30. dicitur: *fecit DEUS hominem rectum.* Et C. 17. *ſecundum ſe veſtivit illum virtute.* Unde Apoſtolus exhortans ad recuperandam gratiam per peccatum amiſſam ait, Epheſ. 4. *renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum DEUM creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Qui renovatur, ad priorem conditionem redit. Prior ergo conditio hominis fuit in juſtitia, & ſanctitate. Probatur II. ex duobus Conciliis, Arauſicano ſecundo, & Tridentino. Primum Can. 19. ita habet: *natura humana etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſe ipſam, creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Unde cum ſine gratia DEI ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine gratia DEI poterit reparare, quod perdidit?* Igitur nos, cum per Chriſti gratiam juſtificamur, id reparamus, quod perdidimus in Adamo: cum ergo reparemus juſtitiam, ac ſanctitatem, eam in illo perdidimus. Trident. Seſſ. 5. in decreto de peccato originis ſic habet: *ſi quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum DEI in paradiſo fuiſſet transgreſſus, ſtatim ſanctitatem, & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe &c. anathema ſit.*

Probatur III. ex clariſſimis veterum Patrum teſtimoniis. S. Irenæus l. 3. contra hæreſes c. 37. Adamum ita loquentem inducit: *quoniam eam, quam habui a ſpiritu ſanctitatis, ſtolam amiſi per inobedientiam &c.* Et in eodem libro c. 20. dixerat: *ut quod perdideramus in Adam, in Chriſto JESU recupe-*

cuperemus. Stola autem ſanctitatis a Spiritu S. accepta non videtur ſignificare aliud, niſi gratiam, quæ infunditur in cordibus per Spiritum S. D. Cyprianus Serm. 3. de bono patientiæ, *Adam*, inquit, *in mortem cecidit, nec acceptam divinitus gratiam cuſtode patientia ſervavit.* S. Gregorius Nazianz. in oratione de Paſcha enarrans primi hominis creationem, dicit, eum fuiſſe Angelum terreſtrem, & eundem ſpiritum & carnem, Spiritum propter gratiam, & ut cum DEO maneret, ac benefactorem glorificaret. S. Chryſoſt. Hom. 16. in Gen. *dæmon*, inquit, *magna uſus eſt machinatione, ut hominem gratia DEI privare poſſet.* Demum D. Auguſtinus l. 4. de Civ. DEI c. 11. *fecit DEUS*, inquit, *hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ. Non enim rectus eſſet, bonam non habens voluntatem: bona igitur voluntas opus eſt DEI.* Atqui per bonam voluntatem intelligit gratiam: *quaſi vero*, ait l. de gratia c. 21. *aliud ſit bona voluntas, quam charitas, quam ſcriptura nobis eſſe clamat ex DEO, & a Patre datam, ut filii ejus eſſemus. L. autem de Corrept. & grat.* C. 11. Sic habet: *quid ergo? Adam non habuit DEI gratiam? imo vero habuit magnam, ſed diſparem*, nempe a gratia hujus ſtatus.

XXXI. Appetitus ſenſitivus in Adamo innocente ita perfecte rationi erat ſubditus, ut nullis inordinatis concupiſcentiæ motibus fuerit obnoxius; atque hæc altera dos erat naturæ integræ, ac innocentis. Cum enim DEUS *hominem fecerit rectum*, rectus ordo poſtulabat, ut ſicut mens per gratiam perfecte DEO erat ſubdita, ſic corpus menti in omnibus obtemperaret. Hinc Conc. Trident. Seſſ. 5. can. 5. definit concupiſcentiam ideo ab Apoſtolo peccatum dici, *quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.* Legimus *Gen.* 2. de primis noſtris parentibus: *erant autem ambo nudi, & non erubeſcebant.* Hujus rei cauſam aſſignant Patres, quod carerent ante

peccatum inſami illa membrorum rebellione, ob quam poſt peccatum *aperti ſunt oculi amborum*, ut erubeſcerent. Hunc locum exponens D. Auguſtinus l. 11. de Gen. ad lit. ſic ait: *verum eſt, omnino nuda erant corpora duorum hominum in paradiſo converſantium, nec pudebat eos: quid enim puderet, quando nullam legem ſenſerant in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, quæ illos pœna peccati poſt perpetrationem ſecuta eſt . . . juſtitia puniente commiſſum.* Idem fere habent Chryſoſt. Greg. Nazianz. Cyrillus Alex. aliique a Bellarmino l. de gratia primi hom. C. 2. Citati.

XXXII. Primum hominem conditum eſſe immortalem (quæ tertia dos eſt ſtatus juſtitiæ originalis) Catholica credit Eccleſia contra Pelagianos, qui teſte Auguſtino dicebant, *Adamum ſic creatum, ut etiam ſine peccati merito moreretur.* Proſcriptus inprimis hic error eſt in Conc. Carthaginenſi (ut habetur apud Gennad. de dogm. C. 33.) his verbis: *quicunque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit.* Idem ſanxit Tridentinum de peccato originali Canone primo.

Hujus porro dogmatis auctoritas ex ſcripturis repetitur, in quibus diſerte illud, ac ſæpe traditur, mortem humano generi pœnæ loco inflictam eſſe, propter peccatum primi hominis. *Per unum hominem*, ait Apoſt. Rom. 5. *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors. Et ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Quod reliquo deinceps capite repetit. Et ad Rom. 8. *corpus mortuum eſt propter peccatum; ſpiritus vero vivit propter juſtificationem.* Docet hoc idem liber ſapientiæ C. 2. *quoniam DEUS creavit hominem inexterminabilem. Invidia autem diaboli mors intravit in orbem*

ter-

terrarum. Huic fidei decreto paſſim ſuffragatur Auguſtinus, præſertim in libris, quos contra Pelagianos edidit. Neque dici poteſt cum Pelagianis, textus ſcripturæ intelligendos eſſe de morte animæ, non vero corporis. Nam de ea morte intelligi debent, quam Deus homini minatus fuerat; atqui mortem corporis eſt comminatus, ut conſtat ex his Gen. 3. verbis: *quia comediſti de ligno . . . in ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Denique plane felicem, & ab omni miſeria liberam fuiſſe vitam primi hominis, indicat ſcriptura 2. C. Gen. quod paulo fuſius his verbis explicat S. Auguſtinus l. 14. de civ. Dei C. 10. *Quid*, inquit, *timere vel dolere poterant illi homines in tantorum affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo . . . nec inerat, quod carnem, animumve hominis feliciter viventis offenderet?* Et infra: *quam felices erant primi homines? & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis &c.*

Diluuntur Objectiones.

XXXIII. Opponitur 1. Apoſtolus in 1. ad Corinth. C. 15. ita loquens: *factus eſt primus homo in animam viventem, noviſſimus Adam autem in ſpiritum vivificantem.* Adam ergo ſine gratia, Chriſtus in ſanctitate, & juſtitia eſt creatus. R. cum diſtinctione: factus eſt primus homo in animam viventem, id eſt, in corpus animale vita præditum, ſed natura mortale, quamvis non moriturum, niſi peccaſſet, concedo. Factus eſt in animam viventem abſque divinæ gratiæ muneribus, nego. Apoſtolus diſertis verbis loquitur de reſurrectione mortuorum (ut eodem loco verborum ſuorum eſt interpres) in

qua corpus, quod ſeminatur in corruptione, ſurget in gloria, & quod ſeminatur animale, ſurget ſpirituale: nos vero, qui portamus imaginem hominis terreni, portabimus imaginem cæleſtis, dum reſurgent mortui incorrupti, & corruptibile hoc induerit incorruptionem. Hinc Auguſtinus l. 13. de civ. DEI C. 23. *In eo ergo, inquit, quod ſcriptum eſt: factus eſt primus homo in animam viventem, voluit Apoſtolus intelligi corpus hominis animale. Spirituale autem quodammodo intelligendum eſſe oſtendit, addendo: noviſſimus autem Adam in ſpiritum vivificantem; procul dubio Chriſtum ſignificans, qui jam ex mortuis ita reſurrexit, ut mori omnino deinceps non poſſit.*

Opponitur II. ex Auguſtino, qui l. de Corrept. & grat. C. 10. ſcribit, ſic DEUM condidiſſe Angelos, & primum hominem, ut prius in eis oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium. R. D. Doctorem non ſignificare, Angelos, & primum hominem initio ſine gratia DEI fuiſſe (contrarium enim habetur C. ſeq.) ſed ſenſus eorum verborum eſt, primo voluiſſe DEUM oſtendi in Angelis, & Adamo, quid poſſet liberum arbitrium, gratia quidem adjutum, ſed in gratia non confirmatum: deinde quid poſſet beneficium gratiæ in iis, qui confirmantur in bono per beatitudinem, quidve juſtitiæ judicium in obſtinatis, & ad inferos condemnatis.

Opponit idem D. Doctor, qui l. 1. de peccat. meritis C. 5. ait, corpus hominis innocentis fuiſſe mortale. R. immediate ſubjungi hæc verba: *ſed ipſum mortale non eſt factum mortuum, niſi propter peccatum.* Et l. 6. de Gen. ad lit. C. 25. *mortalis ergo erat, inquit, conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris*, ſed de hoc poſtea.

Quæ-

Quæres, utrum de fide Catholica ſit, primum hominem in primo ſui ortus momento gratiam habuiſſe ſanctificantem? R. Etſi id ex allatis momentis manifeſte deducatur, non tamen ab Eccleſia definitum eſſe. Definitio iſthæc fortaſſis contineretur citatis his Tridentini verbis: *Adam ſanctitatem, & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe.* Sed aliud eſt *creatum* eſſe in ſanctitate, & juſtitia, aliud in ea *conſtitutum*. Nam & in paradiſo conſtitutus eſt Adam, quamvis in eo creatus non fuerit. Unde ſatis colligitur, Patres Trident. dum ita circumſpecte loquuti ſunt, ut conſtitutum dicerent, non creatum, aut conditum, ſtudio voluiſſe abſtinere a definienda quæſtione etiam inter catholicos diſputata, an homo fuerit creatus in gratia. Addit Juen. *T.* 3. *inſt. diſſert. 3. q.* 1. Sacræ ſynodi juſſu deletam fuiſſe vocem *conditum*, quam illi canonis editores primum inſeruerant. Alii contendunt, Concilium per *juſtitiam*, & *veritatis ſanctitatem* non habitualem gratiam intellexiſſe, ſed rectitudinem originalem, quam ſitam putant in recto ordine, ac dominio rationis, nullo reluctante concupiſcentiæ motu, nec non in libero arbitrio, quam rectitudinem merito primi peccati perdidimus. Neque probatur hujus de Adamo in gratia ſanctificante condito aſſertionis definitio per canonem 19. Conc. Arauſ. ſupra citatum: nam illo Canone demonſtratur duntaxat adverſus Pelagianos neceſſitas gratiæ actualis ad conſequendam ſalutem, & reparandas vires ad ſervanda, *ut oportet*, divina præcepta ob Adæ culpam amiſſas. Non etiam irrefragabile argumentum ſubminiſtrant dicta quorundam Patrum: reſpondere enim poterunt oppoſitæ ſententiæ Patroni ad perfectionem, & rectitudinem originalem id duntaxat requiri, ut humana natura ſit conſtituta abſque ullo vitio, & peccato, atque cum bona voluntate, & gratiæ ſufficientis adjutorio, ut poſſet ſibi habitualem charitatem comparare; atque ad plenitudinem beatitudinis perve-

 nire.

nire. Quamobrem nulla cenſura veteres ſcholaſticos perſtringimus; etſi rectitudinis, ac ſanctitatis nomine planiore ſenſu fatemur ſignificari juſtificationem, & gratiam, in qua permanentes jure quodam hæreditario conſequimur beatitudinem.

§. III.

Oſtenditur contra RR. Hæreticos, Juſtitiam originalem, ſanctitatem, & immortalitatem homini innocenti fuiſſe indebitam; ac proinde poſſibilem eſſe ſtatum naturæ puræ.

XXXIV. NEſcio, quo modo poſſit ullus hoc tempore Catholicus dubitare, fueritne primi hominis integritas naturalis, an ſupernaturalis, poſtquam illæ, quas ſupra notavimus, propoſitiones a ſummis pontificibus damnatæ fuere. Fundatur autem hæc doctrina in ſcripturis. In Pſalmo octavo deſcribitur his verbis prima hominis creatio: *quid eſt homo, quia memor es ejus, aut filius hominis, quia viſitas eum? Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſupra opera manuum tuarum.* Caſus autem ejusdem deſcribitur in Pſ. 48. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Duobus hic modis indicatur fuiſſe primum hominem donis ſupernaturalibus ornatum. I. quia miratur Propheta hominem fere Angelis æquatum, eumque natura ſua corporatum, mortalem, animalium ceterorum affectibus obnoxium, ad eam gloriam evectum, ut parum omnino ab Angelis abeſſet. II. quia dona initio collata vocat *honorem* & *gloriam*, quæ abſque dubio aliquid extrinſecum, & ſuperadditum deſignant. Huc pertinet illud Eccleſi. 17. *DEUS creavit hominem de terra, & ſecundum ſe veſtivit illum virtute.*

Quo

Quo loco creatio refertur ad naturam, indumentum virtutis ad ſuperaddita dona. Parabolam item illam Luc. 10. de eo, qui in latrones incidens veſtibus ſpoliatus, & plagis acceptis ſemivivus relictus eſt, hanc inquam parabolam de jactura donorum, & virtutum (quam primus homo peccando fecit) exponunt communi conſenſu PP. S. Ambr. Theophylactus, Baſilius, & Auguſtinus l. 2. quæſt. Ev. q. 19.

XXXV. Argumentum II. deſumitur ex teſtimoniis veterum Patrum. S. Baſilius L. de. Sp. S. C. 16. *Sanctificatio*, inquit, *non eſt abſque ſpiritu, non enim natura ſanctæ ſunt cælorum virtutes . . . ſanctificationis menſuram a Spiritu Sancto habent.* Neque dubitari poteſt, quin quod de Angelis Baſilius ſcripſit, idem in primum hominem apte conveniat. Non igitur natura ſanctus fuit primus homo, ſed ſanctitatis menſuram a Spiritu Sancto acceperat. Chryſoſtomus Hom. 15. in Geneſ. de primis parentibus, qui cum eſſent nudi, tamen ob juſtitiam originalem non erubeſcebant, ita loquitur: *gloria, quæ ſuperne venerat, erant veſtiti.* En comparatur juſtitia originalis indumento ſuperne venienti; ut intelligatur eam non ex naturæ principiis; ſed e cælo, ac ſupra naturæ conditionem acceſſiſſe. Similia habet S. Cyrillus *l. 1. in Joan. C. 9.* Et *l. de adorat. in Spir.* Neque his diſſimilia tradunt PP. Latini, S. Ambroſius, Hieronymus, & Auguſtinus. Hujus pro reliquis ſententias audiamus.

Libro 13. de Civit. Dei C. 13. de primis noſtris parentibus ſic ait: *poſtquam præcepti transgreſſio facta eſt, gratia deſerente divina, de corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt . . . ſenſerunt ergo novum motum inobedientis carnis ſuæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ.* Si ergo deſerente gratia divina cæperunt carnis inobedientis motus ſentire; igitur non natu-

natura, ſed gratia erat divina, quæ prius illos continebat. L. 4. contra Julianum C. ult. ita loquitur: *quid eſt guſtato cibo prohibito nuditas indicata, niſi peccato nudatum quod gratia contegebat? gratia quippe DEI magna ibi erat, ubi terrenum, & animale corpus beſtialem libidinem non habebat. Qui ergo veſtitus gratia non habebat in nudo corpore, quod puderet, ſpoliatus gratia ſenſit, quod operire deberet.* Si igitur donum integritatis in natura innocente fuit gratia, ſine eo creari potuit: nam quod eſt gratuitum, indebitum eſt naturæ, ejusque exigentiam ſuperat. L. autem 6. de Gen. ad Lit. 3. 25. de Adamo inquit: *mortalis ergo erat conditione corporis animalis; immortalis autem beneficio conditoris.* Ergo immortalitas non erat debita naturæ humanæ, ſed ei *mirabili DEI gratia præſtabatur*, ut rurſus ait D. Doctor l. 23. de Civ. DEI C. 20. Adde, quod idem S. Auguſtinus l. 3. de lib. arbitr. C. 20. 22. 24. non obſcure docet, potuiſſe creari hominem ſine juſtitia originali, neque eum locum in retractationibus correxit, ſed confirmavit potius, cum l. 1. retract. C. 9. ita ait: *ignorantia, & difficultas, etiamſi eſſent primordia hominis naturalia, nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet DEUS.* At ſi juſtitia originalis naturalis eſſet, non potuiſſet homo ſine ea creari, niſi DEUS rem naturaliter mancam, & imperfectam ſponte condere voluiſſet, quod abhorrere videtur ab ejus bonitate: *DEI enim perfecta ſunt opera*, Deut. 32.

XXXVI. Argumentum III. ex ratione petitur. Inprimis naturale eſt corpori animali ſenſu, & appetitu prædito concupiſcere bonum ſenſibile: naturale item eſt ſpiritui rationali concupiſcere bonum ſpirituale. Quare ſi fiat una natura ex ſpiritu, & corpore conflata, naturale illi erit habere diverſas, & inter ſe pugnantes propenſiones. Quod igitur primi homines ante peccatum pugna iſta diverſarum appetitionum carerent,

rerent,

rerent, donum erat naturæ indebitum. Deinde ideo adverſarii negant naturam humanam a Deo creari potuiſſe ſine juſtitia originali, quia natura humana, qualis nunc eſt, remota culpa, mala eſt, & neceſſario labitur in peccatum; quia concupiſcentia peccatum eſt, omnesque ejus motus, etiam rationem prævenientes, peccaminoſi. At quomodo quæſo quis peccare poterit per id, quod non eſt in libera ejus poteſtate? *concupiſcentia:* inquit Auguſtinus l. 1. contra Epiſt. Pelagii C. 13., *vocatur peccatum, non quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt.* Verum de hoc ipſo ex profeſſo agitur in tractatu de peccatis: hoc ſolum dicimus, ſi natura humana ſine integritate originali ex ſe mala foret, neceſſario ſequi, non poſſe hominem mortuum a Deo revocari ad vitam, niſi præditum originali juſtitia. Idem enim ſequitur abſurdum, ſive creetur, ſive reparetur a Deo natura mala: non enim reparatio illa minus eſt opus Dei, quam creatio. Et ſicut Deus diceretur auctor mali, ſi naturam originali juſtitia deſtitutam crearet; ſic etiam cenſeretur mali auctor, ſi naturam repararet. At conſtat ex ſcripturis multos a mortuis excitatos divina virtute, qui extra dubium in nova illa vita juſtitia originali carebant: ſi igitur Deus animas conjungere potuit corpori mortali, animali, concupiſcentiæ, & ignorantiæ obnoxio; cur non potuit initio animas ſimili corpori conſociare?

Reſolvuntur objecta adverſariorum.

XXXVII. JAnſeniani ſequentes magiſtrum ſuum (qui integris tribus libris, ſtatus naturæ puræ repugnantiam probare eſt adgreſſus) Auguſtini præprimis auctoritates opponunt. I. D. Doctor, ajunt, in Enchir. C. 11. ſcribit, *quæcunque ſunt vitia animorum, naturalium eſſe privationes bonorum.* Sunt autem vulnera nobis ex peccato primi parentis

relicta, vitia quædam animorum: igitur ea vulnera naturalium ſunt privationes bonorum. Hoc autem ipſo juſtitia originalis, & prima illa naturæ humanæ integritas, cui privative vulnera opponuntur, erat naturalis.

II. S. Auguſtinus l. 12. de civ. DEI C. 1. ſic de Angelis loquitur: *cum vitium creaturæ Angelicæ dicitur, quod non adhæret DEO, hinc apertiſſime declaratur, ejus naturæ, ut DEO adhæreat, convenire.* Quod ſi naturale eſt Angelo adhærere DEO, naturale etiam erit homini: non igitur opus fuit dono aliquo ſupernaturali, ut primus homo DEO adhæreret, ac per hoc juſtus, ac rectus eſſet.

III. D. Doctor l. de corrept. & grat. C. 11. Et in Enchir. C. 106. ſcribit, felicitatem illam, per quam homo neque peccare, neque mori poterit, id eſt *vitam æternam* nunc eſſe munus gratiæ, quæ merces meriti futura erat, ſi primus homo in ſtatu innocentiæ permanſiſſet. Sequi hinc videtur, ut in ſtatu innocentiæ nulla gratia opus eſſet ad vitam æternam promerendam, ac per hoc juſtitia originalis, & ipſa charitas, per quam meremur, non donum gratiæ, ſed conditio naturalis primis parentibus fuerit.

IV. L. 3. de lib. arb. C. 18. dicit, ignorantiam, & concupiſcentiam non eſſe *naturam inſtituti hominis, ſed pœnam damnati.* Igitur immunitas ab illis malis non eſt gratia ſecluſo peccato.

R. ad I. D. Doctorem eo loco per *bona naturalia* non formas, ſed ſubjecta intelligere, ut ejus ſententia ſit, mala illa quæ dicuntur vitia, privationes eſſe naturalium bonorum, quia in bonis naturis inſunt, eaſque contrariis virtutibus privant. Quod ſi hoc ſenſu allata verba accipiamus, noſtræ ſententiæ non ob-

obſtant. Neque enim negamus animos humanos, qui virtutibus privantur ſuccedentibus vitiis, naturalia bona dici debere, & eſſe. Accedit ſermonem ibidem eſſe de vitiis, quæ ſunt habitus quidam per iteratos malos actus acquiſiti, non de concupiſcentia, ignorantia, infirmitate, & malitia, cum quibus naſcimur.

R. ad II. eo loco docere Auguſtinum, naturæ Angelicæ convenire, ut per charitatem adhæreat Deo, & in hoc diſtingui a naturis ratione carentibus, quibus non convenit, ut per charitatem adhæreant Deo, ac de ipſo beatæ ſint. Sed non docet Angelorum naturæ id naturaliter convenire, quaſi poſſent ſolis ſuis viribus Deo per charitatem inhærere, aut certe quaſi donum charitatis infuſæ neceſſario debeatur, atque debitum, & non gratuitum dici debeat. Quin potius contrarium diſertis verbis docet eodem l. C. 9. ubi diſtinguit naturam a charitate, quam gratiam vocat, & non per creationem, ſed per Spiritum S. diffuſam eſſe ſcribit. Denique nihil aliud hic de Angelis dicit, niſi quod de hominibus dixit de Prædeſt. SS. C. 8. *poſſe habere fidem, & charitatem, naturæ eſſe hominum, habere autem, gratiæ fidelium.*

Ad III. ajo: ſicut merita vitæ æternæ nobis poſt lapſum ſunt ex gratia, ita & Angelis ſanctis, & ipſi Adæ ante lapſum fuerunt ex gratia: ac proinde in omni ſtatu vita æterna & merces eſt, & gratia. Non potuiſſe Angelos, aut primum hominem in ſtatu innocentiæ, meritum vitæ æternæ habere ſine gratia, docet his verbis in loco citato additis: *quamvis ſine gratia nec tunc ullum meritum eſſe potuiſſet.* Vitam autem æternam poſt lapſum Adæ non eſſe ſolam gratiam, ſed & mercedem in Ep. 105. ad Sixtum his verbis aſſerit: *ſimul merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors, ita merito*

 juſti-

juſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna. Cur autem, inquies, D. Auguſt. l. cit. dicit nobis vitam æternam eſſe gratiam, quæ merces meriti futura erat, ſi Adam non peccaſſet? R, quia nos poſt peccatum Adæ indigni facti ſumus beatitudine, & digni miſeria ſempiterna; neque poſſumus inde emergere, niſi ex nova DEI benignitate. Relate igitur ad hanc benignitatem, qua non eguerunt Angeli ſancti, neque primus homo, ſi non peccaſſet, eguiſſet, dicitur nobis beatitudo donum gratiæ, quæ alioquin merces meriti futura erat.

R. ad IV. loquitur D. Doctor *l. c.* de natura, qualis fuit in primo homine, non qualis eſſe potuit. Nam in eodem libro (ut ſupra notavimus) idem Auguſtinus ſcribit: ſi ignorantia, & difficultas eſſent hominis primordia naturalia, non potuiſſe reprehendi, ſed laudari creatorem. Et copioſe diſputat C. 20. & ſequentibus potuiſſe hominem creari, qualis nunc naſcitur, etiamſi nullum peccatum ante præceſſiſſet.

XXXVIII. Contra ſtatum naturæ puræ, qui in propoſita noſtra aſſertione dicitur eſſe poſſibilis, opponitur I. DEUS non potuit creare hominem ſine ordinatione ad finem ſuum ultimum; igitur nec potuit eum creare ſine juſtitia, & ſanctitate ad illum finem aſſequendum ordinatis. II. Non potuit DEUS creare hominem in eo ſtatu, in quo homo non poſſet amare DEUM propter ſe; atqui in ſtatu naturæ puræ homo non poſſet amare DEUM propter ſe: error enim Pelagii eſt, amorem DEI propter ſe haberi poſſe ſolis naturæ viribus.

R. *Diſt.* primam propoſitionem. DEUS non potuit creare hominem ſine ordinatione ad finem ultimum vel naturalem, vel ſupernaturalem, *conc.* ſine ordinatione ad finem ſupernaturalem, *nego.* Duplex itaque eſt finis, nempe naturalis, & ſupernaturalis. Ille conſiſtit in perfecta aliqua, attamen na-

turali

turali, contemplatione DEI abſtractiva, & amore DEI ut auctoris naturæ, qui viribus naturæ non depravatæ elici poteſt. Supernaturalis vero finis conſiſtit in conſpectu DEI intuitivo, & ejusdem amore huic viſioni proportionato. Potuit DEUS hominem ad alterutrum finem ordinare, & in præſenti quidem providentia ordinavit ad ſecundum; ad primum vero ordinaſſet, ſi in puris naturalibus condidiſſet. Hinc diſtingui debet etiam id, quod additur: in ſtatu naturæ puræ, homo non poſſet amare DEUM propter ſe amore ſupernaturali, *conc.* naturali, *nego.* Potuiſſet igitur homo in ſtatu puræ naturæ diligere DEUM amore naturali, ad quem ſufficere poſſunt media naturalia; etſi eum amare non potuiſſet amore ſupernaturali, ad quem requiritur gratia, qua in illo ſtatu donatus non fuiſſet. Pelagius erravit, quia id aſſeruit de amore DEI ſalutari, & conducente ad beatitudinem ſupernaturalem, qui certe abſque ſupernaturali auxilio poni non poteſt; ſed in ſtatu puræ naturæ locum non habet.

Inſtant: amor DEI naturalis fictitius eſt, & impoſſibilis: nam D. Auguſtinus ad amorem DEI purum, & caſtum, qui eſt amor benevolentiæ, exigit ſpiritum gratiæ divinæ, l. 5. contra Jul. C. 3. Item aliis in locis ad diligendam rectitudinem, veritatem, & juſtitiam (quæ per eum ſolus DEUS eſt) requirit ſpiritum gratiæ, & Charitatis. Rurſus l. de gratia C. 57. docet, ſine ſpiritu gratiæ, & charitate non poſſe aliud dari niſi peccatum. Et l. de ſp. & lit. ait, non poſſe diligi juſtitiam, & DEUM, niſi ex dono gratiæ. Denique Enchir. C. 117: inquit, *regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt charitas;* ubi per charitatem, ſupernaturalem, & ad ſalutem diſponentem intelligit.

R. amorem DEI naturalem fictitium non eſſe, conſtat ex duplici damnata Baji propoſitione, quarum prima ita habet:

diſtinctio illa duplicis amoris , naturalis videlicet , quo DEUS amatur ut auctor naturæ ; & gratuiti , quo DEUS amatur ut beatificator, vana eſt , & commentitia , & ad illudendum ſacris literis & plurimis veterum teſtimoniis excogitata. Altera ſic habet : *omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur : aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum S. in corde diffuſa, DEUS amatur.*

Quantum momenti noſtræ ſententiæ adferat auctoritas Auguſtini , N. 35. vidimus : ceterum in locis citatis S. Doctor loquitur de amore duntaxat meritorio vitæ æternæ, adeoque ſupernaturali. Quod autem amoris naturalis non meminerit, minime ſequitur, eum de omni DEI amore poſſibili eſſe locutum. Nam cum contra Pelagianos ageret, ſatis ei erat, loqui de actibus ſalutaribus , & ſupernaturalibus, atque oſtendere, ad eos requiri gratiam. Rurſum quando ait : *ſine ſpiritu gratiæ non poſſe dari, niſi peccatum ; non poſſe diligi DEUM, niſi ex dono gratiæ ; regnare cupiditatem , ubi non regnat charitas :* de ſtatu naturæ lapſæ ſermo eſt, in quo homo ſine charitate moraliter loquendo diu in bono perſeverare non poteſt, quando moraliter neceſſe eſt, ut qui nolit ſervire charitati, non adeo poſt ſerviat iniquitati.

XXXIX. Opponitur III. ſi juſtitia originalis fuiſſet homini indebita , ſequitur concupiſcentiam carnis futuram fuiſſe naturalem, ac per hoc bonam , & a DEO: At Joannes in 1. Epiſt. C. 2. dicit eam *non eſſe ex Patre, ſed ex mundo.* Et Paulus ad Rom. 7. dicit ſe eam odiſſe : & Auguſtinus l. 6. contra Jul. C. 5. & alibi multis in locis probat eam eſſe malam , ac naturæ contrariam. Certe DEUS non potuit creare hominem cum eo quod ad peccatum inclinat ; atqui concupiſcentia inclinat ad peccatum. Reſpondet huic argumento

mento Bellarminus, concupiſcentiam carnis nunc quidem peccati pœnam eſſe; homini tamen condito in puris naturalibus fuiſſe naturalem, non quidem ut bonum aliquod naturæ, ſed ut defectum, & quaſi morbum naturæ, ex conditione materiæ conſequentem. Rectiſſime igitur dici judicat, eam non eſſe ex DEO, odio, non amore dignam, malam, naturæque contrariam, propter duas cauſas, primum quia non ex intentione naturæ auctoris, ſed præter ejus intentionem in homine extitiſſet, ſi ille creatus fuiſſet in puris naturalibus. Deinde quia DEUS illam ſuſtulerat, & ex ipſius hominis culpa locum in nobis habet.

Mentem Bellarmini ut intelligamus, diſtingui debet inter potentiam, & actum concupiſcendi. Si concupiſcentia primo modo ſumatur, eſt perfectio, & bonum naturæ, nec aliquam cum recta ratione repugnantiam habet; adeoque a DEO eſſe poteſt. Nam ſicut abſurde diceretur, intellectum, & ſenſum non poſſe eſſe a DEO, quia intellectus errare, & ſenſus falli poteſt circa objecta ſenſibilia; ita & abſurde diceretur, appetendi, & concupiſcendi facultatem a DEO non eſſe, quia tam indeliberate, quam deliberate, objecta illicita proſequi poteſt. Si vero concupiſcentia pro ipſis actibus ſumitur, horum aliqui mali ſunt, & cum recta ratione pugnant, quibus nempe appetimus illicita, & rectæ rationi contraria: alii mali non ſunt, ſed potius rationi conſentanei, quibus objecta honeſta appetimus; hos autem, non illos, poſſe eſſe a DEO, ut ſpecialiter eos procurante, planum eſt. Concupiſcentia igitur nobis relicta ex peccato Adæ, peccatum dicitur, quia allicit ad peccatum, eo fere ſenſu, quo vitulus aureus Deut. 9. peccatum dicitur, quia aliquo modo cauſa fuit idololatriæ: Hinc Auguſtinus l. 2. de Gen. C. 14. *ſi ratio*, inquit, *commotam cupiditatem refrænat, non labimur in peccatum . . . ſi*

au-

autem ratio conſentiat, peccatum imputatur. Videri hac de re poteſt ejusdem *l.* 1. *C.* 13. *contra duas Epiſtol. Pelag.*

Si natura humana, inquies, per Adæ peccatum donis illis gratuitis & ſupernaturalibus eſt privata; cur Tridentinum dicit, Primum hominem Adam non tantum amiſiſſe ſanctitatem, ac juſtitiam, ſed & *ſecundum corpus, & mentem in deterius commutatum fuiſſe.* Suarius reſpondet naturam lapſam debiliorem eſſe, quam fuiſſet natura pura, ex triplici capite. I. quod propter peccatum originis ſpeciali illa Dei protectione careat, & auxiliis ordinis naturalis, quæ haberet natura pura. II. quod per peccatum redacta ſit in ſervitutem dæmonis, a quo variis tentationibus exagitatur. III. quod propter humorum intemperiem ex vitiis progenitorum ortam, effrenatam magis concupiſcentiam experiatur. Hinc S. Auguſtinus l. de Nat. & Grat. C. 3. ait: *natura humana medio indiget, quia ſana non eſt: vitium vero, quod iſta naturalia contenebrat, & infirmat, ut illuminatione, & curatione opus ſit, non ab inculpabili artifice eſt contractum, ſed ab originali peccato.*

CAPUT VI.

DE LAPSU, POENA, RESIPISCENTIA, AC SALUTE PRIMI HOMINIS.

Differuimus hactenus de gratia primo homini collata: nunc de gratiæ ejusdem amiſſione, & inde conſequentibus malis differamus. Tentationem primis hominibus a ſerpente factam, deſcribit Moyſes Gen. 3. his verbis: *dixit* (ſerpens) *ad mulierem: cur præcepit vobis DEUS, ut non comederetis de omni ligno paradiſi? cui reſpondit mulier: de fructu lignorum,*

quæ

quæ ſunt in paradiſo veſcimur. De fructu vero ligni , quod eſt in medio paradiſi præcepit nobis DEUS, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem ſerpens ad mulierem : nequaquam morte moriemini. Scit enim DEUS, quod in quocunque die comederitis ex eo , aperientur oculi veſtri : & eritis, ſicut Dii ſcientes bonum & malum. Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum . . . tulit de fructu illius, & comedit : deditque viro ſuo, qui comedit. Loquendum igitur primum de iis , quæ primorum parentum peccatum præceſſerunt.

§. I.

De præcepto Dei & tentatione ſerpentis.

XL. NOn immorabimur hic refutando illorum errori, qui, ut refert Lutherus in comment. 1. C. Gen., dicebant, præceptum primis hominibus datum, ut de ligno ſcientiæ boni, & mali non ederent, non fuiſſe legem, ſed admonitionem tantum, qualia ſunt præcepta medicorum , cum aliquid noxium prohibent. Quod quidem confirmabant argumento ex principiis lutheranis ſatis apte deducto , quia nempe lex juſto non eſt poſita, ſed peccatori , ut Apoſtolus ſcribit 1. ad Timoth. 1. primi autem homines in paradiſo degentes juſti erant conſenſu omnium. Et quoniam ubi non eſt lex, nec prævaricatio eſſe poteſt, ut idem Apoſtolus docet Rom. 4. colligebant, primos homines, cum pomum vetitum guſtaverunt, nec incidiſſe, nec incidere potuiſſe in prævaricationem, ac per hoc nec in peccatum, cum peccatum ſit ἀνομία; ſeu prævaricatio legis, teſte Joanne in 1. Ep. C. 3. ſed hic error adeo eſt abſurdus, ſcripturisque , ac communi ſenſui contrarius, ut refutatione non egeat.

Varias hujus præcepti cauſas protulerunt SS. PP. Inter quas duæ potiſſimum adferuntur. Primo finem legis fuiſſe ajunt, ut homo cognoſceret ſe DEO ſubjectum, atque adeo ſibi obediendum eſſe. Nam ut ait Auguſtinus l. 14. de civ. DEI, breviſſimo illo, leviſſimoque mandato: *de ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas*, DEUS *ſe eſſe dominum commonebat.* Deinde, ut idem habet de corrept. & grat. C. X., quoniam magnum eſt obedientiæ meritum, ſapientiſſime inſtitutum eſt, ut ſervando præcepto homo ſuam exerceret obedientiam. Utramque cauſam complexus eſt idem D. Doctor L. II. de peccatorum meritis C. 21. Quis igitur dubitet, æquiſſimam fuiſſe legem principio homini latam? unde execratione digna eſt Ophitarum blaſphemia, qui aſſerere audebant, DEUM ex invidia eſum illius ligni interdixiſſe Adamo, ne comedendo ex illo ſcientiam boni, & mali acquireret. Neque quis accuſet nimium legis rigorem, quæ minimæ transgreſſioni pœnam innumerabilium calamitatum addixerit. Nam non minimam, ac levem, ſed graviſſimam fuiſſe primorum hominum culpam, duplex eſt ratio, quarum utraque S. Auguſtini auctoritate corroboratur. Prior ratio ſumitur ex facilitate non peccandi, quæ major fuit in primo, quam in aliis hominibus unquam. Habuit enim præceptum unum tantum, idque leviſſimum; habuit multa, quæ ad ſervandum impellerent, DEI jubentis auctoritatem, & graviſſimas pœnas transgreſſori propoſitas: caruit concupiſcentia, quæ ad peccandum induceret; ut habet D. Auguſt. l. 14. de civ. DEI C. 12. & 15. Altera ratio ducitur ab ingratitudine primi hominis, qui plurima in paradiſo habuit DEI beneficia. *Contemptus eſt DEUS*, ait D. Doctor l. cit., *qui hominem creaverat, qui ad ſuam imaginem eum fecerat, qui ceteris animalibus præpoſuerat, qui in paradiſo conſtituerat, qui rerum omnium, ſalutisque copiam præſtiterat &c.* Sed videamus, quis fuerit tam pernicioſæ inobedientiæ auctor.

XLI.

XLI. De primorum hominum tentatore varii errores extiterunt. Ophitæ(ut veteres PP. quam plurimi teſtantur) ſapientiam Dei ſerpentem illum fuiſſe dicebant, qui primorum hominum oculos ad dignoſcendum bonum, & malum aperuit. Idem fere poſtea docuit Manichæus teſte Auguſtino l. de Hæreſ. C. 46. Origenes omnia ad allegoriam transferens, ſerpentis nomine deſignari putat delectationem, quæ ſenſum, id eſt Evam, ita ſeducit, ut hic ſenſus mentem, id eſt Adamum, ad conſentiendum inflectat. Non defuerunt, qui aſſerebant diabolum induiſſe corpus phantaſticum ad ſimilitudinem ſerpentis.

Contra hos omnes aſſerimus, ſuaſorem primi peccati fuiſſe diabolum, qui, ut mulierem alloqueretur, uſus eſt vero, ac naturali ſerpente tanquam inſtrumento. Primum manifeſtum eſt ex variis ſcripturæ locis. Sic Sap. 2. dicitur: *invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Joan. 8. Chriſtus ita ait: *vos ex Patre diabolo eſtis . . . ille homicida erat ab initio.* Homicida autem ab initio non aliter fuit (ut teſtatur S. Leo) niſi quia primos homines veneno ſuæ mortificavit invidiæ. Teſtatur quoque in Apocalypſi S. Joannes C. 12. *ſerpentem antiquum vocari diabolum, & ſatanam, qui ſeducit univerſum orbem.* Hos vero textus in hoc ſenſu intelligunt plerique Patres, tum ii, qui librum Geneſeos interpretantur, tum qui de hoc argumento ſcripſerunt. V. Bellarm. l. 3. de ſtatu peccati C. 3.

Verum illum, & naturalem ſerpentem fuiſſe (quo inſtrumento, & organo Diabolus ſit loquutus) probant multi ex maledictione illa ad ſerpentem prolata: *quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ: ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ;* quæ dicta ajunt in verum, & naturalem ſerpentem convenire. Sed

multi etiam ſcripturæ interpretes putant, ex hac maledictione naturam ſerpentis certo deprehendi non poſſe. Aliud igitur argumentum partim ſumimus ex ſcriptura, qua ſerpens cum aliis terræ animantibus comparatur: partim ex ſummo conſenſu Patrum, qui docent, verum illum fuiſſe ſerpentem; ut Chryſoſtomus, Baſilius, Epiphanius, Auguſtinus *(l. II. de Gen. C. 2.)* & alii.

Inſinuaſſe hic ſufficiat errorem Zwinglii, Calvini, aliorumque novatorum, qui voluerunt, DEUM decreviſſe, ut primi homines laberentur, inſano hoc argumento inducti, quod non potuerit DEUS aditum patefacere miſericordiæ, ac juſtitiæ ſuæ, niſi homo per peccatum miſer, & ſupplicio dignus efficeretur. Verum præterquam quod DEUS non poſſit eſſe auctor peccati: magis, quam illis ſectariis, credendum eſt Apoſtolo Petro dicenti, *DEUM velle neminem perire* 2. Pet. 3. Et Paulo affirmanti, *non eſſe facienda mala, ut veniant bona*, Rom. 3. & Sapienti concionanti, DEO *non eſſe neceſſarios peccatores*; Eccleſ. 15.

§. II.

Quale fuit primum primorum hominum peccatum?

XLII. DIverſæ quidem inter ipſos veteres Patres videntur fuiſſe opiniones de lapſu primi hominis; ſed plerique hæretici primum peccatum reponunt in infidelitate, quibus præivit Lutherus in Comment. 3. C. Gen. Et Calvinus l. 2. Inſt. C. 1. Probare id contendunt tum ex verbis ſcripturæ, tum ratione. Nam ſcriptura Gen. 3. refert, ſerpentem hoc potiſſimum perſuadere conatum eſſe mulieri, ut crederet ſe non morituram; & mulierem non prius auſam reſpicere

cere

cere poma illius arboris, quam audiſſet: *nequaquam moriemini. Scit enim DEUS, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii, ſcientes bonum, & malum.* Ratio autem id ſuadet, ut ſicut initium, & radix juſtitiæ eſt fides, ita radix, & initium peccati ſit infidelitas. Addit Calvinus, nunquam repugnare imperio divino auſum fuiſſe Adamum, niſi verbo Dei incredulum.

At ſententia Theologorum Catholicorum communis eſt, in transgreſſione primorum parentum plurium quidem peccatorum reperiri complexionem; ſed primum peccatum fuiſſe ſuperbiam. Ac primo quidem Evam non uno peccato deliquiſſe, ſatis conſtat; fuit enim *ſuperba* Dei ſcientiam affectans, *inobediens* divinum præceptum transgreſſa, *curioſa* fructum vetitum contemplando, *impœnitens* propriam malitiam excuſans, & viro ſuo *ſcandaloſa*, eundem trahens in perditionem. Et tribus etiam modis ſerpens illam tentavit: infidelitate, ne crederet ſe morituram; immoderata cibi aviditate, ut de ligno ſcientiæ comederet; & inani gloria, ac promiſſione divinitatis, cum dixit: *eritis ſicut Dii.* His omnibus ſceleribus ſe Adam inquinavit, peccans etiam amore in mulierem inordinato, eo iniquior, quo in dignoſcendis diaboli fallaciis ſapientior, ac fortior ad has repellendas.

XLIII. Horum peccatorum primum fuiſſe ſuperbiam, loquuntur divinæ literæ, SS. PP. et ratio ipſa. Eccleſ. 10. dicitur: *initium ſuperbiæ hominis apoſtatare a DEO, quoniam ab eo, qui fecit eum: receſſit cor ejus.* Et rurſum: *initium omnis peccati ſuperbia.* Quo loco ſapiens dupliciter oſtendit, ſuperbiam eſſe vitium maxime deteſtabile. Primum, quia principium ſuperbiæ humanæ, id eſt primus actus ſuperbiæ hominis, apparuit in illa defectione primi hominis, qui a

DEO Creatore ſuo ſponte receſſit, nolens ſubjici ejus imperio Deinde quia illa primi hominis ſuperbia initium fuit omnis peccati, ſeu omnium peccatorum, quæ ab hominibus committuntur. Quod idem Tobias confirmat illis verbis C. 4. *ſuperbiam nunquam . . . dominari permittas. In illa enim initium ſumpſit omnis perditio.* Quamvis autem hæc loca referri poſſent ad peccatum Angeli, quod fuit abſolute omnium primum; credibilius tamen eſt, Eccleſiaſticum, & Tobiam reſpexiſſe ad primum peccatum primorum hominum, quod notius erat vulgo, quam peccatum Angeli. Pro reliquis Patribus audiendus eſt Chryſoſtomus, & Auguſtinus; ille enim Hom. 16. in Gen. Sic loquitur: *igitur ut divinitatem mente ſua imaginata eſt, ad eſum properavit.* Hic l. 14. de Civ. DEI C. 13. *in occulto*, inquit, *mali eſſe cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, niſi præceſſiſſet mala voluntas. Porro malæ voluntatis initium, quid potuit eſſe, niſi ſuperbia? initium enim omnis peccati ſuperbia, quid eſt autem ſuperbia, niſi perverſæ celſitudinis appetitus?* His verbis apertiſſime adverſatur S. Doctor illi ſententiæ, quam Lutherus ac Calvinus tuentur. Certe non potuit mens primorum parentum divino lumine illuſtrata in errorem induci, niſi antea per averſionem a DEO lumine illo deſtituta fuiſſet, ut Auguſtinus in eodem loco ratiocinatur: infidelitatem igitur primorum parentum præceſſit averſio a DEO, & peccatum; præſertim cum juxta eundem mater infidelitatis ſit ſuperbia, quæ igitur illam antevertere debet, ne filiam matre antiquiorem faciamus.

XLIV. Tranſgreſſionem divini mandati ſubſequutæ ſunt pœnæ multiplices. Prima pœna *quoad corpus* fuit ejectio a beatitudine in hujuſce vitæ miſerias, famem nempe, ſitim, dolores, labores, & altera pœna fuit mors corporalis. Utraque

que deſcribitur Gen 3. quando Deus dixit mulieri : *multiplicabo ærumnas tuas . . . in dolore paries filios*, *& ſub viri poteſtate eris.* Et Adamo: *maledicta terra in opere tuo . . . in ſudore vultus tui veſceris pane*, *donec revertaris in terram*, *de qua ſumptus es* &c. *Quoad animam* prima pœna fuit ſpoliatio donorum ſupernaturalium juſtitiæ nempe originalis ; altera vulnus facultatum naturalium , nempe ignorantia, concupiſcentia &c. quæ vulgo fomes peccati dicitur. Dixi; *vulnus facultatum naturalium :* quia licet naturalia in Adamo peccante fuerint ſauciata, non fuerunt tamen omnino extincta , ut docet Tridentinum Seſſ. 5. Can. 1. Tertia pœna fuit mortis æternæ debitum morale, quod Adamus per ſuum peccatum contraxit, & in hanc miſeram ſortem omnes poſteros traxit , a qua non poſſunt reſurgere , niſi per merita mediatoris noſtri J. C. qui nos Deo reconciliavit in ſanguine ſuo , factus nobis juſtitia, ſanctificatio, & redemptio; *niſi* enim *quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum DEI.* At enim horum tractatio prolixior eo pertinet, ubi de peccatorum pœnis ex profeſſo agitur.

§. III.

Utrum primi parentes ſalutem ſunt conſecuti?

XLV. Tatianus Aſſyrius Philoſophiæ , ac Eloquentiæ laude conſpicuus , lectione ſacrorum librorum ad fidem converſus , ac Juſtini Martyris diſcipulus eſt factus. Floruit ſeculo ſecundo celebris in Eccleſia Dei;atque inter ejus multa volumina unicus extat liber ad calcem operum S. Juſtini poſitus, cui titulus: *oratio ad Græcos.* Verum S. Juſtino magiſtro ſuo demortuo, ſcientia elatus , & in plures errores lapſus ſectæ Encratitarum nomen dedit A. 178. circiter. Hujus

jus diſcipulus fuit Severus quidam, a quo Severiani hæretici ſunt nuncupati. Hi ergo omnes Tatiani, Encratitæ, & Severiani præter alios errores docuerunt Adamum, & Evam eſſe damnatione perpetua in infernum detruſos propter primum ſuperbiæ, ac inobedientiæ peccatum.

Revocavit etiam in dubium ſalutem Adæ Rupertus Abbas Tuitienſis, qui ſub initium ſeculi XII. floruit. Iſtum aliqui cum Cardinale Gottio benigne excuſant, quaſi aliorum potius ſententiam, quam ſuam expoſuerit. Verum etſi Rupertus temeritatis notam inurat iis, qui temere quæſtionem hanc cum Encratitis definirent; nihilominus tamen expreſſe ait: *itaque quia de illo vetere Adam nihil uſquam boni operis invenitur, & novus Adam illi eſt oppoſitus: ſicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur; ſalvatio ejus & a multis libere negatur, & a nullo ſatis firmiter defenditur.* Excuſari potius Rupertus debet, quod non ſatis ei conſtaret de auctoritate libri ſapientiæ, de qua olim nonnulli dubitarunt: nullo enim alio divinæ Scripturæ teſtimonio Adæ ſalus aperte comprobatur. Id tamen Tatiano, ejusque aſſeclis minime ſuffragatur; hi enim non in ancipiti dubitatione prudenter verſati ſunt, ſed temere damnationis ſententiam in protoparentem pronunciarunt. Nunc ob divinam memorati libri auctoritatem, atque indubiam majorum traditionem non licet judicium ſuſpendere.

XLVI. Ajo igitur, Adamum egiſſe pœnitentiam de peccato ſuo, & ſalutem æternam aſſecutum eſſe per Chriſtum. Probatur autem celebri teſtimonio ex Sap. 10. v. 1. & 2. *Hæc* (id eſt ſapientia) *illum, qui primus formatus eſt a DEO Pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, & eduxit illum a delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia.*

Acce-

Accedit autem communis Patrum conſenſus : nam quotquot ſcribunt de hæreſibus , Tatianum reprehendunt. Irenæus huic hæretico ſynchronus l. 3. adverſus Hæreſ. C. 34. multis rationibus probat , primos homines ſalvos eſſe. Seculo 3. damnarunt hunc errorem Tertullianus l. 2. contra Marcionem, & Origenes hom. 35. in Matth. Proximo ſeculo Euſebius , Athanaſius , Hilarius , & Gregorius Nazianz. Orat. 18. de laudibus Cypriani. Denique Patres , ac Theologi univerſi , quorum ductor Auguſtinus Ep. ad Evodium 99. nunc 164. C. 3. ait : *Et de illo quidem primo homine patre generis humani , quod eundem ibidem ſolverit , Eccleſia fere tota conſentit : quod eam non inaniter credidiſſe credendum eſt , undecunque hoc traditum ſit ; etiamſi canonicarum ſcripturarum hinc expreſſa non proferatur auctoritas. Quamquam illud , quod in libro ſapientiæ ſcriptum eſt , hæc illum , qui primus factus eſt , Patrem orbis terrarum , cum ſolus eſſet creatus , cuſtodivit , & eduxit illum a delicto ſuo , & dedit illi virtutem continendi omnia , magis pro hac ſententia , quam pro ullo alio intellectu facere videatur.* Alia PP. teſtimonia videre eſt apud Bellarminum l. 3. de amiſſ. grat. C. 12. Nat. Alex. diſſert. 17. ſecul. 2. Unum addo , in litaniis , quibus utitur Clerus S. Mariæ Majoris Romæ, legi : *ſancte Adam , ora pro nobis.*

Exigui momenti ſunt argumenta , quæ opponuntur. I. enim ſupra citatus Rupertus graviter erravit , dum cenſuit librum ſapientiæ de canone non eſſe. Et quamvis in pluribus codicibus legatur: *eduxit illum de limo terræ* , pro *a delicto ſuo ;* retinenda tamen eſt vulgatæ lectio ; ut conſtat ex Græcis, Romaniſque codicibus , & ex Patribus , qui legerunt , *a delicto ſuo.* Hæc autem verba : *& dedit ei virtutem continendi omnia* , non pleniſſimam potentiam , ſed rerum terrenarum regimen indicant ; cum ſit in græco Κρατῆςαι πάντων *omnibus dominari.*

Cæpiſſe vero Adæ pænitentiam pie, ac probaliter credimus, quando dominicam ſententiam excepit, & rudibus brutorum pellibus indutus vitam miſerrimam egit. II. Ex eo, quod Apoſtolus in 1. ad Corinth. C. 15. 22. novum Adam opponat veteri, non ſequitur, in hoc eſſe omnem damnationem, ſicut in illo eſt omnis ſalus. Nam agit Apoſtolus ibidem de morte, & reſurrectione corporum: quamquam & in hoc novus Adam opponatur veteri, quod unus gratiæ, alter peccati ſit auctor. In altera autem Epiſt. Hebr. 11. etſi Apoſtolus Eccleſiam fidelium non ab Adam, ſed Abel exortam oſtendat, præcipue laudantur fideles, qui fidei cauſa aut mortem perpeſſi ſunt, aut futurorum promiſſionem ſingulari myſterio acceperunt; quorum primus erat Abel. III. opponitur quidem, ſed male, Bernardus, qui in libro de modo beate vivendi ſcribit: *Adam in infernum cecidit, quia inobediens fuit:* Et Gelaſius Papa qui librum, cui titulus: *Pænitentia Adæ*, inter apocryphos relegavit. Nam priorem librum non eſſe genuinum Bernardi opus, demonſtrat Bellarm. de ſcriptoribus Eccleſ. A. 1130. Præterquam quod illa verba ad ſolum reatum, & meritum damnationis referri poſſint. Gelaſius autem certum librum, & non pænitentiam Adami reprobat; ſicut etiam dum declarat apocryphos, qui inſcribuntur, *de infantia, & de nativitate Chriſti*, non ſubſtantiam rerum geſtarum, ſed librorum auctoritatem rejicit. IV. Adamo, non Angelis pepercit DEUS: ſeu quia ille imbecillioris fuit naturæ, ut docet Greg. l. 4. moral. C. 9., ſeu quia DEUS ſuorum beneficiorum Dominus Angelos juſto judicio, hominem miſericordiæ reſervare decrevit.

CON-

CONTROVERSIA V.

DE MYSTERIO SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

DE Deo uno, ejusque communibus perfectionibus egimus hactenus: ſupereſt, ut de Auguſtiſſimo Trinitatis Myſterio dicere inſtituamus; quo uno, velut fundamento, ſtat catholicæ ſtructura religionis, atque ab judæorum, ac gentilium pravitate utrinque ſejungitur. Totum argumentum, utilioris methodi cauſa, binas in partes ita diſtribuendum duximus, ut in priore divinarum perſonarum pluralitas, divinitas Filii, ac Spiritus Sancti, nec non hujus a Patre, Filioque origo vindicetur: in altera quæſtiones reliquæ, quæ in ſcholis utiliter agitari conſueverunt, breviter reſolvantur.

PARS I.

PROPUGNATUR MYSTERIUM TRINITATIS ADVERSUS HÆRETICOS.

I. UT, adverſus quos hoſtes nobis pugnandum ſit, ſciat Theologus, compendiaria eorum hæreticorum, qui contra adorandum Trinitatis Myſterium arma moverunt, hiſtoria erit prænoſcenda. Initium autem ducimus (omiſſis reliquis antiquioribus) a Sabellianis, quorum parens erat Sabellius Pentapolitanus circiter An. 57. Seculi tertii; etſi hanc hæreſin jam prius Noetus, Praxeas, Hermogenes, & Victorinus quidam ſint profeſſi: ut teſtatur Tertull. l. de præſcript. C. ult. Error horum omnium ejusmodi erat, ut dicerent, Patris, Filii, & Spiritus Sancti diverſa duntaxat nomina, & offi-

officia eſſe; atque ita omnem inter divinas perſonas realem diſtinctionem negarent. Itaque & *monarchici* dicti ſunt, nempe unicum non eſſentialiter, ſed perſonaliter etiam rerum Dominum profeſſi; & *Patripaſſiani*, quod Patrem æque, ac Filium paſſum eſſe, ac crucifixum blaſphemarent. Circa eadem tempora in eundem fere errorem incidit Paulus a patria Samoſatenus dictus, Patriarcha Antiochenus; negavit enim Chriſtum ſemper, & antequam naſceretur ex Virgine, fuiſſe; alium autem DEI Filium non agnovit. Damnata hæc hæreſis fuit in Alexand. Synodo, & rurſus cum Photiniana in Syrmienſi, & in concilio generali ſecundo, ſeu Conſtantinop. I.

II. Arius presbyter Alexandrinus circiter Annum 317. alteram a Sabelliana non minus nefandam induxit hæreſin, aſſerens, filium Patri non eſſe conſubſtantialem, ac proinde Chriſtum non DEUM, ſed creaturam puram eſſe. Qui error damnatus eſt in Concilio Nicæno generali I. A. 325. Sectatores Arii poſt hoc concilium in tres claſſes diviſi ſunt, ut conſtat ex Epiphanio, Hæreſi 73. & 74. Alii cum Aetio, & Eunomio Ariano errori mordicus adhærebant, aſſerentes filium eſſe Patri per omnia diſſimilem; unde a græca voce ἀνόμοιος Anomœi ſunt dicti. Alii partim cum Arianis conveniebant, partim diſcrepabant; nam Trinitatem negarunt quidem eſſe conſubſtantialem, eandem tamen in ſubſtantia ſimilem dixerunt. Unde Filium cum Arianis ὁμοούσιον, id eſt, conſubſtantialem eſſe negabant, & tamen contra eosdem ὁμοιούσιον, id eſt, ſimilem in ſubſtantia dicebant. Hi dicti ſunt Semi-Ariani, quorum caput fuit Baſilius Ancyranus. Tertia Arianorum claſſis non quidem negabat cum Eunomianis Filium eſſe Patri ſimilem, ſed nec cum Semi-Arianis eum ὁμοιούσιον ſeu ſubſtantia Patri ſimilem eſt confeſſa, hoc uno contenta, quod diceret Patri Filium ſimilem ſimpliciter, negaretque eum eſſe

unam

unam ex ceteris creaturis : quo quidem loquendi modo admitti videbatur ſimilitudo filii cum Patre, ſed quæ in ſola voluntatum conſenſione, non item in ſubſtantia, eſſentiaque conſiſteret. Atque hinc editæ ſunt ab Arianis, eorumque progenie variæ fidei profeſſiones, in quibus tamen hanc vocem ὁμοέσιος conſtanter repudiarunt.

Macedonius Epiſcopus Conſtantinopolitanus ex Semi-Arianorum ſecta, omnium, qui Spiritum Sanctum impugnavere, longe celeberrimus fuit circa Annum 359 : qui eam ob rem in Concilio ſecundo œcumenico damnatus eſt. Ejus diſcipuli dicti ſunt Macedoniani, & πνευματόμαχοι, quod ſcilicet Spiritui Sancto bellum indixiſſent. Sed recentiores videamus hæreticos, qui dudum proſcriptas Arii, Macedoniique hæreſes renovarunt.

III. Michael Servetus, Hiſpanus Medicus, ſeculo 15. ſeptem de Trinitate libros ſcripſit hoc nefando titulo : *de erroribus Trinitatis*, quibus poſtea duos alios addidit de Trinitate dialogos, utroſque majore impietate, quam eruditione conſpicuos: in iis autem ſanctiſſimam Trinitatem ſimul, & Chriſtum impugnat, huic abrogans divinitatem ; ab illa tollens omnem perſonarum diſtinctionem. Propter deteſtabiles iſtos errores vivus, agente Calvino, Genevæ eſt combuſtus. Socium habuit Valentinum Gentilem Neapolitanum ab eodem Calvino impugnatum.

Seculo 16. exorti ſunt Sociniani, ſeu novi-Ariani, peſſima Calvini progenies, ſic dicti, a Lælio, & Fauſto Socinis. Ille nobilis Senenſis, cum Eccleſiæ jugum excuſſiſſet, novam ſibi religionis formam finxit, qua Trinitatis, & Incarnationis myſteria funditus evertere voluit. Cum autem, ut iſti operi

liberius vacaret, in Poloniam ſeceſſiſſet, inde cum aſſeclis ſuis expulſus eſt edicto regio. Itaque poſt varias peregrinationes Tiguri tandem moritur, omnibus ſcriptis Fauſto Socino, fratris ſui Filio, eadem doctrina jam imbuto, relictis.

IV. Fauſtus ergo quam impietatem velut hæreditario jure acceperat, eandem augere, ac ſpargere deinceps intendit. Quare ex Italia Baſileam ſe conferens impium exaravit opus *de Jeſu Chriſto Servatore* circa annum 1578. in quo Chriſti divinitatem ſubruere totis viribus nititur. Tum cum miniſtris aliis errores ſuos per Poloniam præſertim, ac Tranſilvaniam diſſeminavit; unde ejus ſectatores appellati ſunt Sociniani, ſeu fratres Poloni, qui ex parvis initiis in immenſum fere creverunt, & varias inſident orbis ſeptentrionalis plagas.

Porro inter impia alia dogmata affirmant illi I. nullam eſſe, quam ceteri Chriſtiani adorant, Trinitatem; unum DEUM eſſe, & unicam ipſius perſonam: in quo cum Sabellianis ſentiunt. II. Patrem æternum ſolum eſſe hunc verum DEUM, ſolum æternum, & immutabilem; quod ab Arianis hauſerunt. III. Spiritum Sanctum non eſſe perſonam vere divinam, ac diſtinctam, ſed DEI duntaxat virtutem, & efficaciam. IV. Chriſtum eſſe purum hominem, qui ante beatam Virginem nullatenus extiterit, in quo ipſi cum Cerintho, Ebione, Paulo Samoſateno, Photino conveniunt. Contra hos igitur ſpeciatim nobis eſt pugnandum.

CAPUT I.

ASSERITUR CONTRA JUDÆOS, ET HÆRETICOS, TRES ESSE IN DEO PERSONAS AB SE INVICEM DISTINCTAS.

LIcet tam aperta mentio non fiat Trinitatis perſonarum in veteri Teſtamento, quam in novo; ſive quia periculum

erat,

erat, ne ſi pluralitas perſonarum Judæis aperte revelata fuiſſet, illi utpote ad cultum idolorum propenſiſſimi, plures eſſe Deos exiſtimarent, ſive quia Deus SS. Trinitatis manifeſtationem voluit Meſſiæ reſervari; multis tamen in locis Divinarum perſonarum pluralitas, ſimulque Trinitas ſatis aperte inſinuatur. Proferemus igitur I. contra Judæos loca veteris Teſtamenti. II. contra hæreticos teſtimonia novi teſtamenti. III. veterum Patrum conſtantem traditionem. Demum anti-Trinitariorum varii generis objecta refellemus.

§. I.

Proponuntur argumenta ex Veteri Teſtamento.

V. Pluralitas Perſonarum oſtenditur I. ex primo Geneſeos capite v. 26. ubi Deus hominem creaturus, *faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem*, & *ſimilitudinem noſtram. Et creavit DEUS hominem*, ait Moyſes, *ad imaginem ſuam: ad imaginem DEI creavit illum.* Hic verbum plurale *faciamus* plurium conſultationem, ac veluti conſenſionem, adeoque plures Perſonas notat: ſingulare autem *ad imaginem*, & *ſimilitudinem noſtram* unitatem eſſentiæ proponit. II. Gen. 3. Deus Adamum, qui cum Deo ſimilitudinem affectabat, irridens, *Ecce*, inquit, *Adam ſicut unus ex nobis:* quo ſane plures perſonæ notantur; abſurdum quippe foret unam, ac ſingularem perſonam de ſe ipſa ſola ita loqui: *ſicut unus ex me.* III. in eodem l. C. 11. cum Deus vellet inſanos turris babylonicæ ſtructores plectere, pluralem etiam numerum uſurpat: *venite*, inquit, *deſcendamus*, & *confundamus ibi linguam eorum.* IV. Iſaias C. 6. v. 8. *Et audivi*, ait, *vocem Domini loquentis, quem mittam, aut quis ibit nobis?* & *dixi: Ecce ego: mitte me.* Unus ergo eſt Dominus, qui dicit, qui mittit, & tamen plures

res ſunt, quorum nomine, & juſſu it propheta. At nomine DEI prædicabant duntaxat Prophetæ.

Quocirca id, quod ſtatuimus, præſeferunt ſcripturæ verba. Sed gravis etiam accedit ratio, quæ ad ea ſic accipienda urget. Dicant enim Judæi, ſi plures non ſunt in DEO perſonæ, cur pluralem numerum Moyſes, & Prophetæ tantopere frequentent? Cur non dixit DEUS: *fiat homo*, ut antea, *fiat lux?* Cur cum dixiſſet, *deſcendit*, poſtea mutata loquendi ratione ait: *deſcendamus?* præſertim cum noverint ſacri ſcriptores Judæorum animos in idololatriam maxime propenſos, eosque ex ejusmodi loquendi formula occaſionem captare poſſe ad fingendam deorum multitudinem. Gravis igitur ratio ſubeſſe debuit, cur ita loquuti fuerint ſcriptores ſacri. Id quod ipſi Judæi, quamtumvis obtuſi, ſenſerunt. Rabbi enim Huna ſuo in Gen. minore commentario fatetur, hanc loquendi rationem extraordinariam eſſe, & niſi DEUS ipſe ita locutus eſſet, nemini ita loqui fas fore. Addunt Moyſen, cum a DEO afflatus ita ſcribere juberetur, manum ſuſtinuiſſe, & ab ipſo eſſe ſciſcitatum, cur hunc pluralem numerum adhiberi imperaret, ſed DEO nihilominus, ut ſcribere pergeret volenti, tandem obtemperaſſe. Quo ipſo confitentur quoddam myſterium latuiſſe: quod autem erit illud reconditum myſterium, niſi illud, quod prædicamus, SS. Trinitatis?

VI. Ut has auctoritates eludant Judæi, ac Sociniani, triplicem fere expoſitionem adferunt. Ajunt primo, DEUM, cum ait *faciamus*, *deſcendamus* &c. principum, ac illuſtrium virorum ritu, pluralem de ſe numerum uſurpare. Ita inter Judæos Saadias Haggeon, & inter Socinianos Volkelius L. 5. de vera relig. C. 9. Cujus quidem conſuetudinis multa exempla allegant. Secundo DEUM illic Angelos alloqui putant. Ita

Rab-

Rabbi Moimonides L. 2. more Nebochim C. 6. Et Aben-Ezra apud Manaſſem. Addit Socinus: Deum ſeſe more artificum ad hominis opificium hortari, ut Hannibal venenum hauſturus: *liberemus*, inquit, *diuturna cura populum Romanum*. Verum tria hæc effugia facile refelli poſſunt.

Ac primo quidem inauditum eſt viros illuſtres, cum ſolitarii ſunt, ſe ipſos nominare in plurali numero, eſto de ſe ita hodie loquantur, cum ſermonem ad ſubditos dirigunt: ſed mos ille Moyſis tempore nondum invaluerat, ut conſtat ex decurſu Pentateuchi, in quo ſemper inducit Pharaonem, Abimelech, aliosque viros principes de ſe in ſingulari numero loquentes; imo Deum ipſum alloquentem primos Patriarchas nomine ſingulari, *Ego ſum, qui ſum, ego Dominus DEUS veſter* &c. II. dici non poteſt Deum hic Angelos compellare: tum quia Moyſes Deum ſolum commemorat, tum quia Deus Angelos in mundi fabricationis conſortium non advocavit, tum quia una eſt eorum imago, ad quam homo creatus eſt. Atqui una non eſt Dei, & Angelorum imago, aut natura. Legimus quidem Deum aliquando cum Angelis colloquium, ac veluti concilium habuiſſe, v. g. Job. 1. 6. 3. Reg. 22. 19. Iſ. 6. Sed in minoris momenti negotiis, quæ ad eorum miniſterium pertinent. Præterea iis in locis diſerte nominantur. At in Geneſi de iis ne mentio quidem injicitur. III. Quod addit Socinus, olim his verbis refutavit Baſilius Hom. 9. in Hexam. *Quis faber, aut ærarius, aut lignarius ſolus ipſe quidem, nec alio quopiam ſtipatus, interque ſuæ artis inſtrumenta deſidens, ſibi ipſi admurmurat dicens: faciamus gladium, aut compingamus aratrum?* Atque etiamſi hæc loquendi conſuetudo locum haberet in hominibus, qui operum magnitudine facile ſuſpenſi hærent: obtinere non poteſt in Deo, qui neque indeterminatus eſſe poteſt, neque rerum faciendarum amplitudine deterreri,

VII. Sunt alii Scripturæ veteris textus, quibus duæ ſaltem Divinæ perſonæ indicantur. Gen. 19. 24. *Igitur Dominus*, inquit Moyſes, *pluit ſuper Sodomam*, *& Gomorrham ſulphur & ignem a Domino*. Ut vis hujus loci intelligatur, notandum, hic nomen יהוה non ſolum repeti, ſed & repeti cum tali emphaſi, ut exprimatur origo unius ab altero, nempe cum præpoſitione מאת *ex*, *ab*. Obſervandum rurſus, haberi iſthic nomen DEI primum, ac tetragrammaton, quod ubicunque occurrit, ſemper verum DEUM ſignificat, unde exponi nequit de Angelis, ut aliqui cum Grotio contendunt. Conſtat igitur ex allato textu duas ſaltem in divinitate eſſe perſonas, quarum una originem habet ex altera. Apte nempe hic intelligitur ſecunda Deitatis perſona, quæ & DEUS de DEO dicitur, & vindicis non minus, ac Redemptoris munus ſibi habet proprium. Hujus generis textus habentur Pſ. 44. *Sedes tua*, *DEUS*, *in ſeculum ſeculi; virga directionis*, *virga regni tui. Dilexiſti juſtitiam*, *& odiſti iniquitatem*, *propterea unxit te DEUS*, *DEUS tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Pſ. 109. *Dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis.* Quæ verba de Meſſia eſſe dicta veteres Judæi agnoſcunt, & Chriſtus indicat Matth. 22. Oſee 1. *Et domui Juda miſerebor*, *& ſalvabo eos in domino DEO ſuo.* Hic promiſſus eſt Judæis Salvator a DEO mittendus, qui ipſe quoque Judæorum DEUS eſt.

Teſtimonia autem, quæ tres ſimul perſonas exhibent, ſunt ſequentia. Pſ. 32: *verbo Domini cæli firmati ſunt*, *& ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Hic commemoratur Dominus, ſeu Pater, Verbum, ſeu Filius, & Spiritus Sanctus, a quibus mundus eſt conditus. Iſaiæ 6. *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, *Dominus DEUS exercituum:* ubi hæc trina DEI repetitio, ſive in ſolemnibus benedictionibus, ſive in DEI laudibus facta, non obſcure DEUM eſſe trinum innuebat. Iſ. 48. v. 16. *Accedite ad me*, *& audite hoc: non a principio in abſcondito lo-*

cutus

cutus ſum: ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus DEUS miſit me, & ſpiritus ejus.* Hic Iſaias non in perſona propria, ſed Chriſti, ſeu verbi Divini loquitur; ejusdem enim non interruptus ſermo eſt, qui ſe V. 12. primum, & noviſſimum compellat. Sed hæc lucem, ac robur accipient ex iis, quæ de Divinitate Filii ac Spiritus Sancti ex Veteri teſtamento ſpeciatim diſputabimus.

§. II.

Adferuntur argumenta ex novo teſtamento.

Ut in tanta argumentorum copia neceſſarius modus adhibeatur, ex iis quatuor ſeligemus inſigniora: ac primo quidem ex hiſtoria baptiſmi Chriſti. II. ex baptiſmatis ab ipſo inſtituti formula. III. ex promiſſione Spiritus Sancti ab ipſo paulo ante mortem facta. IV. ex teſtimonio ipſo Divinarum perſonarum.

VIII. Argumentum 1. ducitur ex C. 3. Matth. 1. Marci, & 3. Lucæ, ubi memoratur Chriſti baptiſmus, in quo tres perſonæ erant declaratæ. Pater, & Filius cæleſti illa voce: *hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* & Spiritus Sanctus, dum ſuper ipſum Chriſtum deſcendit *corporali ſpecie, ſicut columba.* Ad hoc teſtimonium elevandum reponunt Sociniani, deſignari iſthic perſonam filii adoptivi, non naturalis: Spiritus autem nomine non intelligi perſonam aliquam, ſed *Dei* virtutem, qua Chriſtus eſt donatus. Sed hoc reſponſo vim manifeſtam ſcripturis inferunt.

Nam quod pertinet ad Chriſtum, hic quidem de Filii qualitate, quæ ipſi competit, diſputandi non eſt locus: attamen æterni Patris verba ſatis oſtendunt Chriſtum ſingulari plane ratione dici *filium.* Tum enim in turba multi profecto erant

filii adoptivi , ac inprimis Joannes Baptiſta , quo nullus major inter homines natus fuerat. Igitur Chriſtus , ut a reliquis ſecernatur, Filius eſt proprius , ac naturalis, ex ipſa Patris ſubſtantia, ſeu ut dicitur Pſ. 109. *ex ipſius utero genitus.* Hinc tanta in ſermone eſt emphaſis ; nam in græco codice habetur : ὁ ὑιος μȣ , ὁ ἀγαπητὸς, *ille Filius meus*, *ille dilectus.* Quod ſpectat Spiritum Sanctum , quis non videt , eum tanquam peculiarem perſonam recenſeri. 1. enim eodem modo commemoratur , quo Pater , & Filius. 2. dicitur Chriſtus vidiſſe Spiritum Sanctum deſcendentem , atque adeo viſibiliter deſcendit. Quis autem dicat gratiam DEI viſibiliter deſcendere? 3. non niſi abſurde dici poteſt gratiam , & donum DEI ſpeciem aliquam corporalem aſſumpiſſe. Inficiantur quidem Sociniani ullam columbæ ſpeciem tunc apparuiſſe : ſed impudenter. Quid enim in ſcriptutis expreſſius ? ſi illas ita ad libitum contorquere licet, quid ſtabit immotum? Sed hæc licentia neceſſaria erat, ut nova religio fingeretur.

IX. Secundus locus depromitur ex Matth. C. 28. v. 19. ubi Apoſtolos alloquens Chriſtus : *euntes ergo*, inquit, *docete omnes gentes*, *baptiſantes eos in nomine Patris & Filii* , *& Spiritus Sancti.* Hic , ut patet , tres perſonæ numerantur, ſed omnium tamen unum nomen , ſeu natura , & auctoritas eſſe ſignificatur. Reponunt Sociniani baptizari *in nomine Patris &c.* nihil aliud eſſe, quam baptizari baptiſmo Patris &c. adeoque nomen ibi pro re ipſa accipi , ita ut ſenſus ſit , in baptiſmate intervenire Patrem, utpote qui ipſum inſtitui voluerit ; Filium , ut qui illud prædicaverit : Spiritum autem Sanctum, ut DEI virtutem, qua ablui credimus , qui baptizantur. At frivola omnino & contorta reſponſio. Nam baptizari in nomine alicujus idem ſonat ac ei ſeſe auctorare , ac devovere, cultumque, fidem, ac obſequium ſpondere. Quo-

ſen-

ſenſu de Hebræis, qui Moyſi ſe dederunt, ſcribit Apoſtolus 1. Corinth. 10: *omnes in Moyſe baptizati eſtis;* & idem Apoſtolus negat quemquam baptizatum in ſuum nomen eadem Epiſtola C. 1. nempe neminem ſibi mancipatum eſſe tanquam novi dogmatis auctori. Jam vero cum non minus in nomine Filii, & Spiritus Sancti, quam Patris baptizemur, non minus uterque erit Deus, quam Pater. Inſulſe certe diceretur nos baptizari in nomine alicujus efficaciæ.

Sed inquiunt Sociniani, dicimur Act. 19. baptizari ſeu ablui Spiritu Sancto; non abluimur autem perſona aliqua, ſed Dei gratia & charitate. Quaſi vero non dicamur etiam in baptiſmate induere Chriſtum: An ideo nec ipſe perſona erit? ſcilicet acuti illi philoſophi non diſtinguunt duplex cauſæ genus, quod vel tirones ipſi in ſcholis norunt, alterius quidem efficientis, alterius autem formalis. Spiritus Sanctus cauſa efficiens eſt, qua abluimur; charitas, & gratia cauſa formalis.

Inſtant. Iſraelitæ loco citato dicuntur in Moyſe eſſe baptizati, nec tamen ille erat Deus. Licet igitur in nomine Chriſti, ac Spiritus baptizemur, non idcirco divinitas illis eſt tribuenda. Latum omnino diſcrimen eſt inter utramque locutionem. Dicuntur Judæi in Moyſe baptizati, quia per Moyſen, ſeu illo duce, baptizati ſunt nube, & mari. Sed aliud eſt, ubi de baptiſmo gratiæ, & de fide, cultuque ſupremo agitur, in alicujus nomine baptizari: id enim fieri non poteſt, quin ſummam ille, hoc eſt divinam auctoritatem habeat. Et vero ſi in nomine Patris baptizari, ſonat ſupremam ipſius auctoritatem; cur eandem auctoritatem negabimus Filio, & ſpiritui, in quorum nomine ſimili ratione baptizamur?

X. Argumentum III. ducitur ex Cap. 14. Joan. 16. ubi conſolans Chriſtus diſcipulos paulo ante mortem ſuam, *ego*, inquit, *rogabo Patrem*, *& alium Paraclitum dabit vobis . . . Spiritum veritatis.* C. autem 15. *cum autem venerit Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre*, *ſpiritum veritatis*, *qui a Patre procedit*, *ille teſtimonium perhibebit de me.* In hoc loco diſerta fit trium perſonarum mentio, Filii rogantis, Patris rogati, & Spiritus miſſi. Ajunt Sociniani, qui rogat, qui mittitur, non poſſe eſſe DEUM, cum, qui mittitur, ſit inferior iis, a quibus mittitur. Verum infirma ſunt iſta. I. enim Chriſtus ex duplici natura conſtat. Rogat igitur ut homo, prout eſt mediator DEI, & hominum: ſed quatenus eſt DEUS, eadem omnia habet, quæ Pater Joan. 16. Quocirca oratio Chriſti unam fidei noſtræ partem adſtruit, ſed alteram non deſtruit. Deinde cum dicitur mitti ſpiritus, id non inferiorem conditionem arguit, ſed originem: non enim mittitur ut Servus, ſed ut DEUS ab illo, a quo mittitur, procedens. Sed de hoc alibi.

XI. Quartus, isque admodum vexatus locus in I. Joannis Epiſtola 5. legitur in hunc modum: *Tres ſunt*, *qui teſtimonium dant in cælo*, *Pater*, *Verbum*, *& Spiritus Sanctus*, *& hi tres unum ſunt.* Contra clariſſimum hoc teſtimonium duo obmovent Sociniani, ajunt enim primo, hæc verba non canonica, ſed textui eſſe aſſuta, cum in textu Syriaco, Arabico, & variis exemplaribus non reperiantur, atque aliqui etiam PP. contra Sabellianos, Arianos, & Macedonianos agentes, illo verſiculo uſi non fuerint. Deinde dicunt ſuppoſita etiam hujus loci ſinceritate, inde tamen nihil probari. Nam ſtatim ſubjicitur: *& tres ſunt*, *qui teſtimonium dant in terra*, *ſpiritus*, *& aqua*, *& ſanguis*, *& hi tres unum ſunt.* Quæ tria certe non ſunt unum quoad ſubſtantiam, ſed quoad commune duntaxat teſtimonium: nempe quatenus ex mente Apoſtoli

nt-

ut ſpiritus, ſeu magnus ille morientis Chriſti clamor, ita & profluus ex mortui latere cum aqua mixtus ſanguis puro homine majus aliquid hic mori, ac pendere eſt teſtatus.

Quod primum attinet, fatemur equidem in aliquibus codicibus verſum illum non reperiri; verum in multo pluribus reperitur, ut teſtatur Robertus Stephanus (in edit. novi teſt. quam A. 1550. adornavit) qui ex ſexdecim vetuſtis exemplaribus græcis, ſeptem ſolummodo notat, in quibus verſiculus ille non reperitur. Quod factum videtur incuria exſcriptoris, qui cum textum deſcripſiſſet uſque ad hæc verba, *quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant*, errante oculo, tranſivit ad V. ſequentem, ubi eadem verba repetuntur, atque ita V. 7. prætermiſit. Præferendi igitur ſunt codices, qui numero plures ſunt, & cum utraque Eccleſia latina & græca citatum verſiculum retinent. Plures certe veteres Patres, ac ſcriptores hunc Joannis verſiculum allegant; inter quos fuere Tertull. contra Praxeam C. 25. Cyprianus l. de unitate Eccleſiæ, Idacius Clarus l. adverſus Varimadum Arianum, Fulgentius l. ad objectiones Arianorum &c. Qui igitur ex PP. hujus verſiculi data occaſione non meminere, incidiſſe in codices mutilos ſunt dicendi. Videri de hoc argumento poſſunt Bellarminus, Tournelius, Habertus, & Bertius l. 7. de Trinit. C. 3. Contra alterum autem eſt, quod ſimilitudo ibidem tantum fiat in eo, quod & in cælo, & in terra tres teſtes divinitatis Chriſti conſpirent, qui quidem utrinque in ratione teſtis unum ſunt, ſed non eodem modo. Tres teſtes terreni æque veraces, atque in ratione teſtantis unum eſſe poſſunt, quin ſint unum quoad ſubſtantiam: tres teſtes in cælo, divini teſtes eſſe non poſſunt, quin ſint unum ſimul ſubſtantia, quia plures Deos aliunde ſcriptura repudiat. Teſtatur autem Joannes tres in cælo hos teſtes ita unum eſſe, ut conſpirent tres di-

divini teſtes, ut ſit trinum divinum teſtimonium, quod idcirco longe ſuperare debet omne in terris teſtimonium (*ſi teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium DEI majus eſt, quoniam hoc eſt teſtimonium DEI, quod majus eſt, quoniam teſtificatus eſt de filio ſuo*) tres ergo hi in cælo teſtes una ſubſtantia, unus DEUS eſſe debent.

§ III.

Idem dogma probatur auctoritate traditionis.

XII. CUm id genus argumenta plenius, ac copioſius poſtea, ubi de Filio, & Spiritu Sancto agetur, ſint exponenda; ea ſuccincte hoc loco adferemus, quæ ſanctiſſimam Divinarum perſonarum Trinitatem in una, eademque natura teſtantur.

Ex I. ſeculo plures in DEO Perſonas eſſe fatetur Clemens Romanus, in Epiſtola ad Corinthios, quam genuinam eſſe conſtat ex Irenæo, Clemente Al. Origene, Euſebio, & Hieronymo, qui illam citant. Ex qua D. Baſilius C. 24. de Sp. S. producit apertiſſimum illud teſtimonium: *vivit DEUS, & Dominus Jeſus Chriſtus, & Spiritus Sanctus.*

Ex ſecundo ſeculo veram Trinitatis fidem, ac traditionem oſtendunt Juſtinus, Irenæus, & Athenagoras. Primus in Apologia ſecunda ſic loquitur: *hunc* (nempe Patrem) *& qui ab eo venit . . . Filium, & Spiritum Sanctum colimus, & adoramus, cum ratione, & veritate adorantes.*

Irenæus L. 5. adverſus hæreſes C. 6. ait: *Patrem vere Dominum, & Filium vere Dominum eſſe.* Idem teſtimonium de Spiritu Sancto multis in locis dicit; ut videre eſt in Baſilio

C. 29.

C. 29. de Sp. S. Athenagoras in legatione pro Chriſtianis, *quis non miretur*, inquit, *cum audit nos*, *qui DEUM Patrem prædicamus*, *& DEUM filium*, *& Spiritum Sanctum . . . atheos vocari.*

Tertii ſeculi fidem longe plures monumentis ſuis expreſſerunt. Primo loco ſit Hippolytus Martyr, qui librum ſuum adverſus Noetum ſic inſcribit: *de DEO trino*, *& uno*, *& de myſterio Incarnationis adverſus Noetum.* Clemens Alex. ad pædagogi calcem Deo gratias agens: *ſoli*, inquit, *Patri & Filio*, *una cum Spiritu S. per omnia uni . . . gloria nunc & in ſecula ſeculorum*, *Amen.*

Origenes, etſi non ubique recte de Trinitate ſenſerit, tamen l. 6. enarration. de baptiſmo Ioannis agens *adorandæ Trinitatis Deitatem nominat.* Gregorius Thaumaturgus in profeſſione fidei de Patre, Filio, & Spiritu Sancto loquens, *Trinitas*, inquit, *perfecta eſt*, *quæ gloria*, *& æternitate ac regno*, *atque imperio non dividitur.* Dionyſius Alex. apud Baſil. l. de Sp. S. C. 29. *Si ex eo*, inquit, *quod tres ſunt perſonæ*, *diviſas eſſe dicunt*; *tres ſunt*, *etiamſi nolint*, *aut divinam Trinitatem prorſus e medio tollunt.* De latinis ſcriptoribus tertii ſeculi, Cypriano, Novatiano; Arnobio, Lactantio &c. clariſſima teſtimonia V. apud Petavium de Trinit. C. 5.

Omittimus Recentiores, quod de illis nulla controverſia eſſe poſſit; nam nemini dubium eſt, quin quarto ſeculo ab omnibus Catholicis, hinc divinarum perſonarum diſtinctio, illinc conſubſtantialitas diſerte fuerit aſſerta. Certe cum Arius hanc fidem ſeculo 4. temerare eſt auſus, omnes Eccleſiæ Patres, Athanaſius, Baſilius &c. ad traditionem ſemper provocarunt.

 §. IV.

§ IV.

Refelluntur objecta Sabellianorum, & Socinianorum.

OBjectiones Anti trinitariorum ad tres potiſſimum claſſes revoco. Nam aliæ promuntur ex ſcripturis tam veteris, quam novi teſtamenti; aliæ ex traditione; aliæ ex ratione. Dico, *ex ratione:* nam cum Sociniani hanc regulam conſtituant, omnia religionis capita ad rationis normam eſſe exigenda, iique tricarum dialecticarum idcirco ſint ſtudioſiſſimi, ex iſtis fontibus plurimas adverſus noſtrum dogma objectiones ducunt: qua in re refutabitur potiſſimum Joannes Crellius, non exigui inter Socinianos nominis ſcriptor, & Wolzogenius, qui Crelliana ſophiſmata a viris doctiſſimis diſſipata, ſub nova quadam larva produxit.

Argumentum I. ex veteri Scriptura.

XIII. QUid ad teſtimonia ſcripturæ veteris reponant Adverſarii, ſupra dixi. Supereſt vulgare illud; quo pertinaciter fidem catholicam quatere moliuntur, argumentum, quod petitur ex illis ſcripturarum momentis, in quibus DEUS unus, plurium excludens conſortium, prædicatur. Ejusmodi ſunt ea verba Deut. 6. *Audi Iſrael, Dominus DEUS noſter, DEUS unus eſt.* Si vero, ajunt, tres forent perſonæ, non eſſet DEUS unus, & ſingularis. Tum Iſaiæ 44. 6. *Ego primus, & ego noviſſimus.* Ubi autem plures ſunt perſonæ, idem non poteſt dici primus, & noviſſimus. Ibidem v. 24. *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.* Ergo præter Patrem, qui omnia condidit, non eſt alius. Capite 45. *Ego Dominus, & non eſt amplius: extra me non eſt DEUS. Ego Dominus,*

&

& non alter. Igitur ſolus Pater, qui creator eſt rerum, eſt Deus. Poteſt urgeri & hoc argumentum: in veteri teſtamento Deus appellatur Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Atqui Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob eſt una tantum perſona: non enim poteſt eſſe Filius; cum act. 3. ſcriptum ſit, Filium fuiſſe glorificatum a Deo Abraham, a Deo Iſaac, & a Deo Jacob.

Singulis ſatisfaciemus breviter, cum in allatis textibus non excludatur pluralitas perſonarum, ſed naturarum in Deo, ſeu aliorum Deorum. Capite igitur 6. Deuter. Dei prædicatur unitas contra Deorum multiplicitatem. At Iſaias C. 44. Meſſiæ adventum prædicit, qui *primus* dicitur, quoniam ſecundum naturam Divinam ante luciferum eſt genitus; & *noviſſimus*, quia natus eſt in plenitudine temporum, vel, ut exponit Epiphanius, venturus eſt in extremis temporibus judicaturus orbem terrarum. Ad tertium ajo, unum ſolum Deum creaſſe univerſa; quoniam trium Perſonarum una eſt potentia, ac divinitas. Demum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob glorificavit filium ſuum indutum carne, noſtraque circumdatum infirmitate: non autem in ea Divina, ac ſempiterna ſubſtantia, quam Filius habet cum Patre communem.

Argumentum II. ex novo Teſtamento.

XIV. Opponit I. Crellius Joan. 17. v. 3. ubi Chriſtus ſic Patrem alloquitur: *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum verum DEUM, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Solus igitur Pater Deus eſt, aliæque perſonæ a communione divinitatis excluduntur per particulam *ſolum*. II. objicit varios Apoſtoli textus, qui in Epiſt. I. ad Corinth. C. 8. ita loquitur: *nobis unus DEUS Pater, ex quo omnia, & nos in illum. Et unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.*

Diſtinguitur ergo Deus a Domino, & primum nomen ſoli Patri tribuitur, alterum filio. Idem Ep. 1. ad Corinth. C. 12. ait: *diviſiones vero gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diviſiones operationum ſunt, idem autem DEUS.* Tres hic deſignantur, & unus tantum, id eſt Pater, vocatur Deus.

Reſpondeo ad I. cum Petavio (l. 3. de Trin. C. 1.) in Græco haberi *τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν*, ubi articulus *τὸν* demonſtrat illud *μόνον* copulandum eſſe cum ſequentibus *ἀληθινὸν Θεὸν*, non cum præcedente pronomine *σὲ*. Differunt enim plurimum duæ hæ propoſitiones: *Pater ſolus eſt DEUS*, & *Pater eſt ille ſolus DEUS.* Senſus autem illorum verborum: *hæc eſt vita æterna*, eſt, comparari vitam æternam per fidem practicam in unum Deum, & Filii ejus Incarnationem: eſt enim metonymia, ſicut in v. 25. C. 11. *Ego ſum reſurrectio, & vita*, id eſt, ego tribuo reſurrectionem, & vitam. Quare C. 17. Joannis deſcribitur parandæ vitæ æternæ modus, qui eſt ejurata deorum multitudine unum Deum confiteri, doctrinamque Chriſti, ac religionem ſectari. Hinc Apoſtolus I. ad Theſſal. C. 1. ait: *converſi eſtis ad DEUM, ſervire DEO vivo & vero, & expectare Filium ejus*, &c. Ubi Deus verus ſignificatur per oppoſitionem, non ad Filium, ſed ad ſimulacra, & idola.

Reſp. ad II. Verba illa Apoſtoli minime favere Socinianis; nam ſicut Chriſtus dicitur unus Dominus ſine excluſione Patris, ita Pater dicitur unus Deus ſine excluſione Filii. Nam ſolus dicitur Deus ad excluſionem inanium Deorum; ut patet ex verbis præcedentibus: *Nam etſi ſunt, qui dicantur Dii .... nobis tamen unus DEUS.* Senſus igitur textus profeſſioni Chriſtianæ admodum conſonus, iſte eſt: nobis unus

Deus Pater ex quo omnia, primum rerum univerſarum principium, & Divinitatis origo; & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, id eſt nulli creaturæ ſubjectus, ſed Sapientia Patris, per quem creata ſunt omnia, ac inſtaurata.

Nec majus momentum adfert Crellio alter Apoſtoli locus, ſi genuinam ejus interpretationem perpendamus. Alloquitur ibidem Paulus homines, qui ad idolorum ſimulacra proficiſcentes dæmonum Vaticinia plurimi faciebant; ut conſtat ex v. 2. Quærere proinde Corinthii poterant duo: primum, cum aliquando contingat, ut futura prædicant tam a Deo, quam a Dæmone afflati, quomodo inter illos diſcerni poſſit. Alterum, cur non omnes prædicendi futura ſcientia donentur. Ergo ut priorem ſolvat dubitationem v. 3. inquit: *ideo notum vobis facio, quod nemo in ſpiritu DEI loquens dicit anathema Jeſu: & nemo poteſt dicere, Domine Jeſu, niſi in Spiritu S.* His docet Prophetarum oracula in veteri teſtamento fuiſſe Divino afflante ſpiritu, quoniam a Dei cultu homines non abducebant, & nunc pariter verum ab his narrari, qui non execrantur Jeſu Chriſti nomen. Ita perſpicue primum dubium ſolvit. Ut vero ſolvat alterum, v. 5. ait: *diviſiones vero gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus* &c. id eſt, non omnia omnibus dantur: ſed tamen ſingula gratiarum dona ex eodem principio ac ſpiritu proficiſcuntur & ad eundem pertinent Dei cultum; ſicut diverſi miniſtrorum ordines ad unius Domini famulatum, omneſque operationes ad unicam ſupremam cauſam ſunt referendæ.

Argumentum III. ex traditione.

XV. Si tres, ajunt, in uno Deo perſonas agnoviſſent primi Chriſtiani, certe, dum illi gentilibus Deorum multi-

titudinem exprobrarunt, in ipſos idem probrum retorſiſſent ethnici. Atqui hoc nunquam factum eſſe legitur. 2. Si iſtud dogma apud Chriſtianos obtinuiſſet, non potuiſſent *athei* vocari. Atqui primi Chriſtiani paſſim ut athei a gentilibus traducebantur. 3. Hoc ipſum dogma irriſiſſent Philoſophi, qui DEUM eſſe unum intelligebant. Atqui nulla ejus rei mentio reperitur.

Reſp. mirum non fore, ſi nihil eorum extaret apud veteres. Quis enim neſcit, olim apud Chriſtianos in more poſitum fuiſſe, ut religionis noſtræ myſteria ſummo ſtudio exteros celarent? Verum hæc, contra quam putant illi, re ipſa in hiſtoriæ monumentis leguntur. I. enim Celſus Epicureus Philoſophus id inter reliqua objecit Chriſtianis, quod Deorum multitudinem irriderent, & ipſi tamen adorarent DEUM, & Chriſtum; Origenes vero l. 8. adverſus ipſum, in eo totus eſt, ut iſthanc objectionem refellat. Eam porro diluit ajens Chriſtum; ipſiusque Patrem unicum eſſe DEUM. Sic etiam Praxeas quondam ex catholica de Trinitate doctrina conſequens eſſe affirmabat, ut tres DEOS haberemus: quod falſiſſimum eſſe Tertullianus, inde demonſtrat, quia Trinitas eſt unius, ejusdemque divinitatis. II. Athenagoras conqueritur de ethnicis, qui *atheos* vocabant Chriſtianos, a quibus Pater, & Filius, & Spiritus S. pro numine colebantur. III. Ex Luciani dialogo, qui *Philoparris* inſcribitur, conſtat, Trinitatis myſterium apud philoſophos irriſum eſſe. Ergo tantum abeſt, ut ex his colligere poſſint Sociniani, novam eſſe, quam profitemur, fidem; ut etiam luce clarius ſit, non aliam fuiſſe primis illis temporibus in Eccleſia fidem.

Argumentum IV. ex ratione.

XVI. ETſi tumultuario Sociniani objectiones proponant ſuas: ordinem nos in iis referendis ſervabimus,

ac I. quidem proponemus ea, quæ generatim ex Dei unius, ac Trini apparente pugna repetuntur. II. quæ ſpeciatim ex unitate naturæ Divinæ: III. quæ ex trium perſonarum diſtinctione deducuntur.

Opponitur itaque I. myſterium Trinitatis manifeſtam in ſe pugnam involvit. Nam I. res eadem erit una ſimul, & non una, ſeu trina; communicabitur ſimul, & non communicabitur. II. ſequitur vera eſſe hæc duo: Deus eſt genitus, & Deus non eſt genitus. III. repugnat principio lumine naturæ notiſſimo: quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe. Reſp. Contradictio, ut loquuntur ſcholæ, eſt de eodem ſub eodem reſpectu; at diverſus hic reſpectus occurrit. Nam res eadem eſt una quidem natura, quatenus abſoluta eſt; trina autem eſt, ſeu tres perſonæ, quatenus relativa. Communicatur Eſſentia Patris Filio, quatenus eſt abſoluta; ſed non communicatur perſonaliter, ſeu ſecundum rationem, quæ conſtituit perſonam Patris. In his enuntiationibus: *DEUS eſt genitus*, & *non eſt genitus*, ſi *DEUS* ſupponit pro diverſa perſona, nulla eſt contradictio: ſi in prima ſupponat pro filio, & in ſecunda pro omnibus perſonis, non ſunt hæ propoſitiones ſimul veræ, ſed prima vera eſt, altera falſa. Effatum autem *quæcunque ſunt eadem* &c. etiam apud Trinitarios locum habet. Recte enim ſic argues: eſſentia eſt Pater identitate eſſentiali mixta diſtinctione perſonali: eſſentia eſt Filius identitate eſſentiali mixta perſonali diſtinctione: igitur Filius eſt Pater identitate eſſentiali mixta diſtinctione perſonali. Vide ea, quæ in I. Controverſia N. 40. & ſequentibus docuimus. Ceterum etiam nos dicimus, quod paſſim obtrudunt Sociniani, non eſſe cæco modo credendum, quod nobis proponitur; aſſeveramus tamen, ubi conſtat de veritate revelationis, rationem fidei ſubjiciendam, neque temere ſcrutandas eſſe rerum divinarum cauſas, quæ mentis noſtræ facultatem longiſſime excedunt.

XVII.

XVII. Opponunt II. Sociniani. Ex unitate naturæ Divinæ ſequitur unam perſonam eſſe aliam, nempe Patrem eſſe Filium, & Filium eſſe Patrem, ac Spiritum S. Ita enim arguere licet: Deus ille unus eſt Pater: Filius eſt Deus ille unus: igitur Filius eſt Pater. Item ſequitur neque Patrem, neque Filium, neque Spiritum S. eſſe unum illum, & verum Deum. Ita etiam poteſt concludi: unus ille verus Deus eſt Pater: Filius non eſt Pater: ergo Filius non eſt Deus ille unus.

Reſp. Quamvis unaquæque Perſona ſit Deus, inde tamen non ſequitur legitimum eſſe primum ratiocinium, utpote ex meris particularibus conſtans. Nullus enim eſt vel tyro, qui ignoret medium terminum, ut vocatur, debere diſtribui, hoc eſt, juxta omnem ſuam amplitudinem accipi. Graviter igitur Sociniani in regulis diſcurſus (quas tanto rigore ſervare conantur) hallucinantur. Nam cum dicitur de Divinis perſonis: *DEUS ille unus eſt Pater; Filius eſt DEUS ille unus*, τὸ *DEUS* non adæquate, & juxta omnem ſuam extenſionem uſurpatur: Pater enim non eſt omnis perſona, quæ ſit Deus, ſed peculiaris quædam, & diſtincta. Quare Deus illic ſignificat unam ſingularem perſonam, & ad ipſam reſtringitur. Eodem modo in altero ratiocinio nomen Dei importat divinam ſubſtantiam, ut a Paternitate contrahitur ad unum modum exiſtendi: non item quatenus complectitur omnes exiſtentiæ modos.

Inſtat Crellius, aitque ſubſtantiam in Divinis non differre a Perſona, cum hæc ſit rationalis naturæ individua ſubſtantia; ac proinde conſequens eſſe, ut ſi una in Deo eſt ſubſtantia, una quoque ſit perſona: ut adeo ad opinionem accedamus proxime Sabellii, qui docuit, Deum ſummum eſſe unam duntaxat

taxat perſonam, quæ ſe tribus modis, ſemel tanquam Patrem, deinde ut Filium, tertio tanquam Spiritum S. revelavit. Reſp. Perſona, & ſubſtantia etſi re ipſa unum quid, idemque ſint, differunt tamen connotative, eo quod hæc dicatur ad ſe ipſam, illa referatur ad aliud, notetque id, quod eſt alteri incommunicabile; unde ſi in una ſubſtantia plures ſunt proprietates incommunicabiles alteri, erunt diſtinctæ perſonæ in unitate ſubſtantiæ. Ceterum doctrina Catholicorum toto cælo diſtat ab hæreſi Sabelliana; quippe ex diverſo modo, quo perſona ſe manifeſtat, non ſequitur perſonæ diſtinctio, ut ſequitur ex modo diverſo terminandi naturam. Ita poteſt eadem perſona apparere modo in nube, modo in rubo, & idem ſpiritus nunc in ſpecie columbæ, nunc ignis; quia modus iſte appellat aut rem creatam, aut locum, non terminat diverſa perſonali proprietate ſubſtantiam. Diverſam hanc proprietatem negavit Sabellius, & profitentur Catholici. Ridiculum autem eſt, Socinianos in ejusmodi nugis vim totam reponere, ubi aperta ſuppetit ſcripturarum auctoritas, quæ Deum ubique unum prædicat, & tres tamen enumerat perſonas, quarum unaquæque eſt Deus. Hoc cuilibet Chriſtiano ſufficiat.

XVIII. Opponunt III. Non poſſunt admitti tres perſonæ, quin ſimul admittantur tres Dii. Nam ſi Trinitariis ita argumentari licet: Pater eſt perſona Divina: & Filius eſt perſona Divina; igitur tres ſunt perſonæ Divinæ. Pari jure Sociniani concludere poſſunt: Pater eſt ſummus Deus, Filius eſt Deus, Spiritus S. eſt Deus; igitur tres ſunt Dii. Certe ſi in creatis ſimiles diſcurrendi modi vim ſuam obtinent, cur non in Divinis?

Reſpondeo, ex dictis colligi, Deum ſpectari poſſe dupliciter, primo quoad eſſentiam, & ſummam ſuam naturam, dein-

de quantum ad modum ſubſtantiæ, in quo ratio perſonæ conſiſtit. Ergo dum dicis, *Pater eſt DEUS*, intelligis Deum habere excellentiſſimam illam ſubſtantiam cum modo ſubſiſtendi ſibi proprio, quem appellamus paternitatem. Et cum repetis, *DEUS eſt filius*, dicis Filium habere illam eandem ſubſtantiam cum modo ſubſiſtendi ſibi proprio, ſeu filiatione. Sophiſma igitur ita ſolvitur. Pater eſt Deus, id eſt, habet divinam ſubſtantiam cum hypoſtaſi Patris, & Filius eſt Deus habens eandem ſubſtantiam cum hypoſtaſi Filii, & ſic Spiritus eſt Deus cum hypoſtaſi ſibi propria. Ergo triplex eſt in eadem Divina ſubſtantia hypoſtaſis: quæ conſecutio vera eſt, ac legitima. Neque paritas fieri poteſt a rebus creatis, quarum limitata natura eſt. Urgent Sociniani hoc modo. Si tres ſunt perſonæ in Deo, eæ profecto infinitæ ſunt: nihil enim eſt in Deo, quod non ſit infinitum. Atqui non poteſt eſſe multiplex perſona infinita. Nam ubi agitur de Dei unitate, ex eo oſtenditur non poſſe eſſe Deum multiplicem, quia Deus eſt infinitus. Porro ſi multi eſſent, quilibet non poſſet eſſe infinitus. Vel enim quilibet haberet aliquam perfectionem ſibi propriam, vel non: ſi haberet, alii non eſſent infiniti, utpote quibus deeſſet illa perfectio. Si non haberet, ab aliis non diſtingueretur. At ſi ex infinitate Dei conſequens eſt, non poſſe eſſe plures Deos; eodem jure ex infinitate perſonæ Divinæ ſequetur, non poſſe eſſe plures in Deo perſonas.

Reſp. Ex infinitate Dei conſequens eſt, plures Deos eſſe non poſſe: quia nempe unus non includeret alterius perfectionem. At ex infinitate perſonæ non ſequitur, plures non eſſe perſonas: quia licet inter ſe diſtinguantur, nulla tamen eſt perfectio in una perſona, quam altera non contineat. Iſtius diſcriminis ratio eſt, quod inter plures Deos nihil eſſet re ipſa commune, in quo identificarentur; imo a ſeſe invicem forent ſe-

ſejuncti, ut plures homines. At non ita eſt in perſonis Divinis: ſingulæ enim ſunt quid idem cum natura Divina, quæ viciſſim eſt quid idem cum ſingulis perſonis: atque adeo nulla perfectio eſt in ſingulis perſonis, quæ eadem non inſit naturæ: at cum unaquæque perſona eandem naturam habeat, omnem etiam aliarum perſonarum habet perfectionem. Id quod fit per admirabilem illam περιχώρησιν, ſeu reciprocam divinarum perſonarum in ſe invicem circuminſeſſionem, de qua alibi dicemus.

CAPUT II.

DE DIVINITATE VERBI.

Contra ſecundam in Trinitate Perſonam tres ſpeciatim pugnarunt, Cerinthus, Arius, Socinus; ut ſub initium hujus controverſiæ expoſuimus. Eorum errores ut refutemus, oſtendendum eſt I. Verbum Dei extitiſſe ante Incarnationem. II. Filium Dei Patris, eſſe ab ipſo genitum, adeoque verum, ac naturalem. III. Eundem eſſe Patri ſuo conſubſtantialem, ſeu ὁμοούσιον.

ASSERTIO I.

Filius Dei extitit in aliqua ſubſtantia, priusquam ex Virgine naſceretur.

XIX. Omiſſis aliis ſcripturæ teſtimoniis, dogma hoc oſtendo contra Socinianos ex Evangelio Joannis C. 1. ubi ſic legitur: v. 1. *in principio erat verbum, & verbum erat apud DEUM, & DEUS erat verbum.* V. 3. *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt.* v. 9.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. v. 10. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit.* v. 14. *Et verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* His verbis S. Apoſtolus v. 1. Verbi Divini deſcribit æternitatem, ipſius ab æterno Patre diſtinctionem, ac divinitatem: v. 3. potentiam, qua creavit omnia: v. 9. ſummam ejus in homines munificentiam: v. 10. mundi, qui factorem ſuum non agnovit, cæcitatem: v. autem 14. Verbi ejusdem Incarnationem. Ex quo ita arguimus. Qui fuit in principio, ſeu ante omnes creaturas, per quem omnia facta ſunt, & qui poſtea carnem induit, is profecto extitit, antequam carnem aſſumeret. Atqui talis eſt Filius DEI ex Joanne Apoſtolo: nam hoc Verbum fuiſſe Filium Patris, declarat his verbis: *vidimus gloriam ejus, quaſi unigeniti a Patre.*

XX. Ineluctabile hoc teſtimonium viſum eſt Socinianis, ſi eo, quo diximus, modo intelligendum foret. Hinc nullum non lapidem movent, ut hunc Apoſtoli locum in alium ſenſum detorqueant; ut videre eſt apud Wolzogenium, Socinum ipſum Tom. I. pag. 77. Schlictingium contra Meiſnerum, Schmalzium Hom. 2. in 1. Evang. Joan. Caput. Igitur univerſim ſupponunt, propoſuiſſe ſibi Evangeliſtam, novæ creationis deſcribere hiſtoriam, ob quam fideles novæ creaturæ appellantur 2. Corinth. 5. & Chriſtus dicitur principium creationis DEI, Apocal. 3. Hinc initium ducitur hiſtoriæ iisdem verbis, *in principio*, quibus Moyſes ſuam orſus eſt hiſtoriam. I. ergo, ubi Joannes dicit: *in principio erat verbum*, principium hoc referendum eſſe ajunt ad initium Evangelii, quod a Joannis Baptiſtæ prædicatione repetitur. *Erat verbum*, juxta illos ſignificat, erat homo Chriſtus, qui tanquam interpres divinæ voluntatis verbum DEI dicitur,

qui-

quique apud Deum erat, id eſt, ſoli Deo cognitus, & nondum hominibus manifeſtus. II. *omnia per ipſum facta ſunt*, idem ſonat, ac omnia, quæ ad Evangelium, & reformationem generis humani ſpectant, ſunt facta per Chriſtum, & ſine hoc nihil ad hoc Eccleſiæ formandæ opus pertinens eſt peractum: Hinc *erat lux vera*, id eſt, Evangelii ſui prædicatione. III. hæc verba: *mundus per ipſum factus eſt*, exponunt, non de mundo ex cælo, terraque conſtante, ſed de mundo novo ac ſpirituali, novaque illa creatura, de qua non ſemel loquitur Paulus. IV. hæc verba: *Verbum caro factum eſt*, illis idem ſignificant, ac ſi diceres: Chriſtus, licet talis, tantusque fuerit, non niſi homo infirmus, ac mortalis fuit. Græce enim eſt ἐγένετο, quod non *factum eſt*; ſed *fuit*, vertendum eſſe affirmant.

Quot verba, tot blaſphemias contineri in hac expoſitione, nemo non videt. Ac inprimis qua authoritate Sociniani ſcopum iſtum præfigunt Evangeliſtæ? quo jure interpretationem adeo violentam, ac detortam ſubſtituunt? ſcripſit Joannes Evangelium ſuum (ut auctor eſt Hieronymus de ſcript. Eccleſ.) contra Cerinthnm, & Ebionem, qui docebant, Chriſtum ante Mariam Virginem non extitiſſe, ergo hoc Evangelii exordium ejusmodi impietatem convellit, atque adeo cum hoc loco conſiſtere nequit opinio Socinianorum. Si igitur conſentanea loqui velint, rejiciant oportet hoc Evangelium, quod olim Ebionitæ fecerunt. Sed inquiramus ſingula hujus expoſitionis capita. I. Quod dicunt vocem hanc: *in principio* de initio Evangelii eſſe intelligendam, id conſiſtere nulla ratione poteſt; quandoquidem ea vox abſolute poſita in ſcripturis aut æternitatem, aut rerum univerſitatis exordia conſtanter ſignificat. At enim *in principio erat verbum*, idem erit, ac dicere: initio prædicationis Evangelii Chriſtus extitit. An

quid abſurdius cogitari poteſt? dignam profecto Joanne ſententiam! Chriſtum nempe extitiſſe, cum triginta annos natus prædicare cœpit Evangelium! quaſi vero prædicare potuerit non exiſtens & quod tunc exiſteret, cum prædicabat, notari oporteret. II. quod addunt nomen *verbum* accipi debere metaphorice, quaſi Chriſtus non natura ſua, ſed officio tantum eſſet Verbum DEI; id non minus inſulſum eſt. Si nomen hoc ab officio repeteretur, ſic poſſet appellari quivis propheta, & Apoſtolus, qui voluntatem DEI hominibus ex officio pateſecerunt. At nullus unquam propheta, aut Apoſtolus *verbi DEI* nomine eſt inſignitus. Quis igitur ſibi perſuadeat, Evangeliſtam ea voce inaudita velut ex abrupto, & in ipſo Evangelii ſui exordio uti voluiſſe, ſi ea non propria, ſed figurata fuiſſet. Sane Joannes in hoc uno Evangelii loco Chriſtum hoc nomine appellat, ubi nempe docet illum in principio fuiſſe apud DEUM, & DEUM eſſe, idque priusquam doceat ipſum carnem eſſe factum. Ex quo autem caro factum eſt, nunquam hoc nomen ei deinceps tribuit, ſed *Jeſum*, aut Chriſtum vocat. Cur ita obſecro? Sociniani certe cauſam hujus rei dicere non poſſunt, cum juxta eos non niſi poſtquam caro factus eſt, DEI Verbum eſſe cœperit. At aperta eſt apud Catholicos hujus locutionis ratio. *Verbi* enim *DEI* vox Filium DEI proprie ſignificat, quatenus ab æterno Patre procedit: *Chriſti* autem nomen divinæ ſimul, & humanæ naturæ conjunctionem ſonat. III. Quod fingunt Chriſtum illic *DEUM* nominari, non quod natura talis eſt, ſed ob conceſſam ipſi in res omnes auctoritatem, id non modo falſum, ſed & impium eſt. Præterea enim quod illi tribuatur creatio mundi DEO propria, *DEUS* illic dicitur, quomodo Pater. IV. Verbum ἐγένετο non idem eſt, quod ἦν ſeu fuit. Nam ubi Joannes Verbum deſcribit, illud ἦν ſepties, aut octies uſurpat: cum autem venit ad aſſum-

ſumptionem carnis, illud mutat, atque altero (nempe ἐγένετο) utitur. Imo hic, & alibi, cum Chriſtus dicitur Deus, aut Dei Verbum, ſcriptura ſemper uſurpat verbum ſubſtantivum *eſt*, *erat*, *fuit*, ἐςὶ aut ἦν: nunquam vero iſtud ἐγένετο. Contra ubi de ejus ſecundum carnem origine ſermo eſt, vulgo hoc verbum ἐγένετο adhibet, quod factum eſſe ſignificat, ut ad Rom. 1. 3. ad Gal. 4. 4. ad Philipp. 2. 7. Quis credat ſine conſilio id diſcriminis a Spiritu Sancto eſſe obſervatum?

ASSERTIO II.

Filius Dei verus eſt Deus, Patrique conſubſtantialis.

PUgnandum hic eſt inprimis contra Arianos, qui etſi confitebantur Chriſtum, quatenus Dei Verbum, ante mundi exordia extitiſſe, ipſum tamen æternum eſſe inficiabantur: deinde contra Semi-Arianos, qui licet Chriſtum & ante Incarnationem extitiſſe, & æternum etiam eſſe concederent, ipſum tamen verum eſſe Deum æterno Patri conſubſtantialem negarunt. Adjungendi his ſunt Sociniani, qui licet Filium Dei palam profiteantur, tamen eundem non eſſe Deum natura, & generatione, ſed ſolum gratia, adoptione, dignitate, & auctoritate blaſphemant. Contra hos omnes ut præcipuum religionis noſtræ myſterium aſſeramus, ex ingenti eorum, quæ ſeſe ad id demonſtrandum certatim offerunt copia, nonnulla duntaxat uſurpabimus illuſtriora, eaque in certas claſſes diſtribuemus. Primi ordinis argumenta ducimus ex ſcripturis utriuſque fœderis: altera claſſis in traditione veterum Patrum verſabitur.

Argumentum I. ex locis veteris Teſtamenti.

XXI. Pſ. 2. v. 7. dicitur: *Dominus dixit ad me: filius meus es tu: ego hodie genui te.* Hæc verba etſi Grotius ad

ad Davidem referat, ad Meſſiam tamen, ſeu Chriſtum pertinere, & plures ex Rabb. fatentur, & conſtat ex Epiſt. ad Heb. c. 1. 4. ac ex Act. Ap. c. 4. 24. & ſequentibus. Chriſtus ergo eſt Filius DEI, & quidem filius ab æterno, & generatione. Ait enim Pſalm. *Hodie genui te. Hodie* enim adverbium eſt æternitatis, ut in eundem locum notat Auguſtinus. τό *Genui* veram ſignificat generationem, nempe ex propria Patris ſubſtantia: nam Pſ. 109. 3. pariter habetur; *ex utero ante luciferum genui te.* Quæ verba ad Chriſtum pertinere ſatis conſtat ex capite 22. Matth. In eodem Pſ. 109. habetur: *dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis.* Quod quidem teſtimonium eſt argumentum pro divinitate Chriſti adeo invictum, ut Judæi Matth. 22. nihil reſpondere potuerint Chriſto ſuam ex illo divinitatem probanti.

Illuſtratur autem hoc dogma ex illuſtri alio teſtimonio. Nam Chriſtus in ſcripturis non raro *ſapientiæ* nomine inſignitur; hæc autem ſapientia Prov. 8. ita loquitur; v. 22. *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio.* v. 23. *ab ætero ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret.* v. 27. *quando præparabat cælos aderam.* v. 30. *cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore.* Ex his ſic arguimus. Sapientia, quæ verbis illis exprimitur, æterna eſt. Atqui Chriſtus eſt illa ſapientia. Id quod ut contra Socinianos probetur, quatuor ſunt demonſtranda. I. ſapientiam illam eſſe quandam perſonam, & non proprietatem, ſeu attributum Patris, ut illi volunt 2. eam a Patre æterno diſtingui. 3. hanc deſcriptionem Chriſto optime convenire. 4. eandem in nullam aliam rem cadere poſſe.

I. igitur quæ hic ſeſe tam egregie depingit ſapientia, perſona

ſona eſt. Ea enim ſibi tribuit, quæ in ſolam perſonam conveniunt. Capite enim primo docet, & increpat. Capite 8. ex Deo genitam ſe eſſe profitetur. Cap. 9. dicitur ædificaſſe ſibi domum, immolaſſe victimas ſuas, miſcuiſſe vinum & poſuiſſe menſam. At hæc ſolarum perſonarum eſſe poſſunt. Et certe ſi ante mundum fuit, & ab æterno Patre diſtincta, perſona certe quæpiam eſt. At ab æterno Patre diſtinguebatur. Nam II. ipſa ſic ait: *ab æterno ordinata ſum, ante colles parturiebar, quando præparabat cælos, aderam.* Hæc totidem ſunt argumenta perſonæ a Patre diſtinctæ. Qui enim gignitur, non poteſt idem eſſe cum eo, a quo gignitur. Qui alicui adeſt, non eſt idem cum eo, cui adeſt &c. III. Hæc deſcriptio ſapientiæ optime Chriſto convenit. Nam Apoſtolus 1. Corinth. Chriſtum appellat *Dei virtutem, ac ſapientiam.* Sapientia c. 8. dicitur ubique docere in viis, ac plateis: ibi autem ſimiliter docuit Chriſtus. Sicut illa de ſe ait: *per me reges regnant, & principes imperant*; ita Chriſtus Apoc. 19. *appellatur Rex regum, & Dominus dominantium.* Sicut ſapientia teſtatur ante colles genitam ſe fuiſſe; ita Chriſtus Coloſſ. 1. ante omnes fuiſſe prædicatur. Denique ſapientia dicitur c. 9. ædificaſſe ſibi domum, excidiſſe columnas ſeptem, ſacrificium obtuliſſe, vinum, & aquam ſuis miſcuiſſe, poſuiſſe menſam, & miſiſſe undequaque, qui ad cœnam invitarent. An non hæc omnia in Chriſtum conveniunt? Hic enim Eccleſiam conſtruxit, Sacramenta, quibus ea fulciatur, inſtituit, ſe ipſe in victimam obtulit, in cibum, ac potum ſe ſuis dedit, & poſtea ſervos ſuos Apoſtolos in orbem univerſum miſit, ut omnes ad ſe invitarent. IV. Hæc eadem nulli alteri rei conveniunt. Nam prout ſomniant Sociniani, nomine ſapientiæ vel notaretur ſapientia, quæ Dei proprietas eſt, vel ſapientia creata, vel ſapientia generatim, vel aliquis ſapientiæ effectus e. g. Lex vetus. Atqui nihil omnino horum eo in loco deſcribitur. Non ipſa

eſſentialis DEI ſapientia; hæc enim non eſt genita, ac producta. Non ſapientia creata: nam illa, de qua ſcriptura loquitur, ſe ante quamvis creaturam extitiſſe profitetur. Non ſapientia generatim, cum illa nec per ſe doceat, nec ex DEO producta, nec ante mundi exordia extitiſſe dici queat. Non demum Lex vetus, quæ ante mundi originem non fuit. Nulla igitur res aſſignari poteſt præter Chriſtum, cui hæc deſcriptio conveniat.

Opponunt quidem Sociniani, 70 interpretes loco horum verborum: *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum*, ſic vertiſſe, *Dominus creavit me initium viarum ſuarum*, ἔκτισέ με. At codicis Hebræi utpote fontis, præſertim cum vulgatæ conſentiat, auctoritas eſt multo major, quam verſionis Græcæ. Porro Hebræus codex habet *Dominus poſſedit me*: quod quidem verbum de generatione in ſcripturis accipitur. Sic enim Eva cum peperiſſet Cain, *poſſedi*, inquit, *hominem per DEUM.* Accedit, in aliis Græcis codicibus legi, *poſſedit*; ut teſtantur S. Baſilius l. 2. contra Eunom. Et Gregorius Nyſſenus L. I. contra eundem.

XXII. Quæ hactenus commemoravimus, Filium DEI Patris verum, æternum, ac naturalem oſtendunt: ex quo quidem ejusdem Filii Divinitas facile deducitur, cum nequeat Patri filius eſſe naturalis, ac coæternus, quin eandem habeat cum genitore ſubſtantiam. Verum non abs re erit propria adferre teſtimonia, quibus eadem Patris, ac Filii natura, ſeu divinitas demonſtratur.

Ac inprimis notandum, nomen DEI tetragrammaton יהוה ſoli DEO vero, ac ſummo tribui. At nomen iſtud variis in locis tribuitur Filio, ſeu Verbo DEI. I. enim Iſaias C. 6. ait:

ait: *vidi Dominum* (יהוה) *ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum.* Loqui prophetam de vero, ac ſummo Deo, conſtat ex nomine tetragrammato; item ex Seraphinis in throno circumſtantibus, & clamantibus: *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus DEUS exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus* Patet etiam ex verbis ipſius Prophetæ: *& regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* At Iſaias vidit gloriam Chriſti; ut habetur Joan. c. 12. v. 41. Ergo Chriſtus eſt Deus ille verus ac ſummus. II. Idem Eſaias c. 8. v. 13. ait: *Dominum exercituum* (יהוה) *ipſum ſanctificate: ipſe pavor veſter, ipſe terror veſter. Et erit vobis in ſanctificationem; in lapidem autem offenſionis* &c. Dictum de ſummo Deo quis non videt? Atqui Eſaiam hæc pronuntiaſſe de Chriſto conſtat ex c. 2. Lucæ v. 34. & ex Epiſt. Rom. c. 9. 32.

III. Apud Malachiam c. 3. Deus, Jehova, ſic loquitur: *Ecce, ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis: Ecce venit, dicit Dominus.* Etſi hoc vaticinium de Chriſto venturo, & Joanne Baptiſta (qui præcurſor ejus fuit, & ante ipſum viam præparavit) intelligendum eſſe conſtet ex multis Evangelii teſtimoniis; ſolus tamen Propheta ineluctabile pro noſtro dogmate argumentum nobis ſuppeditat. Nam qui apud ipſum loquitur, verus eſt Deus: vocatur enim *Jehova, DEUS exercituum, Dominator Iſraelis*, templum ipſius eſſe ſignificatur. Atqui hic ipſe, qui loquitur, prænuntiat ſe aliquando venturum; & iſte, qui venturus promittitur, non eſt Pater, ſed Filius: nam *Angelus fœderis*, qui venturus annunciatur, non eſt Pater, ſed ſolus Filius. Ergo vel ex hoc uno Malachiæ loco conſtat, Chriſtum eſſe Jehovam, ac verum Deum. Plura vide apud Huetium de demonſt. Evang. Prop. VII. Bellarminum, Petavium, Ludovicum Habertum de Deo Trino c. 4.

Argumentum II. Ex præcipuis novi Teſtamenti locis.

XXIII. NE inſtituti noſtri rationem excedamus, ex quamplurimis locis tria duntaxat excerpemus. Ac primum quidem argumentum nobis ſubminiſtrat caput Matth. 16. Ubi Chriſtus hanc Petri confeſſionem: *Tu es Chriſtus Filius DEI vivi*, ita laudavit: *beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Ex hoc ſic licet arguere. Non fuit ſingulare Petri privilegium, quod ipſi revelatum ſit, Chriſtum eſſe Dominum, aut filium DEI adoptivum: nam id poterat didiciſſe vel a Joanne Baptiſta, aut ab Andrea, & Philippo, qui illum ab initio eſſe Meſſiam, & Chriſtum confeſſi erant (Joan. 1.) vel vero ab aliis, qui illum habebant tanquam unum ex Prophetis, qui certe erant filii DEI adoptivi. Igitur Petrus ultra progreſſus prædicabat illum Filium DEI naturalem Patri conſubſtantialem; ob quam confeſſionem meruit præ aliis a Chriſto commendari.

Secundum argumentum ſumimus ex Joan. c. 20. v. 28. Ubi Thomas Apoſtolus, qui primo incredulus fuerat, viſo, & palpato Chriſto ita loquitur, ut eum Dominum ſimul, ac DEUM confiteatur. *Dixit* namque ei: *Dominus meus, & DEUS meus.* Ex quo ſic arguimus Domini, ac DEI nomine verus intelligitur DEUS. Atqui ita appellatus eſt Chriſtus ab Apoſtolo Thoma, idque juxta rectam fidem; Non enim ſolum reprehenſus non eſt, ſed & propter fidem iſtam a Chriſto laudatus. Ajunt quidem Sociniani, hæc verba ad Chriſtum ipſum coram poſitum non pertinere, ſed ad DEUM in cælo regnantem, ad quem admirans oculos tollebat Thomas: ac proinde eſſe quandam exclamationem, quaſi diceret: DEUS bone!

bone! quid video? At quam futile eſt hoc reſponſum? ex ipſa Joannis lectione conſtat, certam fidei fuiſſe confeſſionem, non vagam attoniti hominis exclamationem. Sane eum confeſſus eſt Thomas, qualem ſe ipſe Chriſtus teſtatus eſt. Atqui ipſe Chriſtus ſe verum Deum eſſe teſtatus eſt Joan. 3. 16. Item c. 5. v. 23. Et c. 14. ubi roganti Philippo, ut ſibi Pater oſtenderetur, reſpondit Chriſtus: *qui videt me, videt & Patrem ... non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?*

Tertium argumentum ducitur ex Epiſtola ad Rom. c. 9. v. 5. ubi de Iſraelitis loquens Apoſtolus, ex quibus, inquit, eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula Amen (ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν) hoc loco nihil eorum omittitur, quæ ad refellendum Socinianorum errorem deſiderari queant. I. enim Chriſtus nominatim, ac ſingulari numero Deus appellatur, qua ratione ſolus ſummus Deus in novo Teſtamento vocatur. II. præfigitur articulus, in quo vim maximam ponunt ipſi Sociniani, cum de Dei nomine agitur. III. dicitur *DEUS ſuper omnia*, id eſt ſummus; ita enim Pater æternus deſcribitur Epheſ. 4. 6. IV. nominatur Deus *benedictus*, quod eſt ſummi Dei elogium Marci 14. ubi ſummus Pontifex interrogans Chriſtum, *Tu es Chriſtus*, inquit, *Filius DEI benedicti?* V. additur *in ſæcula;* quomodo uſurpatur de vero ac ſummo Deo 2. Corinth. 11. v. 31. Hæc autem ſententia obſignatur iſta clauſula, *amen*, quæ certum veritatis eſt argumentum, & ubi de vero Deo ſermo eſt, adhibetur, e. g. Rom. 1. 25. Demum Apoſtolus ait Chriſtum quidem ex Judæis oriundum eſſe; ſed hanc reſtrictionem ſubjungit: *ſecundum carnem*, ut indicaret in eo præter humanam naturam inſuper aliam, nempe Divinam, eſſe. Sed de hoc argumento uberior redit tractatio, ubi de Incarnatione verbi Divini agitur.

Argumentum III. ex traditione Patrum.

XXIV. Antequam ad Eccleſiæ traditionem progrediamur, obſervari velim, non eandem fuiſſe hæreticorum de hac traditione opinionem. Matthæus Radecius ex grege Socinianorum agnovit jam ab Eccleſiæ initio Chriſtum ab omnibus, ut verum, & ſummum Deum, habitum eſſe; ideoque dicebat poſt Apoſtolorum tempora ſtatim ſecutam eſſe plenam in fide defectionem. Socinus ſibi ipſe non conſtat; nam in Reſponſ. ad Wiekum (qui inter primos cum Socinianis conflixit) dicit, Patrem unum eſſe illum Deum, id ſenſiſſe omnes, qui ante ſynodum Nicænam floruerunt Patres. At in Epiſt. 3. ad Radecium, ab ipſo, inquit, ferme naſcentis Eccleſiæ initio innumeros fuiſſe fidei confeſſores, qui fatebantur Chriſtum eſſe Deum. Sandius in nucleo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ aſſerit, Patres Nicænos fuiſſe novæ fidei conditores, & Patres Ante-Nicænos cum Ario eadem omnino docuiſſe. Sed & fuerunt e Catholicis quidam, qui vetuſtioribus Patribus minus æqui aſſerebant, eorum multos hoc religionis noſtræ dogma non tenuiſſe. Quod quidem idcirco fieri potuit, quia ii, qui ante natas hæreſes de fidei noſtræ capitibus ſcripſerunt, obſcurioribus, ac minus exquiſitis verbis uſi fuerunt. Nam (ut rite obſervat D. Auguſtinus in Pſ. 54.) mirum eſſe non debet, ſi, antequam in Alexandria quaſi dæmonium meridianum Arius naſceretur, veteres nonnulli innocenter quædam, & minus caute ſunt locuti. Supereſt ut illos duntaxat Patres, qui per tria prima ſecula diſertius, ac planius hoc dogma ſunt profeſſi, in medium producamus.

XXV. Ac primum quidem præter Apoſtolos (qui primum ſeculum illuſtrarunt) & maxime S Joannem (qui teſte Hieronymo non niſi ineunte 2. Seculo e vita migravit) teſtem profero Hermam, cujus mentionem facit Apoſtolus Rom. 19. Is autem cenſetur auctor operis apud veteres celeberrimi,

quod

quod *Paſtoris* nomine inſignitur. Jam vero l. 3. Similitudine 5. cum Chriſtum in forma ſervi Paſtor exhibuiſſet, & ab ipſo quæſiviſſet Hermas, cur Filius Dei in ſervili loco ponatur: reſpondet Paſtor his verbis: *in ſervili conditione non ponitur Filius DEI; ſed in magna poteſtate, & imperio.* At ſi Filius Dei in ſervi conditione non ponitur, profecto Deus eſt: quidquid enim eſt præter Deum, id neceſſe eſt Deo ſerviat, ut colligitur ex Apoſtolo ad Philipp. 2. ubi formam Dei formæ ſervi opponit. Ibidem ſimilitudine 9. ait, *Filium DEI omni creatura antiquiorem eſſe, ita ut in conſilio Patri ſuo affuerit ad condendam creaturam.* Fatetur ergo tacite, Eum ex iis fuiſſe unum, qui dixerunt: *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.*

XXVI. Ex ſecundo ſeculo teſtes Catholici dogmatis adducimus Ignatium Martyrem, Polycarpum, Juſtinum, Athenagoram. Primus Petri diſcipulus ſeptem Epiſtolas ſcripſit ſummo in pretio a veteribus habitas, quarum fidem etſi elevare conati fuerint e Calvinianis quidam, tanta tamen in luce conſtituerunt tam noſtri, quam etiam heterodoxi, ut de ea re dubitare nefas omnino ſit. Illuſtriſſimus ille Martyr cum aliis in locis, tum præcipue in Epiſtola ad Epheſ. Chriſtum *DEI* nomine compellat, & in Epiſt. ad Magneſianos eum dicit Patris *verbum æternum.* Polycarpus Smyrnenſis Epiſcopus, & Joannis Apoſtoli auditor in Epiſtola ad Philipp. & commendat eis Epiſtolas S. Ignatii, & Chriſtum cum Patre pariter invocat, ut gratiæ in hac vita, & in altera gloriæ auctorem. Juſtinus Martyr Divinitatis Chriſti teſtis eſt locupletiſſimus: nam in Apolog. I. docet Patrem, & Filium eſſe ante omnia, ac per eos facta omnia: & in dialogo cum Tryphone probat Verbum eſſe Patri conſubſtantiale, & hypoſtaſi diſtinctum. Athenagoras demum in ſua pro Chriſtianis Apologia docet, Chriſtum

ſtum eſſe DEI Filium, ac Verbum æternum a Patre diſtinctum, natura tamen cum ipſo idem, increatum, & non factum, univerſitatis rerum principium, quæ omnia abſolutam catholici dogmatis notionem exprimunt. His adjungi poſſunt Irenæus, & Clemens Alexandrinus hujus myſterii clariſſimi aſſertores.

XXVIII. In numero teſtium conſtanter habiti ſunt Tertullianus, & Origenes, de quorum tamen fide nonnulli dubitant. Sed etſi id liberaliter Adverſariis daremus, anne propterea nutaret traditio? nonne ex ſola traditione confirmata eſt baptiſmi ab hæreticis collati veritas, etſi illam Cyprianus, Firmilianus, & alii bene multi negarent? Fides, quæ ſeculo ſecundo ubique fulgebat, transfuſa eſt ad poſteros, inter quos primum nomino Hyppolitum Martyrem, & Epiſcopum Portuenſem, qui apud Anaſtaſium in Collect. pag. 210. Chriſtum dicit, *Deum infinitum, ſimul & circumſcriptum hominem eſſe, & intelligi utriuſque ſubſtantiam perfecte habentem*. Eandem de Chriſto fidem profeſſus eſt Cyprianus Ep. 63. ad Cæcilium, Ep. 73. ad Jubaianum, l. 2. teſtim. adverſus Judæos. Dionyſius Rom. (apud Athan. l. de decretis Nic. ſyn.) in Epiſtola contra Sabellianos *unitatem in Trinitate* mirifice prædicat. Dionyſius Alex in Apologia (qua objectum ſibi crimen diluit, quaſi contra Sabellium pugnans tres DEOS admiſiſſet) teſtatur ſe tres duntaxat ejusdem naturæ perſonas docuiſſe. Adde Gregorium Thaumaturgum apud Euſebium l. 7. c. 25. Methodium apud Theodoret. Dialog. I. Et Patres ſynodi Antiochenæ, qui adverſus Paulum Samoſatenum, poſtquam teſtati ſunt ſe tradere fidem per ſucceſſionem ab Apoſtolis in Eccleſia conſervatam, Chriſtum eſſe definiunt Sapientiam, & Verbum, virtutemque DEI ante ſecula exiſtentem, non ſola præſcientia, ſed ſubſtantia, & ſubſiſtentia DEUM, Deique Filium.

Re-

Reſpondetur Adverſariis.

ARii impietas adeo invaluit, nullus ut error pari machinationum numero propugnetur; quas & Crellius in libro de uno Deo Patre & Socinus contra Volanum, & Wiekum, & Joannes a Wolzogen ex Calviniſta novus Samoſatenus, & alii, editis copioſis voluminibus, invenerunt. Horum igitur argumenta in certas claſſes diſtributa enucleate reſolvemus.

Objectiones ex ſcripturis, & Patribus.

XXIX. OPponunt I. Verſum 28. Capitis 14. Joannis; ubi ipſe Filius profitetur ſe Patri inferiorem dicens: *ſi diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me eſt.* II. v. 17. cap. 19. Matthæi, ubi Chriſtus Adoleſcenti roganti: *magiſter bone! quid boni faciam, ut habeam vitam æternam*, repoſuit: *quid me interrogas de bono? unus eſt bonus DEUS.* Quid quod Græci, & S. Marcus c. 20. v. 18. ſic legunt: *quid me dicis bonum? nemo bonus, niſi unus DEUS.* Quibus verbis videtur Chriſtus fateri non ſe, ſed ſolum Deum bonum eſſe. III. Apud eundem c. 20. v. 23. reſpondet Filiis Zebedæi: *ſedere ad dexteram, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis: ſed quibus paratum eſt a Patre meo.* Item c. 24. de extremo judicii die ait: *de die autem illo, & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum, niſi ſolus Pater.* Igitur Filius neque ſummam poteſtatem, neque plenitudinem habet ſapientiæ.

Reſp. ad I. Hæc verba; *Pater major me eſt*, duplicem ſenſum habent. Imprimis major eſt Chriſto quoad humanitatem accepto; Deinde major eſt Chriſto (ut Deus eſt) origine, non autem eſſentia, dignitate, & tempore. Utram-

que expoſitionem Patrum nonnulli adducunt : Priorem Latini requentius, & Græci poſteriorem. Pro prima expoſitione ſunt præter alios multos Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus l. 11. de Trinit. c. 1. Pro altera Baſilius l. 1. contra Eunom. Greg. Naz. Epiph. Chryſoſt. Hom. 75. Certe ſi in ſenſu ab Arianis intento Filius minor foret Patre, quomodo eodem capite v. 9. dixiſſet; *qui videt me, videt & Patrem meum*. Quomodo verum eſt, quod Joannes ſcripſit c. 5. *Patrem ſuum dicebat DEUM, æqualem ſe faciens DEO?* quomodo c. 16. ipſe ait Filius: *omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt?* Si omnia Patris (ut arguit Victorinus l. 1. de Trin.) ſunt & ſubſtantia, & poteſtas, & dignitas. Quomodo denique ait Apoſtolus ad Philipp. 11. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem DEO?* nempe rem alienam non uſurpavit, dum ſe Patri æqualem fecit.

Ad II. R. per illa verba: *quid me dicis bonum?* Chriſtum non negaſſe ſe bonum eſſe, ſed erexiſſe tantum Adoleſcentis de ſe minus recte ſentientis fidem, quippe qui Chriſtum quidem bonum, ſanctumque eſſe magiſtrum arbitratus eſt, ſed tamen hominem purum. Hinc ergo hæc velut oggerit: ſi me arbitraris purum hominem, cur bonum appellas? Si bonum fateris, oportet ut DEUM credas, cum ſolus DEUS ſit vere bonus, & omnis boni fons, ac origo. Ita ſentit Greg. Naz. orat. 36. Nyſſenus contra Eun. 10. Hil. l. 9. Ambr. 2. de fide. Cyrillus Theſ. 10. Aug. 3. contra Maxim.

Ad III. ajo, Chriſtum omnino ibi loquutum eſſe ut DEUM, & non tantum ut hominem (ut exponit Aug. l. 1. de Trin. c. 11.) Sed nihil aliud velle, quam ſuum non eſſe, ut Matris precibus id tribuat, quod prædeſtinatione Pater, & ipſe cum Patre beatorum meritis tribuerunt: quando ſedere ad dexteram, & ſiniſtram

illis

illis ab æterno decretum eſt, qui meritis ceteris antecellunt. Textus autem, qui additur, varias apud PP. interpretationes habet. Nazianz. & Cyrill. revera Chriſtum ut hominem, illum diem ignoraſſe arbitrantur, quibus non ſubſcribimus, quando ex ſcripturis, & PP. oſtendi poteſt, nihil omnino humanum Chriſti intellectum ignoraſſe. Alii cum Theophilacto ad retundendam diſcipulorum curioſitatem Chriſtum ſe hunc diem ignorare profeſſum eſſe exiſtimant. Qui ſi de reſtrictione non pure mentali agunt, omnino ſunt audiendi. Nam Chriſtus hunc diem ut Patris Apoſtolus, & diſcipulorum doctor (qualis tantum ad illos locutus eſt) omnino ignoravit: vetitus nempe eum hominibus annunciare, illius ſcientiam communicabilem non habuit. Non enim omnia, quæ ipſe ſcivit, ſcivit ſcientia hominibus communicanda: *ego ex me ipſo*, ait Joan. 12., *non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid loquar . . . Quæ ego loquor, ſicut mihi dixit Pater, ſic loquor.*

XXX. Opponunt porro textus alios, qui Filii, & Patris inæqualitatem loquuntur. I. petitur ex Joan. v. 19. ubi Chriſtus ait: *non poteſt Filius a ſe facere quicquam, niſi videat Patrem facientem.* Quomodo ergo Filius poteſt eſſe ſummus Deus? II. Huc pertinent illa ſcripturarum loca, quibus Chriſtus oſtendit ſe non eſſe auctorem doctrinæ ſuæ, Joan. 7. 16. Quibus teſtatur ſe miſſum a Patre, ab ipſo accepiſſe mandata, ad Patrem fudiſſe preces, item ubi vocat Patrem Deum, ac Dominum ſuum, Joan. 20. 17. Et quidem ſolum verum Deum, Joan. 17. 3. III. Multis locis Factus a Patre Filius dicitur. Actorum 2. 36. ita legitur: *certiſſime ſciat omnis Domus Iſrael, quia & Dominum Eum, & Chriſtum fecit DEUS hunc JESUM, quem vos crucifixiſtis.* Item ad Hebr. 3. ait Apoſtolus, *conſiderate Apoſtolum, &*

 Pon-

tificem confeſſionis noſtræ Jeſum , *qui fidelis eſt ei*, *qui fecit eum.* Hinc illud Joan. 1. *poſt me venit vir* , *qui ante me factus eſt: quia prior me erat:* Oſtendendum igitur , hæc , quæ olim Ariani, nunc Sociniani oggerunt , divinitati Chriſti non adverſari.

Reſp. enim ad I. Filius non poteſt a ſe facere quicquam, quia una eſt Patris, ac Filii poteſtas, una, eademque operatio. Hæc reſponſio patet ex verbis ſequentibus: *quæcunque enim ille fecerit*, *hæc & Filius ſimiliter facit*, atque etiam ex præcedentibus : *Pater meus uſque modo operatur* , *& ego operor.* Vide Ambroſium l. 2. de Sp. S. c. 12.

Ad II. R. Inprimis doctrina Chriſti vel dicitur eſſe Patris, quia ab illo originaliter eſt profecta ; vel in ſenſu Judæis contrario, qui opinabantur ipſum diverſum voluntate, ac doctrina a Patre, ſuam facere voluntatem, & doctrinam ſuam ſpargere; cum tamen una ſit ipſius, ac Patris voluntas. Deinde dicitur Filius miſſus a Patre , eique obediens ſpectata natura humana. Hinc Auguſtinus Tract. in Joan. ita loquitur : *neque dixit DEUM noſtrum : ergo aliter meum* , *aliter veſtrum* ; *DEUM meum* , *ſub quo & ego homo ſum*, *DEUM veſtrum*, *inter quos & ipſum mediator ſum.*

Ad III. ajo , verbis illis Apoſtoli : *hunc Jeſum Dominum ipſum* , *& Chriſtum fecit DEUS* , notari duntaxat , rerum omnium principatum , & dominatum a Patre Filio eſſe commiſſum, non autem narrari, quomodo eſſe cœperit , ut exponit Baſilius l. 2. contra Eun. Filius nempe humanam carnem indutus ut crucifixus eſt , ita a Patre factus eſt Dominus & Judex omnium. Athanaſius tamen Orat. 3. hunc locum ſumit de divina Filii natura, & generatione, contenditque argumen-

to

to ex c. 38. Iſ. v. 19. deſumpto, verbum *facio* in ſcriptura etiam pro *gigno* ſumi. Rurſus verba illa: *qui fidelis eſt ei, qui fecit eum*, ſignificant: *qui fecit illum Apoſtolum, & Pontificem*, atque ſic de Chriſti rurſus humana natura, non de divina Geneſi agunt. Denique locum illum ex C. 1. Joannis Epiphanius (hæreſ. 69.) ita ſumit, ut τὸ *factus* non aliud, quam *extitit*, vel *natus eſt*, ſignificet. Auguſtinus vero, Chryſoſt. Cyrill. Ambroſius, & alii ita exponunt: poſt me venit vir, qui mihi eſt præfectus, ſeu præpoſitus: ratio autem, cur mihi ſit præpoſitus, cur ſit ante me factus, eſt, quia prior me erat, quia nempe ab æterno erat, ille Dei agnus ab æterno deſtinatus, ut in tempore tolleret peccata mundi.

XXXI. Urgent ex Apoſtolo, qui ad Coloſſ, 1. 15. ita ait: *qui eſt imago DEI inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ.* Atqui *primogenitus* alios ejusdem conditionis filios notat; quare cum omnes alii ſint filii adoptivi, etiam Chriſtus in iſtorum numero erit.

R. I. ex mente illorum PP. qui hæc verba de Chriſto ut Dei filio, & non ut homine dicta exiſtimant, non notatur aliud, quam ante omnem creaturam genitum eſſe Filium Dei, & per ipſum facta eſſe omnia: quaſi diceretur creaturis prius genitus, ſeu ante creaturas exiſtens; unde hoc loco teſte Baſilio (l. 4. adverſus Eun.) non comparantur res ejusdem ſpeciei. Huic expoſitioni favet ipſe textus, qui ſtatim rationem, cur primogenitus dicatur, ſubdit: *quoniam in ipſo creata ſunt univerſa .. omnia in ipſo, & per ipſum creata ſunt: & ipſe eſt ante omnes.* Sicut igitur ex eo, quod *primogenitus mortuorum* dicatur v. 18., inferre non poſſunt Sociniani, eum mortuum eſſe, ac proinde comparationem fieri inter res ejus-

dem ſpeciei, ſed tantum eum eſſe, cauſam reſurrectionis ex mortuis: ita ex eo, quod dicatur *primogenitus omnis creaturæ*, non conſequetur eum eſſe creaturam, ſed tantum eum eſſe cauſam educendæ ex non extantibus creaturæ. R. II. hæc verba probabilius loqui de Chriſto tantum ut homine, notareque decretum intentivum, quo tanquam finis omnis creaturæ, ante omnem creaturam eſt intentus; ut Cyrillus Theſaur. l. 25. inde concludit, Chriſtum ut DEI Filium *unigenitum*, ut hominem *primogenitum* dici: cum ut DEI Filius fratres nullos, fratres tantum ut homo habeat. Neque dicas, Chriſtum nec ut DEI Filium eſſe unigenitum, dicente Joanne C. 1. *vidimus gloriam ejus*, *gloriam quaſi unigeniti.* Nam particula ὡς *quaſi* eſt ut plurimum definitivum, atque ut Chryſoſt. Hom. 11. in Joan. ſcribit, confirmationis, & indubitatæ determinationis. Ita Matth. 14. legimus: ὡς προφήτην, quia *ſicut prophetam* eum habuerunt. Et in Ep. ad Philem. *ut Paulus*, græce ὡς παῦλος.

XXXII. Objiciunt III. Sociniani veterum quorundam Patrum dicta. Sic D. Ignatius Ep. ad Tarſenſes de Filio dicit: *non ipſe eſt, qui ſuper omnia DEUS Pater, ſed Filius ejus.* S. Juſtinus Patrem *Filii cauſam* appellat. Atqui cauſa alterius eſt ab effectu naturæ, eoque prior. Athenagoras ait, quidquid genitum eſt, id aliquando cæpiſſe: idem autem ſtatuit verbum eſſe genitum. Clemens Al. l. I. Strom. dicit: *beneficentiſſima* eſt natura Filii, quæ ſoli omnipotenti propinquiſſima eſt. Igitur natura Filii diſtincta eſt a natura Patris. Idem l. 5. Strom. docet verbum eſſe *ſapientiam primo creatam.*

Reſp. ad primum, D. Ignatium verbis citatis nihil voluiſſe aliud, quam Filium non eſſe fontem totius Divinitatis, ſicut Pater eſt. Patet id tum ex dictis; tum quia hic etiam

pro-

probat, quod Filius ſit *DEUS*, *Verbum* & *Filius unigenitus*, ex hoc textu : *in principio erat verbum.* S. Juſtinus Patrem appellat Filii cauſam minus proprie; quo ſenſu plurimi ex græcis præſertim PP. uſi ſunt, notantes nomine cauſæ principium, ac ſolam originem. Nam idem D. Doctor dicit Filium eſſe Dominum, ac Deum omnipotentem, perinde ac Pater eſt. Athenagoras vocem γεννητὸν uſurpat de rebus creatis, atque adeo idem eſt, quod γενόμενον, ſeu factum, & creatum. At idem negat Verbum eſſe γενόμενον, ſeu factum. Clemens Alex. primo loco *naturam* uſurpat pro perſona Filii, quæ ideo dicitur Patri *propinquiſſima*, nempe ordine originis, quia prima procedit a Patre. Hinc etiam per vocem, *creatam* intelligit *genitam*, & quidem primo genitam, quia prior eſt origine perſona Spiritus S. Uberiores PP. expoſitiones doctiſſime perſequitur Petavius.

At vox hæc ὁμοούσιον, inquiunt, in ſacris literis non reperitur, importune igitur a Patribus Nicænæ ſynodi fuit recepta, & ſymbolo addita. Quid, quod Antiochena ſynodus 60 circiter annis ante Nicænam celebrata illam vocem, qua Paulus Samoſatenus eſt uſus, proſcripſit. R. cum Auguſtino. Etſi fortaſſe nomen iſtud non inveniretur: Opportune tamen uſurpatum eſt adverſus Arianos, qui aſſerebant & Filium ex nihilo eſſe, & aliquando cum Patre non fuiſſe. Jam vero hac voce & Verbi ſignificatur æternitas, & in eo Patris affirmatur ſubſtantia. Synodus autem Alex. non damnavit hanc vocem, prout in propria ſignificatione demonſtrat tres perſonas, quibus eadem natura communis eſt abſque ejusdem partitione: ſed proſcripſit duntaxat illam in ſenſu Pauli Samoſateni, quatenus uſurpatur pro natura ſpecie una, quæ in ſingulis individuis ſcinditur, ac dividitur. Plura hoc de argumento Doctiſſimus Bertius l. 7. de Trinitate.

Di-

Diluuntur reliqua Socinianorum Sophiſmata.

XXXIII. SUpereſt, ut iis etiam argumentis ſatisfaciamus, quæ argutando primum Ariani, deinde fratres Poloni, & inter hos Wolzogenius congeſſerunt. Sunt autem hujusmodi. I. Si DEUS ex eſſentia ſua genuit aliam perſonam, ſequeretur alium DEUM genuiſſe: quemadmodum fieri videmus in humana generatione, ut pater, quando filium gignit, gignat alium hominem. Addit Wolzogenius, hanc ſententiam tempore Nicæni Concilii viguiſſe inter Patres, cum in illius ſymbolo Chriſtus dicatur *DEUS de DEO*.

Reſp. negando ſequelam. Quando enim inter DEUM, & creaturas fit comparatio, omnis iſtarum imperfectio ab illo eſt removenda: ſicut in DEO aſſerentes naturam, operationes, potentiam, aliaque id genus, omnem removemus conditionem mutationis, qualitatis, accidentis, aliasque, quæ in creaturis inſunt, imperfectiones. Generatio eſt origo unius perſonæ ab alia cum naturæ ſimilitudine. Quod gignens, & genitus ſint res ſubſiſtentes, & ille huic naturam, ac proprietates communicet, perfectio eſt generationis. At quod genitor tempore præcedat genitum, quod natura dividatur, & abſcindatur, quod generatio ſit actio accidentalis, fiatque ſucceſſive, id non ad generationis eſſentiam, ſed ad defectum pertinet creaturarum. Ajo igitur, in hominum generationibus filium eſſe hominem diverſum a Patre, quoniam natura corporum non eſt ſimplex, & generatio ex materiæ effluxione peragitur: at DEUS cum ſit impartibilis, gignendo non dividit eſſentiam, nec influxio in ipſo eſt, ut in hominibus. Ita olim Arianis ſimilia objicientibus reſponderunt Athanaſius, Greg. Nyſſ. Hilarius. Ad id, quod additur, dico, *DEI* nomen aliquando pro Perſona, aliquando pro eſſentia accipi, te-

ſte

ſte Damaſceno: appellatur igitur Chriſtus *DEUS de DEO*, id eſt, perſona divina ex perſona Divina.

Inſtabis. Si Filius generatur ex Patre; vel iſthæc generatio jam præteriit, vel adhuc durat: neutrum dici poteſt. Si præteriit; ergo factus eſt Deus ex generante non generans. Si adhuc durat, nondum perfecta eſt verbi divini generatio. R. gigni Filium nihil aliud ſignificat, niſi exiſtentiam habere a Patre: habet autem Dei Filius ſemper exiſtentiam a Patre; ſemper igitur gignitur. Non tamen idcirco nondum perfectus eſt; ut ea, quæ gignuntur in tempore, quamdiu gignuntur, perfecta non ſunt. Illud namque æternum gignere inſtantaneum eſt, & ſimul dat totum indiviſibile, & perfectum verbum: ſed inſtans illud tota eſt æternitas, quæ omnia in ſe complectitur tempora, quæ præteritum, quæ futurum neſcit, quæ eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio, quæ proinde, omni tempore præſens, facit, ut omni tempore gignere Filium, Pater dicatur. V. Nyſſ. 8. contra Eun. Athan. Orat. 5. contra Arian. Auguſt. in Pſ. 2. & 44.

Opp. II. Pater vel genuit Filium exiſtentem, vel non exiſtentem; ſi prius, fruſtra genitus eſt: ſi poſterius, ergo Filius aliquando non fuit. R. Pater ſemper gignit Filium ſemper exiſtentem: non exiſtentem quidem independenter ab hac generatione, ſed per hanc generationem ſemper exiſtentem. Quare & Filius nec genitus eſt ex non extantibus, neque ex jam extantibus; ut monet Nazianz. Orat. 35. quia nihil æternam Filii generationem præceſſit; niſi velis ex jam extante Patris ſubſtantia Filium eſſe genitum, non tamen ut hæc præceſſerit Filium, ſed tantum ſic, ut ipſa æternum genito Filio a Patre non largiendo, ſed generando ſit communicata.

Si quæritur cum Arianis, Paterne Filium volens, an nolens genuerit? reponendum inprimis cum Naz. Orat. 35. DEUS ne volens, an nolens DEUS eſt? deinde dicendum, neque volendo, ſed neceſſitate naturali Patrem genuiſſe Filium, ut naturali neceſſitate DEUS eſt DEUS. In naturalibus enim (ut habet Cyrill. Theſ. 7.) nulla præcedit voluntas; quæ locum in iis ſolum habet, quæ ſunt extra deliberantis ſubſtantiam, ſicut bonus & omnipotens DEUS eſt, quæ quamvis non habeat præcedente voluntate, & electione, non tamen invitus hæc habet: vult enim id eſſe, quod eſt. Sic licet non ex voluntate genuerit Filium, non tamen invitus eum habet.

Opp. III. ex Eunomio. DEI proprietas eſt eſſe *ingenitum*; Filius non eſt ingenitus: ergo non habet DEI proprietates. Item Filius eſt ſimilis Patri; ſimilitudo eſt inter plures diverſæ ſubſtantiæ: ergo diverſæ ſubſtantiæ ſunt Filius, ac Pater. Rurſus, Pater eſt perſona Divina: Filius non eſt Pater: igitur Filius non eſt perſona Divina.

Reſp. ad I. ingenitum eſt DEI proprietas, ſi ſignificat *non factum*, *non creatum*: Conc. ſi notat *non natum*, *non genitum*, Neg. nam ſic ſumptum eſt proprietas perſonæ, non naturæ. V. Cyrill. l. 11. Theſ. c. 1. Ad II. dico Filium eſſe ſimilem Patri non ſecundum qualitatis proprietatem, ſed ſecundum identitatem ſubſtantiæ: ut loquitur Baſilius Ep. ad Cæſar. 141. Demum nomen *Patris* non ſignificat ſubſtantiam divinitatis, ſed habitudinem, & relationem. Ita L. 3. Nazianzenus.

CA-

CAPUT III.
DE DIVINITATE SPIRITUS SANCTI.

AGendum hic eſt contra Macedonianos, qui docuerunt Spiritum S. Patre, Filioque minorem, nec ejusdem cum Patre, & Filio ſubſtantiæ, ſed meram creaturam eſſe. Huic controverſiæ rurſus ſe miſcent Sociniani, qui Spiritum S. dicunt non eſſe ipſum Deum ſummum (cujus divinitatem ſoli Patri tribuunt) ſed virtutem, per quam Deus fideles ſuos ſanctificat, eosque ſupernaturali poteſtate exornat. Contra hos Pneumatomachos duo nobis demonſtranda veniunt I. Spiritum S. non eſſe puram Dei efficaciam, ſed propriam, ſubſiſtentemque Perſonam. II. Eam eſſe æterno Patri, ac Filio conſubſtantialem.

§. I.

Oſtenditur contra Socinianos, Spiritum Sanctum eſſe propriam, verique nominis Perſonam.

XXXIV. UT ordine procedamus, generale argumentum ita præmitto. Si ſcripturæ Spiritum S. conjungunt cum Patre, & Filio, tanquam diſtinctam perſonam; ſi eidem tribuunt actiones perſonarum proprias: Si illum ſecernunt a donis ſpiritualibus, dicendum eſt, Spiritum S. non eſſe puram Dei efficaciam, ſed veram, diſtinctamque perſonam. Atqui iſta omnia in ſcripturis habentur.

I. enim conjungunt Spiritum S. cum Patre, & Filio, tanquam diſtinctam SS. Trinitatis perſonam; ut patet ex baptiſmi ab ipſo inſtituti formula, ex promiſſione Spiritus S. ab ipſo facta, ex ipſo Divinarum perſonarum teſtimonio, quæ omnia

fuſius §. 2. Cap. 1. perſecuti ſumus. Addo teſtimonium Apoſtoli 2. ad Corinth. 13. ita loquentis : *gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti*, *&* *Charitas DEI*, *&* *communicatio Spiritus S. ſit cum omnibus Amen*, Hic ea ratione communicatione Spiritus S. qua ratione gratia JEſu Chriſti ſeu DEI Filii, & Charitate DEI, ſeu Patris benedicit Corinthiis ſuis Apoſtolus. Igitur æqualis omnes poteſtatis, virtutisque eſſe profitetur.

II. Tribuunt Spritui S. Scripturæ actiones perſonarum proprias. Solarum enim perſonarum eſt loqui, & quidem tanquam cauſam principalem, per alium tanquam aliquod inſtrumentum : docere, teſtimonium dicere, revelare futura, intelligere, & ſcrutari profunda DEI, largiri dona ſpiritualia pro ſuæ voluntatis arbitrio. Intelligentia enim & voluntas, & quæ ex his conſequuntur, ſolis perſonis ineſſe poſſunt. Atqui hæc ſingula adſcribuntur Spiritui Sancto, Matth. 10. V. 19. Joan. 16. v. 13. Joan. 15. 26. Joan. 16. v. 13. 1. Corinth. 2. v. 10. I. ad Corinth. 12. ubi, poſtquam Apoſtolus varia recenſuiſſet gratiarum dona, ſubjungit : *hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens ſingulis, prout vult.*

III. Secernunt etiam Spiritum Sanctum a donis ſpiritualibus. Etſi enim non negemus, aliquando Spiritus nomine deſignari dona, & Chariſmata, eo quod effecta ſæpe pro ſuis cauſis memorentur : idem tamen Spiritus frequenter ab illis ſecernitur, nullus ut eſſe poſſit errori locus. Luc. 4. dicitur: *& regreſſus eſt JEſus in virtute Spiritus S.* Act. 1. 8. *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos.* 1. Corinth. 12. *diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus &c.*

Variis molitionibus has auctoritates infringere conatur Fauſtus

ſtus Socinus L. contra Sp. S. Ait enim primo, formam baptiſmi pro Trinitariis minime pugnare; cum Matth. 3. legamus: *ego quidem baptizo vos aqua, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Sicut igitur aqua, & ignis, quibus baptiſmus fieri dicitur, non ſunt perſonæ, neque perſona erit Spiritus Sanctus, quo baptizamur: Nam perſona non poteſt eſſe id, quo quis baptizatur. Deinde non obſtat, quod in formula baptiſmi conjungatur Spiritus S. cum Patre, & Filio; etenim ſæpe cum perſonis res non ſubſiſtentes junguntur, ut ad Eph. 6. *confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus* Et 1. Theſſal. 1. *gratia vobis, & pax a DEO Patre noſtro &c.* Neque plus evincunt actiones perſonarum propriæ, quæ Spiritui S. tribuuntur; cum actiones perſonales perſæpe in ſcripturis tribuantur rebus non ſubſiſtentibus. Sic lex dicitur *loqui* ad Rom. 3. Unctio Dei dicitur *docere*, 1. Joan. 2. *teſtimonium perhibent* etiam opera Joan. 10. Et aqua & ſanguis &c. Demum non probatur Spiritus S. perſona ex eo, quod nonnunquam jungantur virtus ſimul, & Spiritus S. Nam ad Rom. 15. 19. ſcriptum eſt: *in virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti.* Si ergo perſona non ſunt ſigna, & prodigia, quare perſona creditur eſſe Spiritus Sanctus?

Futilia ſunt hæc Socini effugia. I. enim non negamus *baptizari Spiritu Sancto* ſignificare quidem interius animæ lavacrum, id eſt ſanctificationem, & gratiam, per quam baptiſmus Chriſti præſtantior eſt baptiſmate Joannis, qui ex ſe non conferebat remiſſionem peccatorum: ſed ex hoc ipſo eruimus præter hanc remiſſionem peccatorum (quæ per metonymiam dicitur Spiritus S.) dari hujus cauſam efficientem, quæ eſt Spiritus Divinus. Si enim res effecta ſumitur interdum pro perſona efficiente, ſi teſte D. Joanne (c. 3. v. 6.) *quod na-*

 tum

tum eſt ex Spiritu Spiritus eſt, ſi remiſſio peccatorum, charitas, regeneratio diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum (ad Rom. v. 5.) ac proinde ſi remiſſio peccatorum eſt res a Spiritu S. effecta, ab eoque diſtincta, nonne ſequitur præter Spiritum S. qui eſt donum DEI, & Chariſma, dari Spiritum Sanctum, qui eſt perſona renovans corda, & ſanctitatem efficiens. II. non ex ſola conjunctione Spiritus Sancti cum Patre, & Filio conficimus, perſonam eſſe ſpiritum divinum, ſed ex tali conjunctione, quæ perſonam diſtinctam indicat. Sic in baptiſmo Chriſti eodem modo commemoratur Spiritus S. quo Pater, & Filius; & Chriſtus dicitur vidiſſe *Spiritum DEI deſcendentem.* In baptiſmi formula dicitur *in nomine &c.* ut adeo baptiſmus conferatur æque auctoritate Spiritus Sancti, ac aliarum perſonarum. Sed de his egimus c. 1. §. 2. III. rurſum non negamus interdum in ſcripturis rebus inanimatis tribui actiones perſonales: ſed certi ſunt Characteres, quibus perſonæ a rebus ceteris ſecernuntur. Inprimis ex ſubjecta materia, ex antecedentibus, & conſequentibus æſtimandum eſt, quo ſenſu loquatur Scriptura. Cum igitur Spiritus S. conſtanter in ſcripturis deſignetur ut perſona ſubſiſtens, & a Donis ſuis diſtinguatur, quidni dicemus, Scripturam in iis locis proprie loqui? Sane cum nomen *Spiritus* accipiatur modo pro energia, ſeu efficacia, modo pro re ſubſiſtente, conſequens eſt, ubi nomen Spiritus donum, & energiam non ſignificat, debere perſonam aliquam ſignificare. Quare cum Joan. 7. ſcriptum ſit: *nondum erat Spiritus datus, quia JEſus nondum fuerat glorificatus.* Et 16: *Si non abiero, Paraclitus non veniet;* atque his locis nomen Spiritus nequeat ſignificare ſolam virtutem, & energiam, quoniam hæc ante glorificationem, & aſcenſionem Chriſti tum Patriarchis, tum ipſis Apoſtolis collata fuerat; conſequens eſt, ut Spiritus Paraclitus, qui glorificato Chriſto deſcendit, non ſit ſola virtus, & energia-

gia, ſed perſona, & ſubſtantia ſupernaturalis virtutis diſpenſatrix. Reliquis Socinianorum objectis infra occurremus.

§. II.

Demonſtratur Spiritum S. eſſe verum Deum, Patri, Filioque conſubſtantialem.

XXXV. Dogma hoc fidei oſtendimus cumprimis teſtimoniis tam veteris, quam novi fœderis. I. 2. Reg. 23. ait David: *Spiritus Domini* (hebraice Jehovæ) *locutus eſt per me:* Tum exponens, quis ſit ille Spiritus, ſubdit; *dixit DEUS Iſrael mihi, locutus eſt fortis Iſrael.* Similis eſt ſententia Iſaiæ 6. *Et dixit Dominus exercituum* (Jehova, de quo paulo ante) *vade, & dices populo huic: audite audientes, & nolite intelligere.* At id de Spiritu S. interpretatur Paulus Act. 28. 25. Rurſus paſſim Deus dicitur eſſe locutus per prophetas; at idem ille Deus ſtatuitur eſſe Spiritus S. Act. 1. 11. 2. Petri 1. Jam vero idem ille Spiritus Sanctus a Patre diſtinguitur, & tanquam ab utroque alius exhibetur in plurimis ſcripturarum locis capite primo allatis; præſertim vero Joan. 14. 16. Ergo Spiritus S. vera eſt Perſona Divina a Patre, & Filio diſtincta.

II. Spiritus Sanctus eſt quid unum cum Patre, & Filio Matth. 28, & 1. Joan. c. 5. quæ loca expendimus alibi. In Ep. 1. ad Corinth. ait Apoſtolus: *neſcitis, quia templum DEI eſtis*, additque ſtatim: *& Spiritus DEI habitat in vobis.* Fatetur ergo Spiritum Deum eſſe, cujus templum ſuos eſſe monuit. Actorum 5. v. 3. Petrus ſic Ananiam affatur: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto . . . non es mentitus hominibus, ſed DEO.* Unde ſic colligimus:

Ana-

Ananias mentitus erat Spiritui Sancto. At ſtatim Petrus rem explicans addit, non hominibus, ſed Deo mentitum eſſe. Ergo Spiritus S. eſt Deus.

Neque eſt, quod Crellius dicat, I. græce eſſe *mentiri Spiritum Sanctum*, ſeu *eum fallere*. II. Spiritus Sancti nomine Apoſtolos intelligi, quos decipere volebat Ananias, & in quibus erat Spiritus S. Utrumque enim vanum eſt. Mentiri enim alicui græce dativo, vel accuſativo in ſcripturis promiſcue exprimitur, de quo conſule Deut. 33. 29. Pſ. 65. 3. Iſ. 57. 11. Deinde vero ſive Spiritui Sancto mentiri, ſeu fallere eum voluiſſe dicatur Ananias, perinde eſt; is enim, cui mentiri, vel quem fallere voluit, dicitur Deus. Quis autem unquam audiit Apoſtolos Spiritus S. nomine fuiſſe inſignitos? Secernuntur ibidem Apoſtoli a Spiritu S. dicente Petro: *non es mentitus hominibus, ſed DEO.*

De Traditione veterum PP. dubium nullum eſſe poteſt. Apertis enim verbis Divinitatem Spiritus Sancti declararunt S. Juſtinus Apolog. I. Athenagoras in Apolog. S. Irenæus l. 4. c. 37. S. Clemens Alex. L. I. Pædag. c. 6. S. Cyprianus Ep. 73. In his igitur referendis operam non ponam; cum hanc traditionem confirment generalia concilia, Nicænum, & expreſſius Conſtantinopolitanum I. in ſymbolo, & in Epiſtola Synodica ad Epiſcopos occidentis; neque id negant hæretici Sociniani, contra quos potiſſimum diſputamus: quorum aliqui catholicam de Trinitate doctrinam appellant commentum veterum Patrum ex Ethnica Platonis ſchola in religionem Chriſtianam intraductum, ut Wolzogenius c. 6. in Joan. aliqui audacter proferunt hoc dogma non eſſe in ſcripturis contentum, ſed iisdem potius contrarium, ut Fauſtus Socinus contra Wiekum p. 617. Quare reliquum eſt, ut illorum objecta expendamus.

§. III.

§. III.

Refelluntur Objecta Socinianorum.

XXXVI. Argumentum primum proponit Fauſtus Socinus (L. contra Wiekum c. x.) hoc modo. Etſi Apoſtolus 1. Cor. 13. Charitati tribuat actiones perſonis proprias, quando ait: *non æmulatur, non agit perperam, non quærit, quæ ſua ſunt &c.* Illa tamen non eſt perſona ſubſiſtens, ſed donum Dei, & accidens. Cur igitur idem dici nequeat de Spiritu Sancto, etſi interdum ei actiones perſonarum attribuantur? R. diſparem omnino eſſe utriuſque rationem. Tropi namque, ac metaphoræ ex verborum complexu, & ſubjecto cognoſci poſſunt. At Spiritus nomen perſonæ eſt, neque ſignificat ſolam energiam, ſed aliquando rem ſubſiſtentem, præſertim cum de Divino Spiritu agitur, ut paulo ante vidimus. Sicut alia eſt Charitas, quæ diffunditur in cordibus noſtris, & alia, de qua dicitur: *DEUS Charitas eſt;* ita alius eſt ſpiritus, qui eſt chariſma, ac gratia, & alius, de quo dicitur: *Spiritus eſt DEUS.* Videat Socinus dari duplicem charitatem, & duplicem ſpiritum, accidentalem, & ſubſtantialem, effectum, & cauſam, donum, & perſonam.

Inſtat Socinus. Spiritus Dei nomine ſignificatur virtus, & efficacia, ut Iſ. 40. 7. Legitur exareſcere herbam, & cadere florem, cum ſpiritus Domini ſufflaverit in eum. Quis autem virtutem, & efficaciam dixerit eſſe perſonam? R. non ſolam virtutem hac voce ſpiritus concedimus ſignificari, ſed & ventum, vocem, animum, affectum, ſubſtantiam, aliaque, quæ collegit Joan. Clericus P. 2. Art. Crit. Sect. 1. Art. 5. Fruſtra tamen hinc inferes, nullibi eo nomine deſignari perſonam. Imo, quod ſupra monui, res effecta efficientis per-

ſonæ nomen ſortitur; & Spiritus Sanctus idcirco appellatur, quidquid ipſe præſtat. Hoc modo & animam pro vita, ac voluntate, Moyſem, & prophetas pro eorum libris, Linguam pro ſermone uſurpamus.

XXXVII. Opponit II. Wolzogenius (l. de 3. in una deitate perſ.) varia Scripturarum loca. Spiritus S. nuncupatur *donum DEI*, Act. 8. 20. Atqui donum non eſt perſona. Dicitur *effundi*, Act. 2. Imo ibidem, ſignificatur eſſe diſtributus ſingulis Apoſtolis. Rurſus dicitur *duplicari*, *extingui* &c. 4. Reg. c. 2. v. 9. & 1. Theſſal. 1. 19. At hæc omnia in perſonam non cadunt. R. omnia paucis reſolvi, ſi dicatur, Wolzogenium Spiritus Sancti dona cum ejus perſona confundere. At quoniam aliqua divinæ quoque perſonæ conveniunt, ſingulis erit reſpondendum.

I. Donum aliquando ſumitur pro perſona. Sic enim Chriſtus Joan. 6. ſæpe teſtatur ſe eſſe datum hominibus a DEO; & idem Gal. 1. v. 4. dicitur *ſemetipſum dediſſe pro peccatis noſtris*. Et vero nihil obſtat, quo minus perſona aliqua alteram dono det, aut ſemetipſa. Quare recte Spiritus S. dicitur *donum DEI*, id eſt Patris, & Filii: imo poteſt & ſui ipſius dici donum. II. tam poteſt perſona dici in aliquos effundi, quam ea quosdam indui. Atqui Chriſtiani in baptiſmo dicuntur Chriſtum induere. Ceterum effunditur ſpiritus in gratiæ muneribus juxta illud Act. x. *gratia Spiritus S. effuſa eſt.* III. Dividitur ſpiritus ratione ſymbolorum, in quorum diviſione unitatem ſervat ſubſtantiæ, ut colligitur ex c. 2. Act. ubi recenſetur multitudo linguarum, & unus ſpiritus, denique monemur, ne extinguamus ſpiritum, poſito perſonæ nomine pro re effecta; idque valde proprie, cum ſpiritus in ignis forma deſcenderit.

XXXVIII. Opp. III. Ad Rom. 8. ſcriptum eſt: *Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* & ad Eph. 4. *nolite contriſtare ſpiritum.* At gemere, contriſtari Deo nequeunt convenire. Rurſus Joan. 1. habetur: omnia facta eſſe per Verbum; igitur ſi Spiritus S. eſt aliquid, factus eſt, ideoque res creata. Scrutari quoque dicitur profunda Dei, 1. Corinth. 2. quod ignorantiæ eſt argumentum.

R. Spiritum S. hoc ſenſu poſtulare pro nobis, quia poſtulare facit: cujus expoſitionis veritas patet, quia eodem capite appellatur ſpiritus adoptionis, *in quo clamamus, Abba Pater.* Atque Zach. 12. *ſpiritus gratiæ, & precum.* Nam actiones tribui ſolent iis, qui agendi conferunt poteſtatem. Joan. 1. per *omnia* comprehenditur univerſitas creaturarum, a quibus ut diſtinguitur Pater, qui verbo ſuo condidit cælum, & terram; ita ſejungitur ſpiritus oris ejus, a quo eſt qualiſcunque virtus eorum. Demum Τὸ *ſcrutari* non ſemper indaginem, & ignorantiam notat, ſed ſæpe certam, intimamque notitiam, ut Pſ. 7. 10. Jer. 11. 20. Apoc. 2. ubi dicitur Deus ſcrutari renes, & corda: quo ſenſu accipiendum hoc verbum loco citato liquet, quia illic *τὸ πνεῦμα* ſcrutari dicitur *βάθη τοῦ Θεοῦ*, *profunda DEI;* nempe conſilia occulta, & altitudinem ſapientiæ Dei, cujus viæ, & receſſus creatis ſunt mentibus inſcrutabiles.

CAPUT IV.

AN SPIRITUS SANCTUS PROCEDAT A PATRE, AC FILIO?

Quatuor erunt hujus argumenti capita. Primo quæremus, quæ origo, & quis progreſſus fuerit hujus controverſiæ.

 Se-

Secundo an re ipſa Spiritus S. a Filio procedat: Tertio an, ſi non a Filio procederet, ab ipſo diſtingueretur: quarto an ſymbolo Conſtantinopolitano recte inſerta ſit vocula, *Filioque*.

§. I.

De origine, & progreſſu hujus Controverſiæ.

XXXIX. INgens verſatur Latinos inter, & Græcos de proceſſione Spiritus S. diſſidium, his, non quidem omnibus, ſed levioribus tantum & Schismaticis, aſſerentibus a ſolo Patre procedere, illis propugnantibus originem habere a Patre, & Filio. Atque erroris græcorum auctor teſte Bellarm. (l. 2. de Chriſto c. 21.) & Petavio (l. 7. de Trin. c. 1.) creditur Theodoretus, qui in *confutatione IX. Anathematiſmi Cyrilli* ait, impium eſſe, ac blaſphemum, ſi Spiritus S. ita dicatur proprius Filii, ut ex Filio, & per Filium exiſtentiam habeat.

Septimo ſeculo, circa A. 640. Græci inſurgebant in Latinos, quorum adverſus populares ſuos patrocinium idcirco ſuſcepit e græca gente ſcriptor S. Maximus martyr, *in Ep. ad Marinum*, de qua Petavius l. 7. 2. c. 2. N. Sed octavo ſeculo longe acrior exarſit diſputatio: quo factum eſt, ut ea de re plures ſub Pipino, & Carolo Magno ſynodij habitæ fuerint; nempe Gentiliacenſis ad Lutetiam, Forojulienſis, & Francofordienſis omnium celeberrima. Ineunte 9. ſeculo, cum eadem ferverit contentio, duæ inſuper aliæ ſynodi ſunt habitæ, Aquiſgranenſis, & Arelatenſis.

Verum ſub ejusdem ſeculi finem hic ignis in apertum incendium erupit, opera Photii pſeudopatriarchæ Conſtantinop. quem hominem totius orientis exitio natum Synodus octava conde-

demnavit. Ille cum ob ejectum e ſede Conſtant. Ignatium a Nicolao S. Pontifice damnatus eſſet, non modo in ipſum ſententiam retorſit, ſed & peſtilentes adverſus eundem, & omnes latinos literas conſcripſit, in quibus hoc eis inter alia objicit, quod Spiritum S. a Filio procedere cenſerent. Objecta capita Nicolaus miſit ad Hincmarum Remenſem, aliosque Epiſcopos gallos, qui errorem græcorum refutare aggreſſi ſunt. Sed græci nihilominus Photio adhæſerunt, & in hunc errorem ita deinceps conſpirarunt, ut hac potiſſimum teſſera a latinis diſtinguerentur.

Undecimo autem ſeculo inſtaurata pugna eſt, & perfectum Schiſma, inventore præſertim Michaele Cerulario, Conſtantinopolitano itidem Patriarcha, & favente Conſtantino Monomacho Imperatore. Michael enim ambitione amplificandæ dignitatis æſtuans, & ita inflammatus in latinos, ubique promulgare cæpit eos omnes ut ab Eccleſiæ ſinu excluſos ſpectari oportere, quod & fidem temerare, & voculam *Filioque* in ſymbolum intrudere auſi eſſent. Cum ergo diſcordiæ lues indies magis ac magis augeretur, ut tanto malo neceſſarium remedium adhiberetur, varia ſubinde concilia ſunt coacta.

Ac I. quidem Barenſe in Italia A. 1097. ſub Urbano II. S. Pontifice, ubi Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus inſigne ſibi nomen comparavit, & ſingularem pro Catholica fide navavit operam. Alterum fuit Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. A. 1215. in quo ad Romanæ Eccleſiæ communionem redierunt græci, & Sedata eſt contentio. At relapſi continuo in antiquum errorem. Hinc coacta eſt ſynodus Lugdunenſis II. A. 1274. ſub Gregorio X. in qua pax inter utramque Eccleſiam redintegrata eſt annitente potiſſimum Michaele Palæologo græcorum imperatore, cujus & græcæ Eccleſiæ Epiſcoporum nomi-

mine legati ad S. Pontificem, & Synodum miſſi errorem palam ejurarunt, ac ſymbolum (cui inſertum erat: *Filioque*) una cum latinis in ſacris ſolenni ritu decantarunt; ut conſtat ex actis conc. Pugnarunt interim adverſus domeſticos viri celebratiſſimi Joannes Beccus, & Nicephorus Blemmydes, de quibus plura Petavius l. 7. c. 1.

Tandem A. 1439. ſub Eugenio IV. celebratum eſt Concilium Florentinum, quo acceſſit ipſe Imp. Joannes Palæologus cum Patriarcha Conſtant. aliisque Eccleſiæ græcæ præſulibus, quos inter eminebat Beſſarion, qui agnito gentis ſuæ errore ad Latinorum partes acceſſit. In ea ſynodo poſt varias de hoc argumento diſſertationes, græci tandem Patres catholico dogmati ſubſcripſerunt, uno excepto Marco Epheſio, qui græcorum partes ibi acriter propugnarat, & in patriam reverſus, pro ſua, qua plurimum valebat, gratia, ſuorum animos facile pervertit. Ex hoc tempore græci antiquum ſuum tuentur errorem; etſi complures ſint, qui cum Romanis rectæ fidei confeſſione communicent.

§. II.

Oſtenditur Contra Græcos Schiſmaticos, Spiritum S. a Patre ſimul ac Filio procedere.

XL. TRiplici argumentorum genere hoc dogma probamus, Scripturis, auctoritate Patrum, ratione. Sint ergo primo loco teſtimonia ſcripturarum.

I. C. 16. Joan. v. 7. habetur: *ſi autem non abiero, paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Spiritus ergo Sanctus mittitur a Filio: atqui miſſio originem arguit. Nam primo hic eſt ordo naturæ divinæ, ut qui a nullo-

lo eſt, a nullo mittatur, ut probat in Ep. ad Serap. S. Athanaſius; & l. 4. de Trin. C. 19. S. Auguſt. Deinde Filii proceſſio a Patre inde probatur: *miſit DEUS Filium ſuum*; quia exivit a Patre, & venit in hunc mundum. Ac demum qui ab alio mittitur, debet ab eo recipere aliquam poteſtatem, ac ſaltem mandatum. At Spiritus S. tanquam ſummus Deus non accipit a Filio mandatum: recipit ergo poteſtatem, quæ a Divina ſubſtantia nequit eſſe diſtincta. Neque reponi poteſt a Græcis, Spiritum S. qui a Filio mittitur, non eſſe perſonam divinam, ſed gratiam Sanctificationis: nam miſit Filius Spiritum, *qui a Patre procedit.* At Spiritum, qui a Patre procedit, perſonam eſſe græci non dubitant.

II. Rurſus eodem capite Joan. v. 13. & 14. habetur: *Non loquetur a ſemetipſo; ſed quæcunque audiet, loquetur . . . Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt: propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Ex his verbis perſpicuum eſt I. Spiritum S. non locuturum, niſi quod audierit a Filio. 2. eundem recipere ſcientiam ſuam, ſeu eſſe a Filio. Quid enim accipere poteſt divina perſona, cui eſſentia eſt, quidquid habet? Sed recipere eſſe idem eſt, ac procedere. 3. cauſam, cur ſcientiam hanc a Filio accipiat, eſſe, quia quæcunque habet Pater, eadem habet Filius. Si igitur Pater habet de ſua eſſentia, ut ſit principium Spiritus S. ſimiliter hoc habet Filius. Argumentum hoc inſinuant Epiphanius in Ancorato N. 67. S. Cyrillus l. 11. Comment. in Joan. Athan. Orat. 4. Contra Arium (quæ Græcis eſt tertia) Antiochenus Anaſtaſius a Becco & Caleca citatus l. 1. de rectis dogmatibus &c. quos refert Petavius l. 7. c. 5.

Nihil efficit Reſponſio Marci Epheſii, qui aſſerit Spiritum S. non ideo dici: *accipere de Filio*, quia Filius eſt ejus principium,

pium, ſed quia ejusdem eſt cum Filio ſubſtantiæ, quam Filius, ut a communi principio, a Patre accepit: & vel ideo Chriſtum non dicere: *quia de me accipiet;* ſed *de meo*, de meo nempe eſſe, quod & ego a Patre accepi. Nam ſi quid valeret contorta hæc reſponſio, probaret etiam recte dici, Patrem, aut Filium ex Patre procedere, Patrem accipere de eſſe Filii, de eſſe Spiritus S. Deinde ipſe Chriſtus diſerte ſententiam ſuam explicat his verbis: *omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi* &c. Si ergo Spiritus S. procedit a Patre, & quidquid habet Pater, habet & Filius (ſola excepta Paternitate, quæ propter relativam oppoſitionem Filio communicari nequit) neceſſe eſt, ut Spiritus S. procedat etiam a Filio: alioquin fruſtra Chriſtus ea verba protuliſſet. Nec obſtat, quod dicat Chriſtus futuro tempore, *accipiet*. Nam, ut recte obſervat Auguſtinus Tract. 99. in Joan., *in eo, quod ſempiternum eſt, ponatur verbum, ſive præteriti, ſive futuri, non mendaciter ponitur; quia quod æternum eſt, & fuit, & erit, & eſt: fuit, quia nunquam defuit: erit, quia nunquam deerit: & eſt, quia ſemper eſt.* Accedit, quod Chriſtus reſpexerit etiam ad miſſionem Spiritus S. quæ temporalem effectum ſonat. Neque etiam dici poteſt cum Græculis apud Calecam c. 3. eatenus Spiritum procedere a Filio, quatenus Filius, relativum nomen, importat Patrem, a quo procedit. Nam ſic recte etiam dixero Filium procedere ex ſpiritu: nam & hic non minus relativum nomen Spiratorem ſuum, Patremque indicat, a quo Filius generatur. Sed omiſſis aliis ſcripturarum teſtimoniis ad auctoritatem Patrum veniamus.

XLI. Primum ex Græcis (quorum in hac cauſa potior eſt apud populares auctoritas) hujus dogmatis teſtem producimus Epiphanium, qui in Ancorato N. 67. diſertis verbis ſcribit: *Chriſtus ex Patre creditur, DEUS de DEO, & ſpiritus*

ex

ex Chriſto, *aut ab ambobus*: *ut Chriſtus his verbis aſſerit*: *qui a Patre procedit*, & : *de meo accipiet.* Secundus adduci debet Gregorius Nyſſenus l. I. contra Eun. *ut Patri*, inquit, *conjunctus eſt Filius*, & *cum ex illo eſſe habeat*, *non tamen poſterior exiſtit*: *ſic etiam Spiritus S. proxime hæret Filio*, *qui ſola cognitione ſecundum rationem principii prius conſideratur productione Spiritus S. . . . adeo ut detracta principii ratione nulla re S. Trinitas a ſe ipſa diſſideat.* En perſpicue docet Filium eſſe principium Spiritus S. eoque ſolo Filium ab ipſo diſtingui, quia in Deo ſola origo mutua perſonas diſtinguit. Tertius Didymus Alex. ab Hieronymo latinitate donatus l. 2. de Spiritu S. illa Chriſti Verba: *non enim loquetur a ſemetipſo*, exponens, hoc dogma ita profitetur: *hoc eſt non ſine me*, & *Patris arbitrio . . . quia non ex ſe*, *ſed ex Patre*, & *me eſt. Hoc enim ipſum*, *quod ſubſiſtit*, *a Patre*, & *me illi eſt.* Cyrillus l. 34. Theſ. ſic loquitur: *cum ergo Spiritus S. in nobis exiſtens conformes nos efficiat DEO*, *procedat autem ex Patre*, & *Filio*: *perſpicuum eſt divinæ ipſum eſſe ſubſtantiæ ſubſtantialiter in ipſa* & *ex ipſa procedentem.* Pro omnibus autem audiatur Baſilius, cujus luculentum teſtimonium proſtat l. 3. contra Eun. magna partium contentione in ſynodo Florentina agitatum, in quo ad objectionem Eunomii (qui ex eo, quod aliqui Spiritum S. tertium dignitate, & ordine eſſe dicerent, inferre voluit, judicaſſe eos, eum etiam natura tertium eſſe, atque imperfectiorem Patre, ac Filio) reſpondet ſequentia: *cum multorum opinionem* (Eunomius) *contemnat*, *qua Spiritum S. glorificant*, *ſanctorum ſe doctrinam tenere ſimulat*, & *qui eam ſibi tradiderint*, *etiam nunc tacet.* Deinde ait: *quid neceſſe eſt*, *ſi dignitate*, & *ordine tertius eſt ſpiritus*, *tertium ipſum eſſe natura* (*ut qui eſſe ab illo habeat*, & *ab ipſo accipiat*, & *annuntiet nobis*, & *omnino ex illa cauſa pendeat*) mox paucis interpoſitis ita pergit: *Nam ut Filius eſt ordine quidem ſecundus a Patre*, *quoniam ab*

eo eſt, & dignitate, quoniam principium, & cauſa exiſtendi eſt ipſi Pater . . . natura vero non eſt Secundus, quia una eſt in utroque Divinitas. Eodem modo Spiritus S., etſi poſterior Filio eſt ordine, ac dignitate, ut hoc omnino concedatur a nobis, non tamen perinde id, tanquam alienæ naturæ ſit, habebit.

Hoc teſtimonium eludere conatus eſt Marcus Epheſius in concilio Florent. Schiſmaticorum defenſor, aitque ea verba (quæ parentheſi clauſa latinum dogma profitentur) in pluribus codicibus eſſe omiſſa: deinde doctrinam eorum (qui docent Spiritum S. tertium dignitate, & ordine eſſe, adeoque non in Patre tantum, ſed & in Filio ſuum agnoſcere principium) tranſmitti tantum hic a Baſilio, & non concedi; id quod notant termini; *ut hoc omnino concedatur a nobis &c.* Contra enim eſt, quod Joannes latini dogmatis in eodem concilio propugnator teſtetur, codicem, ex quo hunc Baſilii locum deprompſit, ſinceriſſimæ antiquitatis eſſe, 600. & amplius annos ante concilium in membrana conſcriptum, & a Cardinale Nicolao Cuſano Conſtantinopoli allatum. Ex quo patet, græcos, non latinos Baſiliana ſcripta corrupiſſe. V. Petavium Tom. 2. l. 7. c. 3. Quod autem eam Baſilii transmiſſionem ſpectat, id quidem tantum transmiſit, Spiritum S. poſſe tertium dignitate compellari (quem loquendi modum quidam, & non omnes PP. uſurparunt) non autem oſtendit ſe dubitare de iis, quæ parentheſi clauſa hoc dogma continent.

XLII. Sed audiendi etiam ſunt PP. Latini, quos generales ſynodi a Græcis receptæ conſecrarunt, & qui ea floruerunt ætate, qua occidentales a Græcis veri Catholici habebantur. Ambroſius l. I. de Sp. S. c. X. ita ait: *Spiritus quoque Sanctus cum procedit a Patre, & Filio, non ſeparatur a Patre, non ſeparatur a Filio.* Et de Symb. c. 3. *Spiritus autem S. vere ſpiritus eſt,*

pro-

procedens quidem a Patre, & Filio; ſed non eſt ipſe Filius, quia non generatur, neque Pater, quia procedit ab utroque non genitus, non ingenitus, non factus. Auguſtinus l. 4. de Trin. *Neque fruſtra*, inquit, *idem Spiritus & Patris, & Filii ſpiritus dicitur.* Et tract. 99. in Joan. *cur ergo non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus S. cum Filii quoque ipſe ſit ſpiritus?* Leo magnus (cujus doctrinam generalis ſynodus IV. appellavit στήλην ὀρθοδοξίας *columnam fidei orthodoxæ*) Ep. 93. ſcribit: *alium eſſe, qui genuit, alium, qui genitus eſt, alium, qui de utroque proceſſit.* Idem habet Vigilius l. I. contra Eutych. Sed cum Græci hanc Latinorum PP. fidem, eamque a Synodo Lateranenſi IV. Lugdunenſi II. & Florentina conſtitutam eſſe, ultro confiteantur, neceſſe non eſt, ut his diutius immoremur.

Addo rationem Theologicam duplicem. Harum prima ſit: Quæcunque habet Pater, excepta ſola ratione ingeniti, habet & Filius. Hoc ſiquidem ex allatis Chriſti verbis teſtantur PP. Græci, Damaſcenus c. 7. op. Theol. Nazianz. orat. in Pentecoſt. & communiter alii. Si ergo quidquid habet Pater, habet & Filius, certe etiam hoc ipſe habet, ut ſit principium Spiritus Sancti. Accedit altera. Si Spiritus S. a Filio non procederet, ab ipſo non diſtingueretur. Atqui haud dubie diſtinguitur. Hanc quidem rationem nonnulli etiam ex Latinis (ut Henricus quodl. 5. q. 9. & Scotus in I. diſt. 11.) invalidam eſſe exiſtimant; ſed de hoc infra diſputabimus.

Proponuntur argumenta Græcorum contra Latinos.

XLIII. Argumentum I. Scriptura tantum facit mentionem proceſſionis Spiritus S. a Patre Joan. 15. *mittam vobis a Patre ſpiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Imo conc. Conſtant. I. Symbolo Nicæno addidit hæc verba: *qui a*

 Pa-

Patre procedit, nulla facta mentione Filii. R. etſi in ſcripturis explicite non contineatur dogma latinorum, continetur tamen implicite: nempe in locis ſupra citatis, quibus Spiritus veritatis dicitur mitti a Filio, de eo accipere, omnia, quæ habet Pater, habere & Filium &c. Ideo autem Filius ait *ſpiritum procedere a Patre*, ut oſtendat Patrem aliarum eſſe perſonarum fontem, ac originem. Sicut de ſe ait, non loqui a ſemetipſo, opera ſua eſſe Patris &c. quæ Filio nequaquam negant, quæ Patri adſcribunt. Adde ad definiendas fidei controverſias ſolam non ſufficere Scripturam, ſed ſtandum quoque traditione, quam in hoc dogmate omnino exploratam haberi teſtatus eſt in Synodo Florent. Joſephus Patriarcha Conſtantinop. Quod autem ſynodum generalem II. attinet, nota, eam eſſe Synodorum religionem, nihil ut definiant, aut in ſymbolum inferant, niſi quod omnino neceſſarium eſt. Jam vero nullus tunc error erat de Spiritus S. a Filio proceſſione: ſed Macedonius, ac Eunomius aſſerebant ipſum a ſolo Filio procedere, eumque creaturam eſſe; quod in cauſa fuit, cur Concilium definierit, Spiritum S. a Patre procedere.

Urgent. In Conc. Epheſ. lectus eſt liber Theodoreti contra Anathematiſmum 9. S. Cyrilli, in quo poſtquam dixit Spiritum procedere a Patre, addit: *ſi vero tanquam ex Filio, aut per Filium extantiam habeat, hoc ut impium, & blaſphemum rejiciemus;* atqui tamen non fuit ea doctrina a Conc. reprobata. R. eam doctrinam implicite ſaltem reprobatam eſſe. Nam eo in Concilio approbata eſt Epiſtola ſynodica S. Cyrilli ad Neſtorium, in qua expreſſe profitetur Spiritum S. a Filio perinde procedere, ac a Patre: ſatis igitur improbata cenſeri debuerant contraria Theodoreti ſcripta, quæ poſt approbationem doctrinæ S. Cyrilli referuntur. Ideo autem Concilium Epheſ. non damnavit ſententiam Theodoreti circa proceſſionem Spiritus S. quia de illo dogmate non agebatur contra Ne-

ſto-

ſtorium, ſed tantum de unica Chriſti perſona, & nomine Deiparæ.

XLIV. Ajunt Græci dogma noſtrum pugnare cum traditione. Inprimis Auctor l. de divinis Nom. c. 2. *Pater ſolus fons eſt Divinitatis.* Gregorius Naz. Orat. 24. ad Epiſc. ait: *quidquid habet Pater, Filii eſſe, excepta cauſa.* S. Maximus martyr, cum latini dixiſſent Spiritum S. e Filio procedere, atque id Græcis diſplicuiſſet, latinos excuſat in Epiſtola ad Marinum, dum ait: *Patres non concedere Filium eſſe cauſam, id eſt principium Spiritus S.* Accedit, quod ſi Patrum aliqui accurate de Spiritu S. egerunt; hunc non ex Filio, ſed per Filium eſſe dixerunt, ut Gregorius Nyſſ. Athanaſius, Cyrillus, & Damaſcenus l. I. de fide Orthod. c. 13. ita loquens: *Filii Spiritus eſt, non tanquam ex ipſo, ſed quod per ipſum ex Patre procedat.* Diſcrimen autem eſt inter particulam *διὰ per* & *ἐξ ex*, quod hæc; & non illa, efficientem cauſam ſignificat.

Reſp. Patrem ſpeciali quadam ratione dici cauſam, fontem, ac principium Divinitatis, quia prima eſt in Trinitate perſona, nec originem habet ex alia: id vero non efficit, quin etiam Filius Spiritum S. producat, & ſicut eſt Deus de Deo, lumen de lumine, ita ſit cauſa de cauſa, fons de fonte, principium de principio. Nam præter alios PP. Epiphanius hæreſi 96. & Cyrillus Al. in expoſit. ſymb. Nic. diſerte ſcribunt Spiritum S. a Filio *profluere*, eumque eſſe *fontem de fonte.*

Ad alterum, quod additur, ajo plures etiam PP. fuiſſe, qui dixerunt Spiritum S. eſſe *ex* Filio; inter quos ſunt Gregorius Nyſſenus *Hom. 3. ſuper Pater noſter*, Cyrillus *Epiſt. ad Neſtorium*, Epiphanius *in Ancorato.* Ceterum alii PP. particula *ex* primum, omniſque originis carentem fontem deſignarunt;

runt; ut ex Demetrio Caleca, & Beſſarione animadvertit Petavius l. 7. c. 17. Sed & altera particula *per* producentem cauſam ſignificat. Etenim Gen. 4. legitur: *poſſedi hominem per DEUM*, ſeu ut interpretatur Chryſoſtomus *ex DEO*. Joan. 1. dicitur: *omnia per ipſum facta ſunt*. Et ad Coloſſ. 1. *omnia per ipſum*, & *in ipſo creata ſunt*. Cyrillus quoque ſine diſcrimine has voces uſurpat, quando in Epiſt. ad Theodoſium ſcribit, *Chriſtum natum eſſe per S. Deiparam Virginem*, & in Epiſt. ad Neſtorium, *eum natum ex muliere* aſſerit.

XLV. Argumentum II. Si Spiritus S. a Patre, Filioque procederet, duo forent principia, duo Spiratores. Nam S. Hilarius l. I. de Trinitate ait: *Spiritus S. a Patre*, & *Filio auctoribus confitendus eſt*. S. Auguſtinus l. 15. de Trinit. Spiritum S. docet principaliter procedere a Patre; item non pauci ſunt Patres, qui dicant Filium eſſe proxime ex Patre; Spiritum vero Sanctum mediate tantum (vide Petavium l. 7. c. 11.) igitur Pater non eadem ratione, qua Filius, eſt principium Spiritus S. atque adeo non ſunt unum, idemque principium.

R. generatim. Ex eo, quod Spiritus a Patre, Filioque procedat, tam parum ſequitur, eſſe duo principia ſpirativa, quam parum ex eo, quod mundus ſit conditus a Patre, Filio, & Spiritu S. ſequitur, eſſe tria diſtincta principia creativa. Nam ſicut in omnibus tribus Perſonis eadem eſt omnipotentia, ita eadem vis ſpirativa eſt in Patre, ac Filio: ut enim nulla Divina Perſona opponitur omnipotentiæ, ita nihil eſt in Patre, ac Filio, quod activæ huic ſpirationi opponatur. Speciatim diſtinguo textum S. Hilarii; vocat Patrem & Filium duos auctores adjective, hoc eſt, duas perſonas producentes, concedo. Subſtantive, ac proprie, nego. Nam ut loquitur D. Thomas (quæſt. 36. Art. 4.) duo quidem ſpirantes ſunt; nam hoc nomen adjectivum *ſpirans* multiplex ſit juxta multipli-

plicationem perſonarum: At *ſpirator* nomen ſubſtantivum eſt, quod non multiplicatur, niſi ſecundum multiplicationem formæ ſignificatæ, nempe ſpirationis activæ, quæ cum una ſit, unus etiam eſt ſpirator. D. Auguſtinus non ideo ait Spiritum S. procedere a Patre *principaliter*, quia in Patre, Filioque non eſt eadem vis ſpirativa; ſed quod Filius a Patre habet virtutem ſpirandi; ſic ſe explicat ipſe D. Doctor: *ideo addidi principaliter, quia & de Filio Spiritus S. procedere reperitur, ſed hoc quoque ei Pater dedit.* Rurſus ideo Filius dicitur eſſe *proxime* a Patre, quod prima ſit Perſona a Patre producta; Spiritus vero *mediate* quod poſtrema ſit Perſona a Patre quidem procedens, ſed interpoſito Filio, a quo ſimili ratione producitur: non vero quod productionem Spiritus propius attingat vi ſua Filius, quam Pater.

Inſtant. Spiratio activa vel eſt proprietas perſonalis, vel eſſentialis: Si poſterius, etiam ipſi Spiritui debet convenire; ſi prius, neceſſe eſt, ut uni duntaxat perſonæ dicatur competere, nam proprietates perſonales nequeunt mutuo communicari, alioquin Filio etiam ratio ingeniti conveniret. Reſp. proprietates perſonales proprie ſunt, quæ ſingulæ conveniunt perſonis ſingulis, nempe Paternitas, Filiatio, ac proceſſio: Itaque ſpiratio nec eſt proprietas perſonalis, nec eſſentialis, ſed *notionalis*, ut eam appellat D. Auguſt. l. 5. de Trin. c. 6. Sunt autem notiones, quibus Divinarum perſonarum diſtinctio innoteſcit, non ſolum proprietates illæ tres, ſed & innaſcibilitas, & ſpiratio, quam poſteriorem Pater Filio communicare debet, cum Filiationi relative non opponatur, neque ſit illa proprietas, quæ conſtituit primam Perſonam in eſſe Patris.

§. III.

§. III.

Oſtenditur Latinos rite uſos fuiſſe hoc medio: Si Spiritus S. ex Filio non procederet, ab illo non diſtingueretur.

XLVI. HOc argumentum (quo Latini in Conc. Florent. Spiritus Sancti proceſſionem demonſtrarunt) fundatur in PP. qui id aut diſerte pronuntiant, aut ſaltem ea doctrinæ principia conſtituunt, ex quibus illud perſpicue eruitur. I. enim Greg. Naz. orat. 37. de Filio, & Spiritu S. differens, *mutua*, inquit, *eorum relationis differentia diverſa ipſis nomina procreavit.* II. Greg. Nyſſ. l. I. contra Eunom. *detracta principii ratione*, ait, *nulla re Sancta Trinitas a ſe ipſa diſſidet.* Idem habet Epiſtola ad Ablabium. III. Auguſt l. 7. de Trin. ait, ea proprie dici diſtincte ad ſingulas perſonas pertinentia, quæ relative dicuntur ad invicem. Et Tract. 39. in Joan. *hoc ſolo*, inquit, *numerum inſinuant*, *quod ad invicem ſunt.* IV. Anſelmus Epiſt. de Proceſſione Sp. S. c. 2. ad quæſitum, quomodo indiviſibilis unitas, & inſociabilis pluralitas in DEO ſe ad invicem habeant, ita reſpondet: *Sequitur enim ſecundum unitatis DEI, quæ nullas habet partes, proprietatem, ut quidquid de uno DEO dicitur, de toto DEO Patre dicatur, & de Filio, & de Spiritu S. quia unuſquisque ſolus & totus, & perfectus DEUS eſt. Supradicta vero relationis oppoſitio, quæ ex eo naſcitur, quia ſupradictis duobus modis DEUS de DEO eſt, prohibet Patrem, & Filium, & Spiritum S. de invicem dici, & propria ſingulorum aliis attribui. Sic ergo hujus unitatis & hujus relationis conſequentiæ ſe contemperant, ut . . . nec unitas amittat aliquando ſuam conſequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppoſitio, nec relatio perdat, quod ſuum eſt, niſi ubi obſiſtit unitas inſeparabilis.* Ex his autem teſtimoniis ita arguitur: ubi in Divinis non ob-

obſtat relationis oppoſitio, omnia ſunt unum; atqui ſi Spiritus S. non procederet a Filio, non interveniret inter Spiritum, & Filium relationis oppoſitio: forent igitur quid unum, nulla inter illos diſtinctione reali interveniente.

XLVII. Oppones I. ipſum Anſelmum, qui de proceſſ. Sp. S. c. 3. definit Filium, & Spiritum S. eo præciſe diſtingui inter ſe, quod diverſo modo procedant, unus per intellectum, alter per voluntatem. *Habent utique a Patre eſſe, ait, Filius, & Spiritus S. Sed diverſo modo, quia alter naſcendo, alter procedendo ... & ideo ... & ſi per aliud non eſſent plures Filius, ac Spiritus S. per hoc ſolum eſſent diverſi.* Reſp. ſpectato ſolo ſubjecto hujus hypotheſis: *ſi Spiritus S. non procederet a Filio*, ſeu ſi ſupponatur Filius adhucdum procedere per ſolam generationem, & Spiritus S. per ſolam ſpirationem, ſequitur etiamnum diſtingui a Spiritu S. id quod unum hic Anſelmus argute in Adverſarios detorquet, ut oſtendat, tametſi & Filius, & Spiritus S. a Patre procedat, Illum tamen tantum, non hunc, Filium Patris compellari poſſe. Ceterum ſi ſpectetur prædicatum hypotheſis (ſeu quid inferri debeat ex eo, quod conditionate ſub hac impoſſibili conditione de Filio prædicatur) neceſſario inferri debebit, Filium tunc a Spiritu S. non diſtinctum iri; quia ſequetur neque Filium tunc per ſolum intellectum, neque Spiritum per ſolam voluntatem proceſſurum, participaturum nempe & Filium, quod Spiritus S. participat, & Spiritum, quod Filius, ob eſſentialem identitatem, quam nulla tunc miſceret perſonalis relativa oppoſitio: id quod & præcedente ſtatim capite Anſelmus probavit, & his verbis, quibus librum ſuum concludit, oſtendit: *in hoc itaque quod DEUS ad DEUM dicitur, perſonarum admittit pluralitatem, & diverſitatem.*

XLVIII. Opponunt II. Scotiſtæ. Etſi Spiritus S. non procederet a Filio, eſſent tamen *binæ* proceſſiones, atque adeo etiam termini a ſe invicem diſtincti: nam ſpiritus foret terminus proceſſionis ex voluntate proficiſcentis, ſicut Filius foret terminus proceſſionis ex intellectu. Reſp. in hypotheſi Græcorum fore unicam duntaxat proceſſionem per voluntatem ſimul, & intellectum; cum enim tunc ob relativæ oppoſitionis defectum, quidquid Filius habet, poſſet habere & Spiritus (haberet autem neceſſario, quidquid habere poteſt, ob exiſtentiæ neceſſitatem) illud quod a Patre procederet, neceſſario ſimul & generationem paſſivam, & ſpirationem paſſivam haberet, atque ſic realiter ab intellectu, & voluntate procederet. Nam in illa hypotheſi inter generationem paſſivam, & ſpirationem paſſivam nulla intercederet producentis, ac producti oppoſitio, adeoque & nulla diſtinctio.

Sed inſtant. Saltem illæ duæ proceſſiones eſſent oppoſitæ diſparate, ut ajunt, quæ diſparata oppoſitio ſufficiens eſſe videtur ad fundandam realem perſonarum diſtinctionem. R. hanc relationem pure diſparatam non ſufficere. Nam neque nunc Filius (ut adverſarii volunt) diſtinguitur a Spiritu S. formaliter per hoc, quod Filius procedat per intellectum, & per voluntatem Spiritus; ſed tantum radicaliter, ſeu quia procedit per intellectum Filius proceſſione tali, quæ neceſſario exigit communicari Filio vim ſpirativam; & Spiritus S. per voluntatem ſpiratione tali, quæ exigat ſimul procedere a Filio, quæ eſſentialis exigentia cum in illa Græcorum hypotheſi deficeret, Filius, & Spiritus non diſtinguerentur. Ceterum ſi relatio diſparata ſufficeret, etiam inter Paternitatem, & ſpirationem activam, inter intellectum, & voluntatem divinam intercederet realis diſtinctio, cum tali ſe relatione reſpiciant. Denique cum ex dictis Filius ideo ſit filius, quia procedit a Patre ut fœcundus, ſequeretur in ea hypotheſi modo impugnata

Fi-

Filium nullum fore, ſed totum id, quod tunc procederet a Patre, germen quoddam aliud fore, quocunque demum illud nomine placuerit compellare, quo ſolo reſponſo quæcunque Scotiſtarum Sophiſmata facile eluduntur.

§. IV.

An Græci jure accuſent Latinos de addita Symbolo vocula Filioque?

XLIX. Concilii Conſtantinopolitani Patres, Macedonii, & Eunomii hæreſim impugnantes, Spiritum S. non eſſe creaturam definiverunt; ſed nondum exorta de proceſſione Spiritus S. a Filio quæſtione, cum hæretici aſſererent illum ex ſolo Filio extantiam habere, addiderunt Symbolo hæc verba: *qui a Patre procedit.* Orto poſtea Græcorum Schiſmate addita eſt & particula *Filioque:* quam contra Epheſinæ ſynodi ſtatuta adjectam criminantur Schiſmatici. Horum Criminationem ut refellamus, ſit ſequens

ASSERTIO.

Recte addita eſt Symbolo vocula: Filioque.

Hanc aſſertionem adverſus Schiſmaticos (quorum caput erat olim Photius, & poſt Conc. Florent. Marcus Epheſius) ipſa Florent. ſynodus in definitione Fidei his verbis firmat: *definimus inſuper explicationem verborum illorum: Filioque veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate licite, ac rationabiliter ſymbolo fuiſſe appoſitam.* Quod probatur. Ad faciendum ſymbolo additamentum duo requiruntur, poteſtas idonea, & cauſa gravis. Atqui utrumque hic intervenit. Ac I. quidem poteſtas maxima, nempe Eccleſiæ. II. urgens neceſſitas, nempe error Græcorum exortus. Igitur id fieri potuit, ac debuit, eoque magis, quod poſt exortum hunc erro-

errorem ſymbolum errandi occaſionem facillime præbere potuerit. Certe Arianorum ſerpente hæreſi ſynodus Nicæna addidit ſymbolo vocem ὁμοέσιον ; exorta hæreſi Macedoniana ſynodus Conſtantinop. inſeruit hæc verba : *& in Spiritum S. Dominum*, *& vivificantem &c.* Adverſus Eutychianos ſynodus Chalcedonenſis hæc addidit ; *Conſubſtantialem Patri ſecundum Divinitatem* , *& conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem.* Quod igitur aliquando Eccleſiæ licitum fuit , cur idem non licuit novo errore graſſante? Cur violatum non eſt a PP. Conc. Conſtantinop. & Chalcedonenſis ſymbolum Nicænum ? cur additio particulæ ὁμόεσιον eſt antiquæ Fidei expoſitio ? Certe ubique ac ſemper potuit Eccleſia creditam ſibi fidem ſervare, explicare, & contra portas inferi communire.

L. Ideo Græci ajunt non recte factam eſſe illam additionem , quia id eſſet vetitum decreto Epheſinæ ſynodi generalis, quæ Seſſ. 6. ita definivit: *alteram fidem nemini liceat proferre* , *aut conſcribere* , *aut componere*, *præter eam* , *quæ definita eſt a Sanctis Patribus Nicææ cum Spiritu S. congregatis. Qui autem auſi fuerint fidem alteram proferre . . . hos*, *ſiquidem ſunt Epiſcopi aut Clerici*, *alienos eſſe* , *epiſcopos ab epiſcopatu*, *& clericos a clericatu decrevit &c.* Jam vero cum additio illa *Filioque* peregrina ſit , & in ſymbolo Nicæno , aut Conſtantinop. non fuerit , eam fieri non licuit. At inane eſt hoc Græcorum effugium. Nam hac definitione prohibetur fides, aut ſymbolum Nicæno contrarium , non autem ejus additamentum , aut expoſitio ; quod ſequentibus momentis oſtendimus.

Primo id ſatis arguit occaſio , qua illud decretum eſt editum. Nempe cum Chariſius Philadelphiæ Presbyter quoddam Epheſinis PP. ſymbolum obtuliſſet , novum , ac erroribus inquinatum, cui Neſtorius , ejusque ſequaces ſubſcribere cogebant eos , qui ad Eccleſiam revertebantur , id ſanxit ſynodus.

Pro-

Propoſitum igitur erat PP. ejusmodi temeritatem comprimere, & nova id genus ſymbola explodere. Nam dum idem Chariſius PP. Epheſinis exhibuit propriam fidei ſuæ formulam a Nicæna, & Conſtantinopolitana diverſam, benigne exceptus eſt, ut conſtat ex eadem actione, & monet Julianus Cardinalis Seſſ. 11. Concilii Florentini. Rurſus cum Joannes Antiochenus (qui ſynodo Epheſinæ, & Cyrillo ejus duci acriter, diuque obluctatus fuerat) reſtituta pace in concordiæ ſignum ſuam fidei profeſſionem, quæ multa addebat ſymbolo Nicæno; ad eundem Cyrillum miſiſſet, non ſolum idem Joannes fidenter pronuntiat ſe novam fidei formulam a Nicæna diverſam non condere, eamque duntaxat exponere; ſed & Cyrillus Joannem laudat mirifice, eamque fidei profeſſionem amplectitur. At nemo ſane ſynodi Epheſinæ mentem melius noſſe potuit Cyrillo. Rurſum ſynodus Chalcedonenſis paulo poſt Epheſinam coacta prolixam adjecit fidei expoſitionem adverſus peculiares Eutychis errores: non putabat igitur nihil, quod conſentaneum foret, adjici oportere. Synodus etiam ſeptima act. 7. poſtquam ſymbolum Conſtantinop. pro more recitavit, peculiarem profert adverſus Iconoclaſtas fidei expoſitionem, nec idcirco contra decretum Epheſinum ſe agere exiſtimavit. Quare manifeſte ſequitur illam prohibitionem non ſpectare ad ipſam Eccleſiam, quæ ſemper eadem ſuam ſibi auctoritatem nec potuit, nec unquam voluit eripere: ſi ergo illa tempore Arii, ac Macedonii potuit nonnulla ad ſymbolum addere, quidni eadem ſemper poteſtate gaudeat?

LI. Opponunt Græci exemplum ipſius ſynodi Epheſinæ, quæ etſi definierit B. V. M. eſſe *Deiparam*; hanc tamen vocem non addidit ſymbolo, non alia certe de cauſa, quam quia omnem additionem, etiam ejusdem fidei explicativam prohibuit. Item cum Carolus magnus ex ſynodo Aquisgra-

nenſi legatos miſiſſet ad Leonem III. ut ipſum conſuleret de additione voculæ *Filioque* ſymbolo facta, id factum Pontifex improbavit, ac inſuper in duabus tabulis argenteis, quas ad confeſſionem S. Petri repoſuit, ſymbolum Conſtantinop. ſine hac additione deſcribi voluit. Denique quomodo hæc additio inconſultis Græcis fieri potuerit, non apparet.

Reſp. ad I. vera ratio, cur Conc. Epheſ. non inſeruerit hanc vocem *Deipara*, eſt, quia ſat expreſſe continetur in ſymbolo, in quo definit Chriſtum eſſe *DEUM verum de DEO vero*, & *natum ex Maria Virgine.* Porro ſi DEUS ex illa eſt natus, vere Deipara eſt. Ad II. ajo, Leonem eam additionem non improbaſſe, quaſi exiſtimaret eam fieri non poſſe, ſed quia judicavit, nullam adhuc hujus faciendæ additionis ſat gravem neceſſitatem, aut ad eam faciendam ſat magnam auctoritatem acceſſiſſe. At poſtmodum gravior longe neceſſitas fuit, & omnis Eccleſia in eandem additionem conſpiravit. Quod autem ſymbolum ſine additione deſcribi juſſerit, id fecit ſtudio antiquitatis, non quod cenſeret nihil unquam in illud inſeri poſſe. Vide Baronium A. 809. Et Sirmondum Tom 2. Concil. Galliæ. Demum ubi ea additio ab univerſa Eccleſia occidentali eſt admiſſa, id non ignorarunt Græci, nec tamen reclamarunt. Nam 9. Seculo ea additio in occidente obtinuit, paulo ante Photium, qui cum hac de re graviter conqueſtus eſſet, ne a ſuis quidem popularibus Catholicis eſt auditus: poſtea enim habitum eſt ex utraque gente Concilium VIII. generale, in quo res tanta utrinque concordia geſtæ ſunt, ut ne leve quidem diſſenſionis veſtigium appareret. Reclamarunt quidem poſtea, ſed eo tempore Schiſmate inquinati erant; itaque non debuit additio jam pridem facta reſcindi, ſed potius ob errorem contrarium confirmari.

LII.

LII. Supereſt, ut nonnulla de tempore, quo iſthæc additio facta ſit, adnotemus. Variæ autem ſunt opiniones. Prima eſt eorum, qui id adſcribunt ipſi Concilio Conſtantinop. rati voculam hanc nunquam ab ejus ſymbolo abfuiſſe. Secunda eſt Manuelis Calecæ, qui *libro contra Græcos* cenſet hanc additionem eadem ætate eſſe factam juſſu Damaſi. Tertia eſt Bellarmini, qui *L.* 2. *de Chriſto c.* 21. arbitratur eam ſeculo 7. circa tempora Concilii 6 generalis, in ingenti quadam Occidentalis Eccleſiæ ſynodo ſancitam. Julianus Cardinalis in Conc. Florent. hanc mutationem 7 generali ſynodo attribuit. Petavius *l.* 7. *c.* 2. id adſcribit ſummo Pontifici Nicolao I. Alii rejiciunt in Benedictum VIII. & Seculum XI. Demum communis Theologorum opinio ſtatuit, hanc additionem paulatim obtinuiſſe, paucis primum auctoribus, multis deinde ſequentibus, omnibus tandem conſentientibus.

Propoſitum mihi hic non eſt, quæſtionem hanc criticam ab aliis Hiſtoricis uberrime agitatam, perſequi fuſius: contentus ea adferre, quæ certiora videntur. Ac primo quidem id compertum eſt, particulam *Filioque* apud Hiſpanos obtinuiſſe vertente ſeculo 6; nam reperitur in Concilio Toletano tertio A. 589. celebrato, in quarto, A. 633. atque deinceps in aliis. Ab Hiſpánis hæc conſuetudo manavit ad Gallos, & Germanos octavo ſaltem ſeculo; ut conſtat ex Valafrido Strabone *libro de rebus Eccleſ. c.* 22. ubi aſſerit: *apud Gallos, & Germanos, poſt dejectionem Felicis hæretici ſub glorioſiſſimo Carolo Francorum rege damnati, idem ſymbolum latius, & crebrius in miſſarum officiis cantari cæpit.* Damnatus eſt autem Felix A. 792. in concilio Ratisbonenſi. In Conciliis autem Forojulienſi, & Francofordienſi additio recepta, & probata fuit. Rurſum ex actis legationis ad Leonem III. poſt Concilium Aquisgranenſe conſtat, eam conſuetudinem non modo viguiſſe ab aliquo tempore,

pore, ſed etiam id egiſſe Gallos, ut ea a ſede Apoſtolica probaretur. Sub finem Seculi 9. additionem illam in ſymbolum admiſerat ſedes Apoſtolica. Conſtat id I. ex Photio, qui inter cetera id objecit Nicolao I. ſummo Pontifici, ac Latinis omnibus. II. ex Ratramno Corbejenſi, qui criminationem hanc diluit l. 2. c. 2. III. Ex Manuele Caleca, qui teſtatur Photium id Romano Præſuli exprobraſſe. IV. ex S. Antonino *in Chronico p. 3. tit. 22. c. 13. N.* 10. Ubi rem iſtam enucleate narrat. De quo etiam Pithæus l. de proceſſione Sp. S. Hanc quidem de Symbolo criminationem ipſe Nicolaus non refert in Epiſtola ad Gallos : ſed hoc ipſius ſilentium tot diſertis teſtimoniis non præponderat. Tandem additio illa probata fuit in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. A. 1274. & in Florentino ſub Eugenio IV. A. 1439.

PARS II.
RESOLVUNTUR QUÆSTIONES RELIQUÆ DE MYSTERIO SS. TRINITATIS.

REſutatis Hæreticorum erroribus quæſtiones eæ veniunt explicandæ, quæ in Scholis uſitatæ, ineffabile hoc, de quo agimus, Myſterium magis illuſtrant. Hujus tractationis quatuor erunt capita. I. de modo cognoſcendi SS. Trinitatem. II. de proceſſionibus divinis. III. de divinarum Perſonarum ſubſiſtentiis, relationibus, notionibus, circuminſeſſione, ac miſſione. IV. de variis ſingularum Perſonarum nominibus.

CAPUT I.
DE MODO COGNOSCENDI SS. TRINITATEM.

LIII. CLaudianus Mamertus, Eccleſiæ Viennenſis quinto Seculo presbyter, non tantum docuit hoc myſte-

rium

ſterium ſolius rationis ope demonſtrari poſſe, ſed & illud reipſa a Platone ſola ingenii vi demonſtratum fuiſſe exiſtimat; ut habetur *to. 6. Biblioth. PP. lugd. edit. pag.* 1062. Petrus Abaelardus, vir ſeculo 12. famoſus, tantum ſibi ſumpſiſſe fertur, ut una ingenii ſui ſubtilitate fretus, altiſſima quoque fidei myſteria evincere ſe poſſe gloriaretur: de quo S. Bernardus Ep. 190. Raymundus Lullus pari auſu arbitratus eſt, ſe tam clare, tamque perſpicue probare poſſe hoc myſterium, nullus ut Gentilis, aut Mahumetanus diſſentire poſſit. Hi ergo Theologis inquirendi occaſionem dederunt, num hoc myſterium ſola ratione duce cognoſci, ac probari poſſit? ſit igitur ſequens

ASSERTIO.

Myſterium hoc SS. Trinitatis ſola ratione naturali demonſtrari non poteſt.

Veritas iſthæc innuitur Proverb. 30. v. 4. *Quod nomen eſt ejus, & quod nomen Filii ejus, ſi noſti?* In quæ verba hæc ſcribit Hieronymus: *de DEI Patris, & Filii nomine dicit, cujus myſterium ſecularis ſapientia naturaliter ſcire non poteſt, quamvis unum eſſe DEUM ſcire poteſt.* Iſaiæ item 6. Seraphimi triſagium concinentes dicuntur velare alis ſuis faciem, quod expendens Chryſoſt. *hom. 2. de verb. Iſ.* ideo factum arbitratur, ut oſtendatur, Naturam Divinam ne Angelicis quidem mentibus patere. Matth. 16. Chriſtus ait: *beatus es Simon Barjona; quia caro, & ſanguis non relevavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.* Quæ verba exponens Cyrill. Al. Orat. de Verbi Incarn. (quæ refertur in Conc. Epheſ. T. 6. c. 1.) hæc ſcribit: *In ipſam rem noli curioſius inquirere; non enim per Græcorum ſapientiam, aut mundanum ſenſum percipitur, ſed ab utroque eſt aliena. Beatus es Simon Barjona inquit Dominus &c.*

nam Filii DEI cognitio cœleſte divinæ inſpirationis donum eſt. Rurſum Chriſtus Matth. 11. *nemo*, *ait*, *novit Filium*, *niſi Pater*, *neque Patrem quis novit*, *niſi Filius*, *& cui voluerit Filius revelare.* Hinc S. Juſtin. Orat. in Gen. *Nec naturæ ope*, *nec humana cogitatione tam magnas*, *& Divinas res homo poteſt percipere; ſed dono deſcendente in ſanctos viros cœlitus.* Accedit conſenſus plurimorum PP. a Petavio uberrime cit. qui loquuntur etiam ſuppoſita fide illius myſterii. Ratio autem hujus aſſerti in eo eſt, quod creata mens in Creatoris notitiam venire non poſſit, niſi diſcurſu ex rebus creatis deſumpto; quæ creaturæ ſuadent quidem Creatoris, Judicis, Legislatoris exiſtentiam, ſed Trinitatis ne conjecturam quidem movere, aut ſuſpicionem ingerere poſſunt: creare ſiquidem, judicare, leges ferre, Naturæ Divinæ & commune opus eſt, non notionale, aut Perſonas indicans.

Etſi autem *poſitive*, ſeu ex principiis poſitivis, ratio naturalis oſtendere non poſſit SS. Trinitatem; eandem tamen oſtendere poteſt *negative*, hoc eſt, ſolvi poſſunt omnia, quæ illius myſterii poſſibilitatem impugnant: ut Parte priore contra Socinianos pro viribus fecimus, quorum etiam Sophiſmata nullius eſſe momenti declaravimus. Imo ſuppoſita revelatione imperfectæ in rebus creatis imagines myſterium hoc aliqua ratione adumbrant, idque nulli contradictioni obnoxium humanæ menti oſtendunt. Qualis idea a mente noſtra eſt deſumpta, quæ, licet una, tribus pollet facultatibus, intellectu, voluntate, & memoria. *Ecce ergo*, inquit Auguſtinus, *mens meminit ſui, intelligit ſe, diligit ſe: hoc ſi cernimus, cernimus Trinitatem*, *nondum quidem DEUM* (nam illa ſimilitudo eſt admodum imperfecta, maximeque diſtat a diſtinctione reali perſonarum Divinarum in unitate ejusdem naturæ) *ſed jam imaginem DEI.*

LIV.

LIV. Opponunt quidem I. Philoſophos gentiles, qui non obſcure loquuti ſunt de hoc myſterio: quales erant Zoroaſtres Bactrianus, Sybilla Erithræa, Plato, Ariſtoteles, ac præ omnibus Magiſter Triſmegiſtus, cujus hæc eſt celebris ſententia: *monas genuit monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem.* Negat quidem D. Thomas q. 32. a. I. ad I. eam notitiam ad Paganos perveniſſe, idque probat ex his Apoſtoli verbis: *loquimur DEI ſapientiam, . . . quam nemo principum hujus ſeculi cognovit.* Sed quidquid de hoc ſit, illud certe (quod Philoſophi de hoc arcano dixerunt) aut ex divinis ſcripturis, aut antiquis Hebræis, Moyſisque diſcipulis, aut certe ex gentilibus quidem, ſed tamen quoad multa myſteria a Deo inſpiratis Prophetis, ſybillisve, non vero ex naturali diſcurſu hauſerunt; ut quidem notarunt Juſtinus Apol. 2. Clemens Alex. l. 5. Strom. Euſebius l. 11. Præp. Ev. Auguſtinus l. 2. de doct. Chriſt. c. 28.

Opponunt II. ea eſt boni natura, ut ſeſe diffundere, & communicare amet: atque adeo boni infiniti, qualis eſt Deus, debet eſſe infinita quædam communicatio. At infinita hæc eſſe non poteſt ad extra: creaturæ enim conditio infinita eſſe non poteſt. Ergo debet ea eſſe ad intra, & quidem in intellectu, & voluntate, cum utraque facultas ſit infinita. Hoc poſito ſtatim cognoſcitur myſterium SS. Trinitatis. Reſp. cum diſtinctione: infiniti boni debet eſſe communicatio infinita, quoad modum operandi, concedo: quoad rem; iterum diſtinguitur & id ratione innoteſcit, nego, non innoteſcit, Conc. Philoſophus ſolo rationis præſidio innixus, nullam unquam ad intra communicationem, aut productionem deprehendet; cum enim nihil ſit in rebus creatis cum Deo ut Trino aut connexum, aut ejus effigiem ita in ſe referens, ut vel conjectura inde creatæ menti injici poſſit de communicatione boni infiniti alteri ſubſtantia-

 liter

liter indiſtincto: manifeſtum eſt, id non, niſi fidei lumine, cognoſci poſſe, Admittetur fortaſſis, ſola ratione duce, communicatio infinita ad extra, non quidem quoad rem; id enim non fert natura creata: ſed quoad operandi modum, quia infinita vi utitur ad creandum.

Opponitur III. Demonſtrari poteſt Chriſtianam religionem, quæ myſterium SS. Trinitatis agnoſcit, veram, ac Divinam eſſe. Igitur ſimul demonſtrabitur idem myſterium. Certe non demonſtratur illud eſſe impoſſibile; ergo demonſtratur eſſe poſſibile. Reſp. Non quærimus hic, an generatim Religio Chriſtiana oſtendi poſſit; ſed an ſit ſpeciale quoddam argumenti genus, quo illud myſterium poſſit probari: negamus igitur id oſtendi poſſe argumento proprio, ac intrinſeco, etſi admittamus probationem ex argumento extrinſeco, ac alieno. Rurſum etſi poſſibile ac impoſſibile ſint contradictoria; non tamen talia ſunt demonſtrari poſſibile, & demonſtrari impoſſibile. Atque adeo reipſa myſterium aliquod aut poſſibile eſt, aut impoſſibile, cum nullum inter iſta medium aſſignari queat: at inter demonſtrari impoſſibile & demonſtraripoſſibile poteſt medium aliquod aſſignari, nempe nullatenus demonſtrari.

CAPUT II.

DE DIVINIS PROCESSIONIBUS.

PRæſens caput in tres quæſtiones diſtribuimus: Prima erit de numero, & principiis divinarum proceſſionum; altera de diſcrimine proceſſionis Filii a proceſſione Spiritus Sancti: tertia de cognitione, ex qua Filius procedit.

§. I.

§. I.

Quinam ſit numerus Divinarum proceſſionum, & quale principium?

LV. Nomine *proceſſionis* notatur origo unius Divinæ Perſonæ ab alia, quam eſſe immanentem, æternam, neceſſariam, ac ſubſtantialem fides docet, ut quisque naturalem illam, ac incommutabilem generationem, ac ſpirationem ſecernat a libera, ac contingente productione creaturarum. Et proceſſiones quidem in Deo eſſe admittendas ſatis, ſuperque parte priore tum ex ſcriptura, tum traditione Patrum oſtendimus contra Hæreticos. Ex eodem loco conſtat duas tantum in Divinis admittendas eſſe proceſſiones, nempe tot, quot ſunt Perſonæ procedentes: fide autem certum eſt duas tantum eſſe Perſonas procedentes, Filium, & Spiritum S. Pater enim eſt ingenitus, principium ſine principio, fons, & origo totius Divinitatis. Videndum igitur, quodnam ſit harum proceſſionum formale principium, an natura Divina, an aliquod aliud attributum? nomine autem principii intelligimus id, in quo ſita eſt ratio potentiæ generandi, aut ſpirandi, ſeu per quod Perſona immediate operatur. Putant Theologi diſtinguendum eſſe inter principium *quod* & principium *quo;* & illud quidem eſſe perſonam ſubſiſtentem, non eſt, qui vocet in dubium. At de principio current quo inter ſe diſſentiunt.

Durandus has proceſſiones fieri formaliter per Naturam docuit, ſtatuitque illarum principium proximum eſſe Eſſentiam Divinam, quæ habeat fœcunditatem præciſe ex ſua infinitate; & non ex hoc, quod ſit intelligens, & volens. Verum hanc doctrinam temerariam, errorique proximam cenſet Suarezius, nec immerito, quippe quæ in re graviſſima ſingula-

gularis eſt, adverſaque ſcripturis, PP. ac recepto illi effato in Concilio Lateran. confirmato: *eſſentia non eſt generans, neque genita, neque procedens.* Scotus diſtinguit in Divino Intellectu duos actus, intelligendi alium, alium dicendi, & ſimiliter debet in voluntate Patris, & Filii admittere duos actus, alium amandi, ſpirandi alium: *intelligere* vult eſſe commune toti Trinitati, atque adeo Patrem per intellectionem non generare; *dicere* eſſe proprium ſoli Patri, atque ideo dicendo Patrem generare Filium. Motus autem eſt Scotus hoc argumento Durandi, qui, cum intelligere & amare omnibus Divinis Perſonis commune ſit, exiſtimavit conſecuturum, quamvis Divinam Perſonam & gignendi, & ſpirandi facultatem habere, ſi Filius naſceretur intellectione, & Spiritus S. procederet amore. Verum intelligere, ac dicere in divina Patris mente nec formaliter, & diſtinctione ratiocinata inter ſe ſecernuntur: nam nec aliter Pater ſibi ſeſe, & cognoſcibilia omnia loquitur, quam illa intelligendo. Communior opinio cenſet proceſſiones Divinas eſſe immediate ab Intellectu, ac voluntate; ita ut Pater generet Filium intelligendo, & Pater, ac Filius ſpirent Spiritum S. amando: qui intellectionis, ac voluntatis actus ſibi ſuperaddunt fœcunditatem, ſeu vim generativam, & ſpirativam. Unde producere verbum, eſt intelligere cum vi generante, & producere Spiritum Sanctum, eſt velle cum virtute ſpirante. Sit igitur

ASSERTIO.

Principia proxima proceſſionum ſunt intellectus, ac voluntas, prout ſibi ſuperaddunt fœcunditatem.

LVI. SEntentia hæc plurimum accedere videtur ad mentem, & loquendi modum tum ſcripturæ, tum SS. PP. Nam Fi-

Filius dicitur *Verbum*, ac *ſapientia* Patris, & Spiritus S. *Charitas*, *amor:* Jam vero Verbum pro immediato principio habet Intellectum, & Charitas ad voluntatem pertinet. Certe PP. fere omnes per proprietates, & actus intellectionis, ac amoris has proceſſiones explicant; ut Cyrillus l. I. in Joan. c. 5. Baſilius Homil. in Evangelii ſecundum Joann. initium. Theodoretus l. 2. ad Cræcos. Irenæus l. 2. c. 48. Damaſcenus l. I. de Fide c. 9. Anſelmus in Monol. c. 34. Pro omnibus audi Auguſtinum l. 15. de Trinit. c. 13. ita loquentem: *Verbum natum eſt . . . de Patris ſcientia, de Patris ſapientia.* Et c. 17. Spiritum S. idcirco ait appellari *amorem*, *dilectionem*, *charitatem*, non autem Filium, quia voluntas imaginem ſui, ut mens, non efformat.

Dixi autem: *prout ſibi hanc fœcunditatem adjiciunt*, *ac ſuperaddunt.* Nam eadem Intellectio, prout eſt in Filio, & Spiritu S., hac fœcunditate caret, & idem hic Amor, prout eſt in Spiritu S. caret hac vi ſpirativa. Idcirco tamen proprie admitti non debet in Deo alia intellectio abſoluta, & alia notionalis; alius amor abſolutus, & alius notionalis. Conficit id paritas deſumpta a Natura Divina, quæ idcirco (quod, ut eſt in Patre, adſciſcat ſibi aliam hypoſtaſim, aliam, ut eſt in Filio) non poteſt proprie dici alia in Patre, & alia in Filio, neque ipſa a ſe diſtinguitur formaliter, quia non importat hanc hypoſtaſim, in quantum natura eſt. Simili ratione dici proprie in Deo non poteſt intellectio alia abſoluta, alia notionalis, quia non ideo, quia eſt vis intellectiva, eſt fœcunda in generante; ſed quia eadem intellectio (quæ eſt in Filio, & Spiritu S.) ut conjuncta in Patre cum hac fœcunditate conſtituit Patrem generantem. Sic pariter dici non poteſt alius amor abſolutus alius notionalis, quia non ideo fæcundus eſt in ſpirante, quia eſt amor: ſed quia idem amor (qui eſt in Spiritu S.) ut conjunctus cum vi ſpirativa, in ſpirante ſimul Patre, ac Filio conſtituit ſpiratorem.

LVII.

LVII. Opponeſ I. SS. PP. dicunt *Verbum eſſe Filium natura*, imo ex infinitate Naturæ divinæ conſequitur, illam eſſe fœcundam, & communicabilem pluribus perſonis; igitur ipſa erit immediatum communicationis ſui, ac proinde proceſſionum principium. Reſp. Patres per nomen *natura* non ſignificant principium generationis, ſed ejusdem modum, oſtendentes nempe contra Arianos proceſſionem Filii non eſſe liberam & arbitrariam, ſed naturalem & neceſſariam, nec proinde Verbum eſſe Filium adoptivum, ſed naturalem. Ex infinita autem Naturæ Divinæ perfectione omnino oritur fœcunditas; ſed ita duntaxat, ut ejusdem infinitas poſtulet identitatem cum intellectus, ac voluntatis actibus, quibus formaliter fit proceſſio, & naturæ communicatio.

Opp. II. Intelligere, & amare Divinis eſt Perſonis commune: igitur ſi Filius naſceretur intellectione, & Spiritus S. procederet amore, quævis Divina Perſona & generandi, & ſpirandi haberet facultatem. Reſp. Ex dictis facilis ratio redditur, cur ſolus Pater generet. Generat namque Filium per intellectionem, ut eſt a ſe, & incommunicata, prodeunte ex vi intelligendi in actum virtuti huic adæquatum, quo nempe omnia intelligibilia cognoſcit: huic igitur virtuti intellectivæ cum eſſentia communicatæ Filio, & Spiritui Sancto alius talis actus reſpondere non poteſt, cum adæquatum jam in generatione terminum habeat. Similiter Pater, & Filius per amorem ut eſt vel omnino incommunicatus, vel ut eſt communicatus quidem ſed tantum per generationem, ſe mutuo amando ex vi voluntatis ſpirant Divinum Spiritum, eumque ſpirando divina voluntas jam adæquatum virtuti ſuæ obtinet terminum: ut proinde prout communicata per voluntatis emanationem Spiritui S., hanc amplius ſpirandi fœcunditatem habere nequeat.

§. II.

§. II.

Quod eſt diſcrimen proceſſionis Filii a proceſſione Spiritus Sancti?

LVIII. Ex dictis jam liquet proceſſiones Divinas eo differre, quod una ab Intellectu, altera a voluntate fluat. Sed ultra progredimur, & inquirimus, an ſola proceſſio Verbi dicenda ſit *generatio*, & qua de cauſa. Quamvis autem SS. PP. (inter quos præcipui ſunt Athanaſius Orat. 3. Baſilius Hom. 29. Nazianz. oratione I. de Filio) moneant, ejusmodi rationem non eſſe curioſe, ac contentioſe indagandam, ea tamen verba non pertinent ad eos Theologos, qui cum modeſtia, & ex ſincero myſterii tutandi ſtudio in Divini Filii generationem, exemplo SS. PP. inquirunt: ſed temerarios duntaxat hæreticos ſtringunt, qui, quod nullam in Deo naturalem generationem ſine profluvio, aut paſſione concipi poſſe putarent, omnem Dei Filium abnegarunt.

Porro generationis ideam nobis hanc proponit S. Damaſcenus l. I. c. 8. *generare quidem eſt ex ſubſtantia generationis proferre genitum ſimile ſecundum ſubſtantiam.* Quæ expoſitio congruit cum illa D. Thomæ p. I. q. 27. a. 2. paſſim in Scholis recepta: *origo viventis a vivente principio conjuncto ſecundum ſimilitudinem naturæ.* Vocatur I. *origo*, id eſt proceſſio, emanatio, quod eſt commune cujusque productionis nomen. II. *viventis a vivente*, quia non eſt veri nominis generatio, niſi utrumque, gignens nempe, & genitum, vita præditum ſit: ſic Adamus e luto fictus quidem, ſed non genitus affirmatur. III. *principio conjuncto:* quo quidem duo ſignificantur; primo illud, unde procedit aliud vivens, ut proprie cenſeatur ex eo generari, debere eſſe principium activum illius productionis. Deinde eidem debere

conjungi per aliquid ſui : ſic cum liberi procreantur, parentes agunt, & aliquam ſubſtantiæ ſuæ partem cum eis communicant. IV. *in ſimilitudinem naturæ ;* quibus verbis duo pariter indicantur : primo ad generationem requiri ejusdem naturæ vel numericæ, ut in Deo, vel ſpecificæ, ut in creatis, communionem. Deinde actionem, quæ generatio nuncupatur, in hanc naturæ ſimilitudinem natura ſua tendere oportere : ea enim eſt propria vis generationis, ut ſimile quid natura edat. Hinc ſit

ASSERTIO I.

Inter proceſſiones Divinas hoc diſcrimen eſt, quod proceſſio Verbi ſit vera generatio : & talis non ſit proceſſio Spiritus S.

LIX. PRima pars conſtat ex iis ſcripturarum locis, ubi prima quidem perſona *Pater*, ſecunda vero *Filius* appellatur. Item ex conſtanti Eccleſiæ fide, & Patrum traditione, quam alibi exhibuimus. Ac certe proceſſioni Verbi convenit vera generationis ratio ; nam I. eſt origo viventis a vivente : *ſicut* enim *Pater habet vitam in ſemetipſo ; ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*, Joan. 5. II. eſt a principio conjuncto. Non enim partem duntaxat ſubſtantiæ Patris, ſed totam ſubſtantiam habet Filius juxta illud : *Pater in me eſt*. III. in ſimilitudinem naturæ : ad Heb. enim c. 1. v. 3. nominatur *figura ſubſtantiæ ejus*, idque ipſa vi proceſſionis, ut paulo poſt declarabitur.

Sola autem verbi proceſſio dici debet generatio ; nam ſcripturæ dicunt Verbum eſſe Filium Dei unigenitum : Joan. 1. v. 14. c. 3. v. 16. & 18. In ſymbolis ubique dicitur Chriſtus Filius ejus unicus, aut unigenitus. Eccleſia ſemper habuit pro hæreticis eos, qui plures Filios admittebant in Deo.

Ta-

Tales fuere Valentiniani, teſte Irenæo l. 1. c. 1. Talis Marcion, ut perhibent Juſtinus Apol. 2. Tertullianus l. 4. adverſus ipſum c. 6. Athanaſius contra Sabellianos, Optatus l. 4.

Dices. Chriſtus dicitur *primogenitus DEI.* Atqui primogenitus fratres habet filios ex eodem Patre genitos. Certe Spiritus S. procedit vivens de vivente principio conjuncto; igitur etiam genitus eſt. Reſp. Chriſtus dicitur primogenitus, eo quod nullum priorem ſe habeat, non autem hoc ſenſu, quod alter poſt ipſum ſit genitus; ſic & de B. Virgine Luc. 1. dicitur, *peperit Filium ſuum primogenitum*, quia nullum priorem habuit, quamvis nec poſteriorem. Quod ſi Chriſtus dicitur primogenitus Dei reſpectu aliorum filiorum conſequentium, id de creaturis intelligendum eſt: vocatur enim idcirco *primogenitus omnis creaturæ.* Spiritus S. procedit vivens de vivente principio, & quidem natura ſimilis illi, ſed non in ſimilitudinem naturæ fœcundæ, ut ex dicendis patebit.

ASSERTIO II.

Filius Dei eo cenſetur genitus a Patre, quod procedat in ſimilitudinem Naturæ fœcundæ.

LX. Etſi hæc cauſa diſcriminis evidens non ſit, multorumque Theologorum opinioni contraria, efficaciter tamen probatur hoc modo. Filius Dei, ſi naturam quidem Patris acciperet, ſed alio modo, quam per generationem, non foret Filius; ut teſtatur D. Thomas l. 4. contra gentes c. 23. Atqui Filius non acciperet naturam Patris per generationem, ſi non procederet in ſimilitudinem naturæ ut fœcundæ ſeu ſi non obtineret naturam fœcundam. Ex quo conſequitur Filium eo eſſe genitum a Patre, quod procedat in ſimilitudinem naturæ ut fœcundæ. Aſſumpta autem propoſitio ul-

ulterius ſic urgetur: per generationem procedere, eſt procedere in omnem ſimilitudinem naturæ Patris, quam Pater habet, & poteſt communicare; ut habetur ex Baſilio relato a Concilio Florent. Seſſ. 6. ubi hæc habet: *Filius ergo manens in eſſe Filii omnia eſt, quæ Pater.* Atqui procedere in omnem ſimilitudinem, eſt procedere in ſimilitudinem naturæ ut fœcundæ: hanc enim habet Pater, poteſtque communicare. Confirmatur iſthæc opinio auctoritate Gregorii Nazianz. & Auguſtini; Ille enim Orat. 37. ita ſcribit: *hæc eſt imaginis natura, ut exemplar ſuum imitando referat . . . Hujusmodi ſimplicium rerum hæc eſt natura, ut non partim inter ſe ſimiles ſint, partim diſſimiles, ſed totæ totas repræſentent, eædemque potius ſint, quam diſſimiles.* Auguſtinus vero l. 15. de Trin. c. 14. ita loquitur: *Tanquam ſe ipſum dicens Pater genuit verbum ſibi æquale per omnia. Non enim ſe ipſum integre perfecteque dixiſſet, ſi aliquid minus aut amplius eſſet in ejus Verbo, quam in ſe ipſo . . . Et ideo Verbum hoc vere veritas eſt, quoniam quidquid in ea ſcientia, de qua genitum eſt, & in ipſo eſt.*

LXI. Ut contrariarum opinionum momentis ſatisfieri poſſit, nonnulla adnectimus. I. Notio Filii non conſiſtit in ratione imaginis cujuscunque, ſed ſubſtantialis ſecundum ea omnia, quæ Pater habet, & poteſt communicare; & quamvis Filius Divinus non ſit fæcundus per aliam generationem, talis tamen eſt per ſpirationem, eamque obtinet fœcunditatem, quæ communicari poteſt. Hinc non ideo Filius formaliter procedit in ſimilitudinem naturæ, quia procedit per intellectum: etſi enim procedere per intellectum dicat ſimilitudinem aliquam intentionalem cum objecto Verbi, non tamen importat ſimilitudinem illam naturæ fæcundæ, quam, quia Verbo Pater communicat, idcirco illud generat. II. Ex illis D. Auguſti-

guſtini l. 7. de Trinit. c. 2. verbis: *eo verbum , quo Filius, & eo Filius , quo Verbum* , non infertur Filium propterea talem eſſe , quia procedit per intellectum, ſed quædam duntaxat congruentia inde deſumitur : Procedere enim per intellectum non ſatis eſt ad obtinendam rationem Verbi ; alias & ſpecies impreſſa , & habitus intellectus eſſent Verbum mentis. Sed nec procedere per modum verbi ſatis eſt ad obtinendam rationem Filii , ſed congruentia tantum aliqua inde ducitur. Cum enim in ſubſtantiis intelligentibus detur duplex vitalis operatio, per intellectum alia, alia per voluntatem, atque ut illa prior eſt, tenditque ad aliam nempe volitionem, ita congruum quoque eſt, ut ſecunda in Trinitate Perſona, quæ prior eſt tertia, & ad illam tendit, procedat per intellectum , ſitque Verbum Mentis Divinæ. III. Similitudo fœcunditatis non eſt præciſe conſtituta in abſoluto , ſeu in eo , quod Filio communicetur Natura, quæ in Patre fœcunda eſt, ſed in relativo; cum enim Pater vi generationis omnia communicet Filio, quæ communicare poteſt, poſſit autem communicare ſpirationem activam tanquam perfectionem relativam , eandem obtinere debet Filius, ut perfectam fœcunditatis ſimilitudinem obtineat. Neque vero hoc tantum deſumitur ex paritate filii creati, ſed partim ideo, quia etiam Filius creatus procedit in ſimilitudinem naturæ fæcundæ, partim ideo , quia fides docet, in Divinis Filium tantum procedere in ſimilitudinem naturæ fœcundæ per ſpirationem , & non per generationem , ſicut in creatis. Ceterum creata filiatio ad imitationem potius Divinæ dicitur, quam hæc illam imitetur ; ut obſervat Cyrillus l. 13. Theſaur. IV. Filius Divinus non tantum importat generationem paſſivam, ſed & activam ſpirationem. Nam ut in Divinis ſumme perfecta Filiatio ; ita & ſumma eſſe debet ſimilitudo ad intra communicabilis. Hinc omnino conſequitur, Filium, ſi non fuiſſet fœcundus , non futurum fuiſſe filium ,

nec proinde diſtinctum a Spiritu S. Fœcunditas autem ad extra non ſufficit ad rationem filii ; quia neceſſaria eſt ea , per quam Filius poſſit producere in natura ſimilem ſibi , ac Patri.

§. III.

Oſtenditur Verbum Divinum non tantum procedere ex cognitione Eſſentiæ, Attributorum , ac Perſonarum Divinarum, ſed & ex cognitione omnium Creaturarum.

LXII. UNiverſim id oſtendi poteſt auctoritate PP. Auguſtinus l. 15. de Trin. c. 14. ita ait, *novit omnia Pater in ſe ipſo : novit & in Filio : ſed in ſe ipſo tanquam ſe ipſum, in Filio tanquam Verbum ſuum , quod eſt de his omnibus , quæ ſunt in ſe ipſo.* Idem S. Doctor tract. 21. in Joan. ſic loquitur: *Pater diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit : dicendo enim Filio , quæ facturus erat Pater per ipſum Filium, Filium genuit, per quem fecerat omnia.* Anſelmus Monolog. c. 33. *cum ipſe* , inquit , *ſummus Spiritus dicit ſe ipſum , dicit omnia, quæ facta ſunt , jam antequam fierent , & cum jam facta ſunt, & cum corrumpuntur , & aliquo modo variantur , ſemper in ipſo ſunt.* Fulgentius l. 3. ad Monim. c. 7. *ſicut de tota mente*, ait, *naſcitur Verbum, ſic intra totam permanet natum . . . Verbum tantum eſt , quanta eſt ſcientia , de qua eſt.* Eadem habet D. Thomas *p.* 1. *q*, *34. a.* 1. & 3. Ratio autem manifeſta in eo eſt, quia Verbum, utpote perfectiſſimum, procedit non tantum ex cognitione Eſſentiæ divinæ comprehenſiva, ſed & ex cognitione eorum omnium , quæ Pater ipſi dicit; dicendo namque gignitur. Atqui Pater Filio dicit omnia , adeoque Verbum repræſentat omnia objecta etiam contingentia : alioquin aliqua ignoraret , ac proinde non foret infinitum.

LXIII.

LXIII. Momenta contra noſtram aſſertionem pugnantia ejusmodi fere ſunt. I. Si verbum procederet ex cognitione trium perſonarum, atque adeo ſui ipſius, & Spiritus S., eſſet poſterius ſe ipſo, ac Spiritu Sancto: imo procederet ex eo, quod nondum eſt. Rurſum foret imago naturalis ac ſubſtantialis non tantum Patris, ſed & ſui ipſius, & Spiritus Sancti. Atqui hæc nemo ſine contradictione admittet.

Reſp. ad I. Verbum in ſigno priori originis, in quo nondum exiſtit, cognoſcitur ut exiſtens in ſigno ſubſequo; atque adeo ut exiſtens objective, ſeu in cognitione Patris eſt formaliter prius ſe ipſo ut exiſtente in ſe. Id quod nihil repugnans importat. Verbum enim non tantum procedit ex eo, quod in ſigno priore reipſa eſt, ſed & ex eo, quod prius eſt objective: cum igitur in ſigno priore ad Verbum objective, & ipſum Verbum ſit, & Spiritus S., quippe cogniti a Patre, etiam ex ſui, & Spiritus Sancti cognitione procedere poteſt. Ad II. ajo, minime inde ſequi, Filium eſſe naturalem, & ſubſtantialem imaginem ſui, ac Spiritus S. Nam ad hanc requiritur, ut procedat ex influxu phyſico. Idem Verbum, quod eſt in Patre, eſt quidem etiam in Filio, & Spiritu; ſed juxta dicta tantum ut eſt in Patre, eſt generans; proinde Filius tantum ex Verbo ut eſt in Patre, adeoque tantum a Patre procedit, non ex eodem Verbo ut eſt in Filio, ac Spiritu, ſicut Natura tantum ut in Patre, eſt Pater generans, non, licet ſit numero eadem, ut eſt in Filio, ac Spiritu S.

Sed dices: ſi Verbum divinum procedit ex cognitione omnium rerum, daretur duplex Verbum; unum neceſſarium, alterum contingens. Reſp. ſicut Divina ſcientia duplex eſt, alia neceſſaria, alia contingens, in ſe quidem, & quoad ſubſtantiam unica ſumma vis neceſſario cognoſcendi omne cogno-

ſci-

ſcibile, ob ſuos tamen terminos, ſeu objecta, quorum alia ſunt neceſſaria, alia contingentia, virtualiter multiplex: ita & Filius, ſeu Verbum Divinum in ſe quidem unicum eſt, nempe ſumma illa vis, qua DEUS ſibi neceſſario dicit omne id, quod cognoſci poteſt; ſpectatis tamen objectis aliud eſſe poteſt neceſſarium, quo DEUS objecta neceſſaria, & aliud contingens, quo ſibi dicit objecta contingentia. Quare Filius, ut eſt Verbum neceſſarium, non poteſt quidem procedere ex cognitione contingentium, poteſt tamen ſic procedere ut ſimul eſt neceſſario Verbum contingens, quo æque neceſſario DEUS hæc contingentia loquitur, ex ſuppoſitione, quod ſint, quam loquatur neceſſario ipſa objecta neceſſaria. Hinc etſi proceſſio Verbi neceſſaria exprimentis ſit neceſſaria, non tamen niſi facta hypotheſi neceſſaria etiam eſt proceſſio Verbi exprimentis contingentia..

Inſtabis. Si Filius procederet ex ſcientia viſionis, atque adeo ex cognitione decretorum contingentium, etiam Spiritus S. procederet ex amore contingentium, adeoque ex ipſis decretis DEI liberis. Sic autem Spiritus prior erit Filio; quia decretum contingens prius eſt, quam ejus cognitio, & quia eſt principium neceſſario ſpirans Spiritum S. Quare hunc prius ſpirabit, quam cognitio horum decretorum generet Verbum. Reſp. hoc modo probari etiam Spiritum S. priorem eſſe Patre, & ipſa natura divina complectente ſcientiam viſionis, adeoque nec poſſe illi communicari Naturam Divinam utpote nondum exiſtentem. Hinc diſtinquo aſſertum. Spiritus erit prior Filio, prout hic eſt Verbum exprimens hæc contingentia, tranſmitto. Erit prior Filio, prout hic eſt Verbum neceſſariorum, vel prout ex eſſentia ſua poſtulat cognoſcere omnia, quæcunque erunt, nego. Etſi demus, Filium, ut eſt Verbum contingentium, intelligi poſt decreta abſoluta, atque ſic etiam in

ſigno

ſigno ſubſequo ad Spiritum S. Aliud tamen inde non ſequitur, quam quod non procedat Spiritus S. a Verbo, ut actu exprimit veritates contingentes: quo non obſtante poterit ab eo procedere, ut exprimit veritates neceſſarias, poſtulatque exprimere contingentes, ſi ſunt. Quod ſi id, quod transmiſſum eſt, ſubſiſtit, nec a Patre aliter procedere poteſt Spiritus, quam prout ille cognoſcit veritates neceſſarias, poſtulatque cognoſcere contingentes, ſi quæ tales ſunt. Ceterum & ipſa ſuppoſitio falſa eſt: nam cum contingentia futura videantur a Deo præciſis etiam decretis, pro priori ad ſpirationem paſſivam poterit & Pater videre, & Verbum exprimere veritates contingentes independenter a Decreto; etſi videbunt, exprimentque ſimul decretum ut in ſigno vel eodem exiſtens, vel certe ut in ſigno ſubſequo inferendum.

CAPUT III.

DE PERSONALITATIBUS, RELATIONIBUS, NOTIONIBUS, CIRCUMINSESSIONE, AC MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM.

Cum proceſſiones ſint veluti fontes, ex quibus ſubſiſtentiæ emanent, atque hæ non conſtituantur, nec inter ſe diſtinguantur, niſi per relationes; de his appoſite hic agendum erit. Notandum autem, *perſonam* duo includere: naturam nempe intelligentem, & ultimum illius complementum, quo veluti obſignetur, & alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilis efficiatur, quodque *perſonalitas*, *ſubſiſtentia*, & *hypoſtaſis* appelletur: de qua voce gravis olim lis extitit. Cum enim *hypoſtaſis* ex vi nominis idem ſit omnino quod ſubſtantia, & a veteribus modo pro *natura*, modo pro *perſona* vox illa accepta fuiſſet; poſt Concilium Nicænum quæſtio inter Catholicos exorta eſt; an una hy-

hypoſtaſis, an triplex dicenda foret; quod quidem diſſidium vel orthodoxos, ſanctoſque viros ita commiſit, ut illi ſeſe invicem hæreſeos fautores accuſarent. Qui enim unam hypoſtaſim agnoſcebant, ii Sabellii partes fovere; qui multiplicem, Arii cauſam adjuvare dicebantur. Sed motus iſti tandem compoſiti ſunt, & unanimi conſenſu firmatum, ut hypoſtaſeos nomen deinceps non niſi de perſona, aut ejus ſubſiſtentia intelligeretur. Vide de hoc Petavium l. 4. de Trinit. c. 1. & 4. Quæritur inprimis, quot admittendæ ſint in Deo hypoſtaſes, ſeu ſubſiſtentiæ? Nam nonnulli cum Cajetano (inter quos Suarezium etiam numerant) præter tres relativas ſubſiſtentias admittunt quartam aliquam abſolutam, & tribus illis communem.

§. I.

Oſtenditur tres eſſe ſubſiſtentias, nec quartam admittendam eſſe abſolutam.

LXIV. PRimum oſtendimus ex Patribus. Athanaſius, ſeu quis alius, Serm. de Deipara, *unum DEUM*, inquit, *in tribus ſubſiſtentiis prædicamus, in quibus una ſit ſubſtantia.* Ambroſius in Symbol. Apoſtol. *Catholicum eſt*, ait, *ut & unum DEUM ſecundum unitatem ſubſtantiæ fateamur, & Patrem, & Filium, & Spiritum S. in ſua quemque ſubſiſtentia ſentiamus.* Idem habet Cyrill. Al. dial. de Trinit. l. 3. Synodus 5. generalis Collat. 8. anathem. 1. ita habet: *ſi quis non confitetur unam Deitatem in tribus ſubſiſtentiis ſeu perſonis adorandam, anathema ſit.* Tot igitur in Deo ſunt ſubſiſtentiæ, quot perſonæ: nam multiplicato concreto ſubſtantivo multiplicari formas neceſſe eſt. Atqui tres eſſe perſonas fides docet.

Alteram partem, nempe præter tres ſubſtantias nullam

aliam

aliam admittendam eſſe, oſtendo I. ex Conciliis, ac Patribus, qui tres tantum relativas in Deo ſubſiſtentias conſtanter admiſerunt, aut ſi qui abſolutam profeſſi videntur, *hypoſtaſeos* vocem cum voce *ſubſtantia* confuderunt. Sic Concilium Conſtantinop. II. *cum per ſe*, inquit, *abſolute natura dicitur*, *non adjuncta illi ſpeciali cujusdam perſona*, *infinitum*, & *non ſubſiſtens aliquid ſignificat.* Juſtin. q. I. ad Orthod. *unus*, ait, *eſt DEUS uno individuo ſubſtantiæ*, *ſed tres perſonæ diviſione conſiſtentiarum.* Theodoretus in addit. ad breviar Liberati C. ult. *ſubſiſtentia & perſona in nullo ſignificatorum differunt*, *niſi in nomine.* Damaſcenus l. 1. de Fide c. 9. *tres hypoſtaſes*, *id eſt ſubſiſtentiæ.* Oſtendo II. ratione. nomine hypoſtaſis, ſeu ſubſiſtentiæ ex mente SS. PP. intelligitur ultimum complementum, quo natura redditur alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilis: ſubſiſtentia ergo eſt illa forma, quæ facit complexum ex ipſa & natura ſubſiſtente prædicari non poſſe in recto de complexo ex natura, & ſubſiſtentia alia; hinc quia Pater & Filius in divinis diverſas habent ſubſiſtentias, dici non poteſt: *Pater eſt Filius*: & contra quia Verbum, & natura humana Chriſti eandem habent ſubſiſtentiam, licet naturæ ſubſiſtentes ſint diſtinctæ, dici poteſt: *Verbum eſt hic homo.* Jam vero talis forma in Deo abſoluta eſt nulla; nam natura Divina cum omni ſua exiſtentia, & complemento, terminoque abſoluto affirmari poteſt de Patre, Filio, ac Spiritu S. adeoque de complexo ex natura & ſubſiſtentia alia relativa; ut adeo nec exiſtentia, nec ullum complementum, aut terminus naturæ abſolutus poſſit eſſe talis forma.

Nec dicat Cajetanus, ſubſiſtentiæ abſolutæ munus eſſe, ut naturam Divinam pro priori ad ſubſiſtentias relativas faciat in & per ſe exiſtere. Nam I. etſi natura Divina pro priori ſigno in ſe exiſtat, prout *in ſe* opponitur *in alio*: non tamen, exiſtit *in ſe*

prout hæ voces notant naturam non exigentem ulteriorem terminum, & dicto nunc modo completam. II. Si id ſufficeret ad eſſe ſubſiſtens, etiam natura humana Chriſti deberet dici pro priori ad relativam ſubſiſtentiam Verbi, ſubſiſtere ſubſiſtentia propria, ſeu abſoluta; nam & hæc in eo ſigno exiſtit ſimili modo in ſe, ſicque in Chriſto exiſterent duæ perſonæ. III. nomine ſubſiſtentiæ notatur ea forma, quæ facit cum natura perſonam. Quod ſi igitur talis forma abſoluta admittatur, erunt quatuor perſonæ, tres relativæ, & abſoluta una.

At vero, inquies, non pauci PP. unam eſſe omnium perſonarum ſubſiſtentiam, ſeu hypoſtaſim definiunt: Hieron. in Ep. ad Damaſum, Auguſt. de Trin. l. 7. Imo in Concilio Conſtantinop. III. act. 4. in Agathonis Epiſtola leguntur hæc verba: *confitemur trium ſubſiſtentiarum unam ſubſiſtentiam.* Reſp. Jam ſupra inſinuavimus, ſeculo 4. grave diſſidium extitiſſe de *hypoſtaſeos* voce, aliis illam pro *ſubſtantia*, aliis pro *perſona* ſumendam eſſe contendentibus. Priores partes tuebantur Hieron. & Aug. cum pluribus aliis. Quod ad verba Concilii citati ſpectat, mendum eſt antiquæ verſionis latinæ: legi ſiquidem debet *confitemur unam ſubſtantiam*, nam Græcus legit τριῶν ὑποστασεῶν μίαν οὐσίαν: & in eadem Epiſtola Papa ſubjicit: *Confitentes unum DEUM Patrem & Filium & Spiritum S. non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum unam ſubſtantiam.* Atque hinc Editio Colonienſis ſub Sixto V. facta, uti & plures codices Latini *ſubſtantiam* voci *ſubſiſtentiam* ſubſtituunt.

§. II.

De Relationibus, ac Notionibus Divinis.

LXV. EX dictis ſatis colligi poteſt, dari in DEO relationes ad intra; nam non tantum ſcripturæ, ſed & Concilia,

cilia, ac PP. Perſonas Divinas nominibus relativis appellant. Notum eſt illud D. Auguſtini effatum: *hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad invicem ſunt.* Et Fulgentius l. de Trinit. *Relativa nomina*, inquit, *Trinitatem faciunt.* Quatuor autem in Deo relationes ſunt, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & paſſiva: quælibet enim proceſſio duplicem omnino poſtulat relationem, unam producentis ad productum, alteram producti ad producentem. Atqui duæ ſunt in Deo proceſſiones, una Filii, altera Spiritus S.

Relationes porro conferri poſſunt vel ſecum invicem, vel cum Eſſentia ſeu Natura Divina: poſteriore modo ſi comparentur, ab ea non diſtinguuntur realiter; ut oſtendimus Controverſia I. ubi de ſimplicitate Divina egimus. Quod ſi inter ſe comparantur, eæ inter ſe diſtinguuntur, quæ ſibi invicem opponuntur, nempe Paternitas, Filiatio, & Spiratio paſſiva. Neque dici poteſt, Paternitatem & Filiationem non opponi Spirationi paſſivæ: etſi enim non opponantur per ſe, opponuntur tamen per Spirationem activam, cum qua identificantur; ex dictis enim Pater & Filius ſimul ſunt unus Spirator, qua ratione opponuntur Spiritui S. ab eoque realiter diſtinguuntur.

At enim Spiratio activa realiter non diſtinguitur a Paternitate, ac Filiatione: Nihil enim eſt, ob quod per identitatem non poſſit eſſe in Patre, ac Filio. Habet nempe Pater per identitatem, quidquid communicat Filio; at Pater, ut Pater, communicat Filio ſpirationem activam. Similiter habet Filius, ut Filius, per identitatem ſpirationem activam: ſicut enim de ratione generantis eſt dare, ita de ratione geniti eſt accipere fœcunditatem; Filius ergo, ut Filius, per identitatem habet ſpirationem activam: quæ ſe habet ad Patrem, & Filium, ſicut natura ad tres Perſonas. Nam I. eſt una & eadem nu-

mero in Patre & Filio, ſicut Natura in tribus Perſonis. II. convenit Patri & Filio per ſummam identitatem, ſicut Natura tribus Perſonis. III. per eam Pater & Filius ſunt unus ſpirator, ſicut per Naturam tres Perſonæ ſunt unus Deus. Differt tamen a Natura in eo, quia opponitur uni Perſonæ nempe tertiæ, Natura vero nulli opponitur. De perfectione relationum Divinarum egimus Controverſia I.

LXVI. Notiones Divinæ ſunt notæ quædam peculiares, quibus Perſonæ a ſe invicem dignoſcuntur. Ejusmodi in Deo eſſe Patres affirmant. S. Baſilius l. 2. contra Eunom. proprietates, ut ita dicam, notificantes γνοριςικὰς ἰδιότητας, & Epiſt. 43. ſigna notionalia recenſet. Iisdem verbis utitur S. Gregorius Nyſſ. l. 1. contra Eunom. S. Cyrillus Alex. l. 1. Theſauri c. 5. aſſerit, generare eſſe Patris notionem. Conſentiunt porro, Duce Baſilio, ac Damaſceno l. 1. de fide c. 9., Theologi in id, ut quinque duntaxat admittant notiones, in Patre nempe innaſcibilitatem & Paternitatem, in Filio filiationem, in utroque ſimul ſpirationem activam, & in Spiritu S. ſpirationem paſſivam; Tot enim ſunt notæ, quibus perſonæ Divinæ dignoſcuntur, & a ſe invicem ſecernuntur. Nam primo ut tres perſonæ a ſe invicem diſtinguantur, quatuor neceſſariæ ſunt relationes, ut jam diximus. Deinde vero ut Pater omni ex parte cognoſcatur, innaſcibilitas adjungi debet. Duo namque Pater habet, quod aliarum Perſonarum ſit principium, & quod a nullo ipſe principio ſit, quæ quidem juxta noſtrum cogitatum a ſe invicem diſcrepant, nec unum ex altero intelligitur, ut acute notavit Auguſtinus l. 5. de Trinitate c. 6. *Non ideo quis Pater*, inquit, *quia ingenitus, nec ideo ingenitus, quia Pater.* Cum ergo æternus Pater non eo præciſe intelligatur omnis principii expers, quod principium ſit; præter paternitatem, qua Filium, & ſpirationem activam, qua Spiritum S. producere concipitur, innaſcibilitas adjicienda eſt, ut ipſe a nullo oriri ſciatur.

§. III.

§. III.

Oſtenditur admittendam eſſe mutuam Divinarum perſonarum immanentiam.

LXVII. SCripturæ ac Patres hoc aperte oſtendunt. Chriſtus Joan. 14. de ſe ipſo ait: *non creditis, quia ego in Patre & Pater in me eſt.* Et paulo poſt: *Pater in me manens, ipſe facit opera.* Hinc Baſilius Ep. 42. *neque enim poteſt,* inquit, *aliqua ullo pacto excogitari vel ſectio vel diviſio, ut ſive Filius abſque Patre intelligi, ſive Spiritus a Filio ſejungi queat.* Ambroſius l. 10. in Lucam ad c. 20. ita habet: *Pater DEUS, & Filius DEUS; ſed unus DEUS, quia Pater in Filio & Filius in Patre.* Damaſcenus de Fide Orthod. c. 11. *in ſe invicem,* ait, *inſunt hypoſtaſes, non ut confundantur; ſed ut ſibi hæreant, ſecundum Domini ſermonem dicentis, ego in Patre, & Pater in me ... indiviſa enim in diviſis, ut uno verbo dicam, eſt Divinitas.* L. autem 3. c. 5. *easdem* (Perſonas) *& unitas & in ſe invicem ſine ulla confuſione commeantes novimus* (περιχωρέςας) *quamvis enim per ſe quævis ſubſiſtat ... tamen unita ſunt eſſentia.* Auguſtinus l. 6. de Trinit. c. 10. ita habet: *in ſumma Trinitate tantum eſt una* (Perſona) *quantum tres ſunt, nec plus aliquid ſunt duæ, quam una. Ita & ſingula ſunt in ſingulis & omnia in ſingulis.* S. Fulgentius de fide ad Petrum c. 1. *per hanc,* inquit, *unitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu S. totus Filius in Patre & Spiritu S. eſt, totus quoque Spiritus in Patre, & Filio: nullus horum extra quemlibet ipſorum eſt.* Ex quibus colligimus, hanc περιχώρεςιν repetendam eſſe ex ejusdem Naturæ communione. V. de hoc fuſius agentem Petavium l. 4. c. 16.

§ IV.

§. IV.

De miſſione Divinarum Perſonarum.

LXVIII. Fide certum eſt, Divinas Perſonas mitti; ſic enim teſtatur Filius de ſe ipſo Joan. 8. *qui miſit me Pater.* Et de miſſione Spiritus S. Joan 10. *quem ego mittam vobis a Patre.* Quæritur duntaxat, quid miſſio ſit, & quæ Perſona, aut a quibus mittatur. Ac primo quidem cum D. Thoma p. 1. q. 43. miſſio proprie dicitur, Divinæ Perſonæ proceſſio cum habitudine ad temporalem effectum. Colligitur id ex ipſis Chriſti verbis Joan. 16. *Exivi a Patre, & veni in mundum*: ubi & proceſſionis ſuæ æternæ meminit, ut exponit Auguſtinus tract. 102., & tamen non dicitur eſſe miſſus & veniſſe antequam incarnaretur, ſeu ante temporalem incarnationis effectum; dicit enim Apoſtolus ad Gal. 4. *poſtquam venit plenitudo temporis, miſit DEUS Filium ſuum.* Quod ſi PP. ſenſum exploremus; alii miſſionem Divinarum Perſonarum refundunt in temporalem duntaxat functionem, alii in proceſſionem internam. In prima claſſe eſt Cyrillus l. 2. in Joan. c. 3. ita loquens: *Pater Filium ex propria natura coruſcare fecit, tanquam ex lumine ſplendorem ſecundum ineffabilem divinæ generationis modum. Quod quidem & ipſe nobis unigenitus aperuit dicens: ego ex Patre exivi & venio: Exivit enim ex Patre in propriam exiſtentiam Filius, etſi in ipſo ſecundum naturam ineſt. Et quod apud nos illic exiiſſe ſignificat, hoc rurſus iſthic miſſum eſſe demonſtrat.* Chryſoſtomus hom. 39. *ſiquidem*, ait, *mitti tranſitum indicat, DEUS autem adeſt ubique. Cur igitur miſſum ſe eſſe dicit? nimirum Craſſiora quædam uſurpat, ut ſuam cum Patre concordiam demonſtret.* In altera claſſe ſunt Chryſoſtomus rurſus & Auguſtinus. Ille hom. 102. ita loquitur: *quid igitur ſibi vult hæc locutio: miſſus eſt? idem ac viſus eſt,*

eſt, *idem ac per carnem reſplenduit. Miſſio non migramen a loco in locum ſignificat, ſed progreſſum ex minime aſpectabili Divinitate in aſpectabilem.* Et Auguſtinus tract. 26. in Joan. *miſſio ejus*, inquit, *exinanitio ſuimet ipſius eſt, & formæ ſervilis acceptio, quod recte intelligitur ſervata etiam Filii cum Patre æqualitate naturæ.* Hæc igitur teſtimonia rite conciliantur, ſi dicatur miſſio eſſe proceſſio quidem Divinæ cujusdam Perſonæ, ſed tamen ut importat habitudinem ad temporalem quandam functionem, ante quam nondum denominationem obtinet miſſi. Hinc D. Auguſtinus l. 4. de Trin. c. 20. ait: *non eo ipſo quod de Patre natus, miſſus dicitur Filius, ſed vel eo, quod apparuit huic mundo Caro factum, vel quod ex tempore cujusque mente percipitur.*

LXIX. Jam vero ex his manifeſtum fit I. Patrem *miſſum* dici non poſſe; deeſt ſiquidem illi miſſionis fundamentum nempe æterna a principio quodam proceſſio: licet & ipſe ſpectabilem ſe aut in corpore quodam, aut voce hominibus dederit, ut Abramo comparuit, aut de Chriſto profeſſus eſt: *hic eſt Filius meus dilectus* &c. Hinc Auguſtinus l. 4. de Trin. c. 20. hæc ſcribit: *Pater cum ex tempore a quopiam cognoſcitur, non dicitur miſſus: non enim habet, a quo ſit, aut ex quo procedat* Et l. contra Serm. Arian. c. 4. *ſolus Pater*, ait, *non legitur miſſus, quoniam ſolus non habet auctorem, a quo genitus ſit, aut a quo procedat.* Neque dici poteſt cum Photio cod. 277. Chryſoſtomum *homilia quadam de Spiritu S.* fateri Patrem ſeu conditorem cæli a Spiritu S. miſſum eſſe. Nam contra eſt primo, quod hæc homilia non paucis poſt Petavium ſuppoſititia eſſe videatur. Secundo quod per conditorem cœli non Pater ſed Verbum, quo condita ſunt omnia, intelligatur, atque hic tantum, ut eſt homo, dicatur a Spiritu S. etiam miſſus eſſe; ut expendens textum Petavius colligit. II. dici po-

teſt Filius miſſus a Patre, & Spiritus S. a Patre & Filio; cum ille a ſolo Patre, hic ab utroque procedat. III. Filius ut homo per analogiam aliquam etiam dicitur miſſus a Patre, Spiritu S. tota Trinitate, atque adeo etiam a ſe ipſo ut DEO. Cum enim opera Trinitatis ad extra ſint communia toti Trinitati, & Chriſtus totius ſit Trinitatis opus; a tota Trinitate, atque adeo etiam a ſe ipſo ut DEO, uti ſuo modo procedit (creatur nempe) ita & ad opus redemptionis mittitur. Audi Toletanum XI. fidem ita profeſſum: *miſſus Filius non ſolum a Patre, ſed & a Spiritu S. miſſus eſſe credendus eſt in eo, quod per prophetam dicitur: Et nunc DEUS miſit me & Spiritus ejus: a ſe ipſo quoque miſſus accipitur pro eo, quod inſeparabilis non ſolum voluntas, ſed operatio totius Trinitatis agnoſcitur.* Id quod Toletani Patres ab Auguſtino, & Ambroſio ſumpſerunt, quorum prior l. 2. de Trin. c. 5. Et alter tract. de Symbol. c. 9. diſertis verbis id tradunt.

LXX. Porro miſſio Spiritus S. duplex eſt, alia externa, ac viſibilis: qualis fuit in baptiſmate Chriſti, dieque Pentecoſtes. Alia interior, ac ſpiritalis, quæ tum fit, cum ſine viſibilibus ullis ſignis ſpiritualia dona ſeu Chariſmata (præſertim donum charitatis) tribuuntur. Nam ut alia aliis Perſonis dona attribuuntur, ita ex Scripturis & PP. proprium munus eſt Spiritus S. gratia adoptionis, regenerationis, aut innovationis ſeu ſanctificationis. Sicut enim Pater *fons* & *principium* eſt exiſtendi, atque ideo ex proprio ſuo munere omnibus, ut exiſtant, tribuit: ſicut Filius (*ratio* nempe ac *Sapientia*) dicitur omne id communicare, quod ad intelligentiam & juſtitiam pertinet; ita Spiritus S. qui ſolus ex *amore*, *charitate* & voluntate procedit, tanquam propria ſanctitatis & dilectionis dona ſibi vendicat. Hinc Cyrillus dialogo 3. de Trinit. ait, *datum optimum, & donum perfectum nihil eſſe aliud, quam participem eſſe Spiritus S.*

Ena-

Enaſcitur quæſtio, an in hujusmodi miſſione inviſibili Spiritus Divinus nobis jungatur penes dona tantum ab eo profecta, an etiam penes ſubſtantiam: ita ut nova & ineffabilis inde exurgat Spiritus Sancti quoad ſubſtantiam cum anima unio. Hac de re doctiſſimum ſuum ſenſum profert Petavius *l.* 8. *de Trinit.* *c.* 4. 5. 6. & 7. Etſi enim fateatur perſæpe ipſis donis *Spiritus* nomen tribui; ex Scripturis tamen, & vetuſtioribus PP. occultum quendam communicationis modum deducit, quo Spiritus S. in juſtorum animos ſeſe inſinuans, cum illis copulatur: quem modum non ait eſſe accidentarium ſeu talem, qui qualitate duntaxat quadam ſupernaturali perficiatur, ſed ſubſtantialem etiam, ita ut ſubſtantia ipſa Spiritus S. nobiſcum jungatur, nosque Sanctos, juſtos, Deique filios efficiat. Argumenta Petavii fere ſunt ſequentia.

LXXI. Inprimis plurima in Scripturis de communicatione Spiritus S. dicuntur, quæ ad creata, diffuſaque in nos chariſmata & effecta reſtringi nequeunt, ſed ipſam omnino perſonam quocunque tandem modo in nos derivari ſignificant. Joan. 14. dicitur: *Ego rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum: vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Apoſtolus ad Rom. 5. *charitas*, inquit, *diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* Ubi donum charitatis ab ipſo Spiritu diſtinguit, quem & datum eſſe dicit. Rurſum in nobis habitare Spiritum ſæpe prædicat, ut ad Rom. 8. *ſi tamen Spiritus DEI habitat in nobis.* 1. Corinth. 3. *neſcitis, quia templum DEI eſtis, & Spiritus DEI habitat in vobis.* Et: *an neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus S. qui in vobis eſt.* Quo referuntur illa loca, quibus aſſerit Apoſtolus, Spiritum S. nobis eſſe datum tanquam *pignus*, ſeu ut in græco

eſt, arrhabonem. Sic ad Corinthios ſcribens: *qui & ſignavit nos*, inquit, *& dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Et ad Epheſ. 1. *in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto: qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* utrobique in Græco eſt ἀῤῥαβὼν, qua in voce vis ineſt quædam, quod arrha pars ſit ſummæ totius: pignus vero diverſum aliquid, quod perſoluto pretio redditur, ut Hieronymus & Chryſoſtomus obſervant. Ille in comment. ad Ep. ad Eph. ſic ait: *Si arrhabo tantus, quanta erit ipſa poſſeſſio?* hic autem in caput 1. ad Eph. *quemadmodum*, ait, *ſi bellum inter ſe gentes gerant, obſides dare ſolent. Sic DEUS Filium ſuum dedit pacis pignus, & Spiritum S. qui ab ipſo procedit.* Ut igitur Filius nobis quoad ipſam ſubſtantiam datus eſt; ita Spiritus S. velut pignus & arrhabo per ſe nobis dari eſt intelligendus.

Scripturarum ſenſum explicat Petavius PP. Græcorum ac Latinorum teſtimoniis, ex quibus quædam adduco. D. Gregorius Nazianz. Orat. in Pentecoſt. cum dixiſſet Spiritum S. diverſis temporibus vim ſuam oſtendiſſe, ſubjungit, eum nunc perfectius apud nos commorari, *ut qui jam non operatione ſola præſens ſit, ſed ſubſtantiali modo adſit, ac ſimul verſetur.* Cyrillus paſſim & omnibus fere in libris idem teſtatur. In libro Theſauri 34. ita loquitur: *ipſe DEUS ſanctificat per proprium Spiritum.* Ibidem: *Spiritus S. per ſe ipſum in nobis operatur, vere ſanctificans, & uniens nos ſibi metipſi, dum nos ſecum copulat, ac divinæ naturæ participes reddens.* Idem dialogo 7. de Trinit. *miſit ad nos*, ait, *paracletum, per quem, & in quo nobiſcum eſt, & in nobis habitat, non peregrinum nobis infundens, ſed ſubſtantiæ ipſius & Patris ipſius proprium Spiritum.* Paſchaſius l. 2. de Sp. S. ait: *habitatorem cordis humani ſacra eloquia proprie Spiritum eſſe definiunt.* Idem habet Baſilius l. 5. contra Eunom. Athanaſius Epiſt. ad Serapionem, Hieronymus

ad caput 4. Epiſt. ad Epheſios. S. Auguſtinus Serm. 2. de Divin. c. 2. ita loquitur: *quia charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis: ideo conſequens eſt, ut quia Spiritus S. DEUS eſt, nec diligere poſſumus DEUM, niſi per Spiritum Sanctum, amemus DEUM de DEO.* Et Fulgentius l. 2. de prædeſt. *ut autem*, inquit, *DEUS diligi poſſit, ipſe ſe tribuit, quia DEUS caritas eſt, & DEUM nonniſi caritate diligimus.* Denique S. Bernardus Serm. 3. in Pentecoſten ſatis indicat non modo Spiritui S. proprie convenire doni rationem, ſed & ſanctificandi vim, cum ita loquitur: *Spiritus tamen Sanctus ſpecialiter Spiritus dicitur, quod ab utroque procedat ... tanquam proprie Sanctus, quod ſit donum Patris & Filii omnem ſanctificans creaturam.* Si igitur ſolus a Patre, Filioque procedit Spiritus, quia hoc ei ſpecialiter congruit; eodem modo proprius illi modus ſanctificandi competet; cum peculiaris in eo ſit notio, propter quam ſanctus appellatur, ut rite arguit loco citato Petavius. Ceterum ex ſubſtantiali hac Spiritus Sancti in cordibus juſtorum præſentia dona alia ſupernaturalia oriri aſſerit idem auctor, illamque Spiritus S. cum juſtis unionem ab hypoſtatica Verbi cum humana natura conjunctione rite diſtinguit. Sed de forma ſanctificante inquiritur plenius, ubi de gratia, & charitate, & hærente in nobis ſanctitate eſt diſputandum.

CAPUT IV.

DE DIVINIS PERSONIS SINGILLATIM.

TRactantes de Divinis proceſſionibus, jam majorem partem eorum, quæ ad perſonas ſpeciatim pertinent, expoſuimus, ut adeo de ſolis earum nominibus & attributis diſſerendum nobis ſuperſit.

§. I.

De Nominibus Primæ Perſonæ.

LXXII. PRimum eſt *ingeniti* nomen, ex quo innumerabiles contra fidem Catholicam nodos texuerunt Ariani, atque inter hos Eunomiani. Cum enim hanc vocem ad explicandam Patris divinitatem ſeu eſſentiam pertinere contenderent, inde colligebant ſolum Patrem eſſe DEUM; Filium autem, utpote genitum, DEUM non eſſe, ſed creaturam Patri diſſimilem, cum nihil ab ingenito diverſum magis eſſe poſſe videatur, quam, quod genitum eſt. Atque hinc ſæpe ἀγέννετον per duplex νν (deductum a γεννάω, quod gignere proprie, & generare ſignificat) & ἀγένετον per unum ν (deductum a γίγνομαι, quod non gignere tantum, ſed & producere in genere, ſicque creare etiam ſignificat) has inquam voces confuderunt, ut ſic tacite profiterentur ſolum Patrem ut ingenitum, ita & increatum eſſe. Licet autem Patres ſubinde in hanc Arianorum fraudem minus intenti hæc nomina promiſcue uſurpent teſte Petavio: alii tamen, ac inter hos Epiphanius, Cyrillus, Athanaſius & Damaſcenus cavere nos jubent hos dolos, atque caute inter iſtas voces diſtinguere. Solus audiatur Damaſcenus l. 1. de fide c. 9. ita loquens: *ſciendum eſt* το ἀγένετον *ſignificare id, quod eſt increatum ſive non factum,* ἀγέννετον *vero demonſtrare id, quod non eſt genitum. Jam ſi undum priorem notionem ſubſtantia differt a ſubſtantia ... nam alia eſt ſubſtantia increata ſive infecta, quæ* ἀγένετος *dicitur, alia, quæ* γεννητὴ *vocatur, hoc eſt facta & creata. At ſecundum poſteriorem notionem ſubſtantia non diſcrepat a ſubſtantia. Quippe in omni alia ſpecie prima condita natura* ἀγέννετος *id eſt non genita dicitur, ſed non* ἀγένετος *infecta: ſiquidem ab opifice creata ſunt, verbo ipſius ad ortum deducta, non tamen genita ſunt, cum nullum ante alterum exiſteret, a quo gigneretur.* Hoc

Hoc nomen *ingeniti* etſi Patri ſit proprium, non tamen ejusdem explicat notionem primariam; neque etiam hujus vocis uſurpatio Arianis eſt permittenda. Primo notionem primariam Patris non explicat, cum fæcunditatem reticeat, aut certe non clare ſatis explicet. Etſi enim ſint, qui cum Baſilio L. 4. contra Eunom. ex hoc ingeniti titulo arguunt Filium, eo quod Patrem habere debeat, genitum, & non mere factum eſſe: fatendum tamen eſt, clare ſatis hac voce non exprimi fœcunditatem Patris, eamque aptam eſſe ad confundendam Arianorum ad extra fœcunditatem cum ea, quam Catholici ad intra profitentur. Recte igitur Cyrillus in Theſ l. 1. *nomen*, inquit, *Patris neceſſarium intellectum in ſe ipſo* (filii nomen) *indicat. Nomina enim hujusmodi alterum per alterum intelliguntur. Nomen vero ingeniti, quod DEUS ſcilicet genitus non ſit, genitorum atque factorum memoriam opponit ... multo melius eſt inde appellare DEUM, unde Filii quoque cognitio ſequitur, quam inde, unde creaturarum mentio ſubditur, quæ nihil ad cognitionem SS. Trinitatis conducit.* Arianis autem hæc vox eripienda eſt, tum quod eam ad fraudes ſuas contegendas abutantur, relicta innocua magisque recepta *Patris* voce, tum quod ὁμοέσιον Filium dicere detrectent, eo quod hæc vox in Scripturis non occurrat, cum nec ἀγέννετος Pater in Sacris legatur codicibus.

LXXIII. Nominibns τῆς ἀρχῆς & τε ἀνάρχε & *imprincipiati* libenter Patrem compellant Ariani, confundentes imprincipiatum cum eo, quod caret initio, aut eo, quod eſt ἀγένετον increatum, ut ſic tacite Filium, quem imprincipiatum eſſe nec Catholici auſi ſunt dicere, profiterentur habere initium, eſſe creatum; principium autem ſubdole utroque ſenſu & pro eo, quod ipſum caret principio, & pro eo, a quo exiſtendi initium res alia ſumit, adhibentes, ut ſic Divinum Filium, quia non ut Pater caret principio, ſicque non eſt principium,

exi-

exiſtendi accepiſſe initium inſinuarent. Quo tendit illa Arii expoſtulatio in Ep. ad Euſeb. Nicomed. ubi ita ait: *nos ob id inſectantur* (Catholici) *quod diximus, principium habet Filius: DEUS autem caret principio.* Catholici item his verbis uſi ſunt, ſed ſenſu eo, quem Gregorius Nyſſenus l. 1. contra Eunom. profert ita loquens: *cum vox* ἀρχῆς *in magno ſit ſignificationis ambitu, interdum* τῦ ἀνάρχυ *appellatio non abhorret ab unigenito Filio: nam quando in voce* ἀνάρχυ *nihil intelligitur aliud, niſi id, quod ex nullo penitus principio habet, ut ſubſiſtat, hoc ipſum ſolius eſſe Patris proprium confitemur. Cum autem de reliquis principii ſignificatis inquiſitio fit: quoniam & creationis principium eſt, & temporis & ordinis, etiam in iis unigenitum Filium omni principio ſuperiorem eſſe teſtamur: ut ſupra omne creationis principium & temporis notionem, & ordinis conſecutionem illum eſſe credamus, per quem omnia facta ſunt. Itaque quem ratione ſubſiſtentiæ non expertem eſſe principii putamus, in omnibus reliquis carere principio fatemur: & Patrem quidem principio carentem & ingenitum: Filium vero principio quidem eo, quem diximus, modo carentem, ſed tamen ingenitum eſſe non dicimus.*

Eodem ſenſu, quo τὸ *principium*, uſurparunt etiam Græci frequenter ἀιτίαν *cauſam*, atque eam tanquam propriam Patris notionem propoſuerunt, hac voce activam generationem ſignificantes. *Omnia* (inquit Naz. Orat. 1.) *quæcunque habet Pater, Filii ſunt, excepta cauſa* (πλὴν τῆς ἀιτίας) Latini quidem, quod ea Ariani abuterentur largius, hoc voce uſi ſunt parcius, & ut habet D. Thomas op. contra Græcos, *quia Pater reſpectu Filii non ſatis videtur poſſe in alio cauſarum genere, quam in genere cauſæ efficientis, cauſa compellari, quod cauſandi genus diſtinctionem eſſentiæ inter cauſam & cauſatum importat;* uſi tamen ſunt ad exprimendam generationem activam hac voce Victorinus Afer l. 1. contra Ar. Hilarius l. 11. & 12.

An-

Anſelmus de proceſſione Sp. S. Richardus Victorinus l. 5. de Trin. c. 7. Et Auguſtinus quæſt. l. 83. q. 16. ita ſcribens: *DEUS omnium, quæ ſunt, cauſa eſt. Quod autem rerum omnium cauſa eſt, etiam ſapientiæ ſuæ cauſa eſt, nec unquam DEUS ſine ſua Sapientia: Igitur etiam Sapientiæ ſuæ æternæ cauſa eſt ſempiterna, nec tempore prior eſt, quam ſua Sapientia.*

Radicem, & *fontem* compellarunt Patrem Tertullianus, Ambroſius, & Baſilius: primus l. contra Praxeam c. 8. Alter l. 4. de fide c. 5. Tertius homil. 27. contra Sabell. his verbis: *Eſt quidem Pater perfectum habens eſſe, nullius egens, Radix & fons Filii & Spiritus S. Auctoris* etiam appellationem non raro Patri æterno tribuerunt veteres Eccleſiæ Doctores, Hilarius l. 9. de Trinit. Phæbadius Aginnenſis contra Arianos, Prudentius in Apotheoſi &c. Sed cum ambigua vox eſſet, & Patrem inter ac Filium æqualitatem tollere nonnullis videretur, illaque ideo libenter uterentur Ariani, eam ſub diſtinctione recepit Auguſtinus l. 3. contra Maxim. c. 14. ita ſcribens: *habet DEI Filius Auctorem Patrem. Si propterea DEUM Patrem DEO Filio dicis Auctorem, quia ille genuit, iſte genitus eſt, quia iſte de illo eſt, fateor, & concedo. Si autem per nomen auctoris minorem vis facere Filium, Patremque majorem, nec ejusdem ſubſtantiæ Filium, cujus eſt Pater, deteſtabor & reſpuam.* Nomen item αὐτόθεος, ſeu *DEI a ſe* tanquam peculiare Patri adſcribit Origenes, eo quod ipſe quidem a nullo, reliquæ vero Perſonæ divinitatem ab ipſo ſecum communicatam habeant.

LXXIV. Ex omnibus his nominibus maxime proprium, in Scripturis & apud PP. uſitatiſſimum, atque hæreticis minime opportunum eſt nomen *Patris*, quippe quod ipſum jam Filium Patri conſubſtantialem eſſe ſatis inſinuat. Argumentum ex hoc nomine præ ceteris urgent contra Arianos Cyrillus Alexandr. Theſaur. 32. Auguſtinus l. 1. contra Maxim. Et Ful-

gentius l. 1. de fide ad Petrum c. 1. Porro hoc *Patris* nomen de DEO notionaliter & eſſentialiter dicitur: ac notionaliter quidem per reſpectum ad æternam Verbi generationem, quo modo proprium eſt Patri; eſſentialiter vero per reſpectum ad creationem, vel gratuitam hominum in DEI filios adoptionem: quo ſenſu commune eſt toti Trinitati. Sic Job. 38. dicitur: *quis eſt pluviæ Pater?* Et Matth. 4. *Pater noſter.*

§. II.

Exponuntur varia Filii nomina.

LXXV. Etſi proprium ſecundæ Perſonæ ſit nomen *Filii*, eo quod ſolus generatione procedat, ipſis tamen veteris teſtamenti ſcriptoribus frequentiore in uſu videtur fuiſſe compellatio Verbi, ſeu τȣ λόγȣ, quam vox Filii, eo quod tam hæc Filii, quam illa Patris notio clarior Evangelicæ legis luci ſit reſervata. Habet autem hoc Græcum λόγος plures ſignificationes: nempe latinis dicitur *ratio*, qua qui utuntur, rationales vocantur: *cauſa* quæ rei cujusque redditur: rei alicujus *eſſentia* aut definitio: *Sermo* tam interior (quem ſibi loquendo mens gignit, quique proprie verbi nomen retinet) quam exterior, ſeu prolatitius, qui Sermo aptius vel oratio compellatur. Quamquam autem in aliis his ſenſibus Divinus Filius a Patribus λόγος appelletur; maxime tamen proprie λόγος dicitur, quia verbum & quidem interius eſt, quod nempe naſcitur, dum Divina ſibi mens ipſa loquitur. Sic Auguſtinus l. 15. de Trin. c. 11. ait: *quicunque cupit ad qualemcunque ſimilitudinem DEI Verbi, quamvis per multa diſſimilem, pervenire, non intueatur Verbum noſtrum, quod ſonat in auribus, nec quando voce profertur, nec quando ſilentio cogitatur ... ſed tranſeunda ſunt hæc, ut ad illud perveniatur hominis*

minis Verbum, *per cujus qualemcunque ſimilitudinem*, *ſicut in ænigmate*, *videatur utcunque DEI Verbum.* Poſtea Auguſtinus Filium ait eſſe Verbum Dei, quia ut humanum Verbum objectum cognitum, ita Filius Patrem, ut eſt in ſe, quam aptiſſime refert, etſi modo multum diſpari. Etſi autem ante Arianam perfidiam Patres aliqui (quos refert Petavius l. 6. de Trinit. c. 1.) Divinum Filium *ſermonem* etiam appellarint, ea tamen voce poſtea caute abſtinuerunt, ut adeo Eraſmus, Calvinus, Beza temerarie egerint, cum latinam vulgatam, quæ ſub initium Evangelii Joannis legit: *in principio erat Verbum*, repudiarint, eique velut PP. magis conſonam hanc Arianis amicam lectionem ſubſtituerint: *in principio erat Sermo*, Grammaticis ratiunculis ſuffulti: quaſi cum in profana ſignificatione vox λόγος aptius reddatur Sermo, quam Verbum, etiam in ſacro hoc uſu aliam obtinere ſignificationem non potuerit.

LXXVI. Divinum illud Verbum, quod ſecundæ perſonæ maxime competit, quædam habet verbo mentis noſtræ ſimilia; quædam vero diverſa, planeque ſingularia, ut Petavius lib. citat. c. 2. uberius oſtendit, ac inprimis in quo hæc verba conveniant, ordine exponit. I. Verbum mentis totam in ſe mentem continet, atque ita exprimit, ut cum ſe integre perfecteque comprehendit animus noſter, quidquid in ipſo eſt, id in cogitatione & verbo ipſo repræſentetur. Eodem modo Dei Verbum totum in ſe Patrem exprimit, ac continet. *Manens*, inquit Baſilius hom 16. in Joann, *tota mens in proprio ſtatu Verbum totum & perfectum emittit: ac procedens Verbum totam mentis, a qua gignitur, vim in ſe ipſo complectitur.* Eandem utriusque verbi ſimilitudinem graphice deſcribit Fulgentius l. 3. ad Mon. c. 7. II. In eo conveniunt, quod al qua ratione a cogitante diſtinctum ſit, alia autem ratione idem cum

cogitante. *Quemadmodum* (verba ſunt Damaſceni l. 1. c. 6.) *Verbum noſtrum a mente gignitur, nec idem eſt omnino quod ipſa mens, nec plane diverſum: namcum a mente proficiſcitur; aliud eſt quam mens, & cum ipſam mentem indicat, non eſt prorſus ab illa diverſum, ſed cum ſit unum natura, aliud tamen ſubjecto eſt. Sic & DEI Verbum, quod Filius eſt, quatenus propria ſubſiſtit perſona, ab eo diſtinguitur, a quo genitum eſt: quatenus autem illa in ſe exprimit, quæ cernuntur in DEO, unum natura cum illo eſt.* III. In eo, quod *ſicut de illo verbo* (ait Auguſt. l. 15. de Trin. c. 1.): *dictum eſt: omnia per ipſum facta ſunt, ubi DEUS per unigenitum Verbum ſuum prædicatur univerſa feciſſe; ita hominis opera nulla ſunt, quæ non prius dicuntur in corde... Poteſt eſſe Verbum noſtrum, quod non ſequatur opus; opus autem eſſe non poteſt, niſi præcedat Verbum. Sic & Verbum DEI potuit eſſe nulla exiſtente creatura, creatura autem nulla eſſe poteſt niſi per ipſum, per quem facta ſunt omnia.* Ad hæc in eo conveniunt, quod utrumque relativum eſt, & habitudinem habet ad dicentem. *Sicut Filius ad Patrem refertur* (ait idem S. Doctor) *non ad ſe ipſum dicitur; ita & Verbum ad eum, cujus Verbum eſt, refertur, cum dicitur Verbum.*

Sed contemplemur & ea, quæ in utroque Verbo ſunt diſſimilia. Quorum illud primum eſt, quod creatum Verbum non ex ipſa procedat eſſentia dicentis; ſed ex ejus ſcientia & cognitione, quæ naturæ accidit. Neque enim homo ſecundum eſſentiam ſuam actu eſt intelligens; ſed adventitia quædam in eo qualitas eſt ſcientia, ex qua Verbum oritur. In DEO vero ſcientia ac intelligentia ipſa illius eſt ſubſtantia, quæ ipſa eſt cognitio tam ſui, quam rerum omnium: ex qua Verbum oritur tanquam proprius & nativus ejus terminus. Id quod Anſelmus in monologio c. 11. ita indicat: *quidquid ſumma ſubſtantia fecit, per aliud non fecit, quam per ſemetipſam, & quidquid fecit, per intimam locutionem*

uem fecit. Deinde creatum Verbum non eſt perpetuum, neque cum ævo illius adæquatur, a quo producitur; ſed identidem oritur atque interit. Divinum autem ſempiternum eſt & immutabile, tanquam ab immutabili & ſempiterno prolatum. Nam *ſummus ille* Spiritus (ait Anſelmus Monol. 30.) *Sicut eſt æternus, ita æterne ſui memor eſt, & intelligit ſe ad ſimilitudinem mentis rationalis; imo non ad ullius ſimilitudinem, ſed ille principaliter, & mens rationalis ad ejus ſimilitudinem. At ſi æterne ſe intelligit, æterne ſe dicit. Si æterne ſe dicit, æterne eſt Verbum ejus apud ipſum.* In eo præterea diſcrepant verba illa, quod creatum nullum extrinſecus per ſeſe opus efficit, ubi Divinum per ſeſe, nulliuſque adminiculo omnia perfecit. *Omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Vide Athanaſium orat. 3. Rurſum differunt eo ipſo, quod creatum momento unico, ſicque ſemel: Divinum autem gignatur perpetuo; ut habet Auguſtinus tract. impſ. 44. Hinc & illud diſcrimen exiſtit, quod creata verba multa ſint, neque unicum par eſſe poſſit omnibus: at Divinum ſingulare eſt & unum, quod dicendis, efficiendisque rebus omnibus ſufficit. Hinc Arium temere & impie jactitantem, *DEUM multos proferre ſermones*, interrogantemque, quis ſit ex iſtis omnibus Dei Filius, redarguit Athanaſius (lib. de decret. Nic. Syn. p. 413.) his verbis: *quaſi non ſufficiat unum ex DEO Verbum ad omnem ex voluntate Patris creationem implendam. Si enim DEUS plura verba loquitur, hoc ipſum imbecillitatem omnium arguit; quod unumquodque uſum alterius præſtare nequeat. Sin verbo unico dicatur uti, hoc & ad oſtendendam DEI virtutem pertinet, & perfectionem verbi, quod ab illo prodiit.*

LXXVII. Alterum Filii proprium nomen eſt *imago* vel *figura*, vel *ſpecies*, græcis εἰκών, μορφὴ, χαρακτὴρ, εἶδος, & ſi quæ ſunt ſimilia; quæ nomina occurrunt in Epiſtola ſecun-

da ad Corinth. c. 4. v. 54. Et ad Coloſſ. c. 1. v. 2. ad Philipp. 2. v. 6. ad Hebr. 1. v. 3. ultimum vero nomen colligit Cyrillus Al. Theſ. 12. ex illis Joannis c. 5. propoſitis Chriſti verbis : *neque vocem ejus unquam audiſtis, neque ſpeciem ejus vidiſtis.*

Ut aliquid habeat perfecte rationem imaginis, debet eſſe aliud ab eo, cujus eſt imago, debet produci ad illud exprimendum, debet habere ſimilitudinem cum ſuo prototypo, ſeu idem debet eſſe in imagine, quod in prototypo, vel idem ſpecie, vel idem etiam individuo, quæ imaginis ratio eſt præſtantiſſima. Atque hoc nomen imaginis aptiſſimum eſt ad convincendos Arii & Sabellii errores, ut notat Ambroſius l. de fide c. 4. ita ſcribens: *imaginem Apoſtolus dicit, & Arius dicit eſſe diſſimilem, cur imago, ſi ſimilitudinem non habet? vides ergo, quia dum imago dicitur, Patrem ſignificat eſſe, cujus imago ſit Filius? quia nemo poteſt ipſe ſibi imago ſua eſſe.* Ne vero ex ratione imaginis Arianam ὁμοιουσίαν hæretici inferant, qua in re iſthæc Patrem inter & Filium ſimilitudinis ratio conſiſtat, Patres explicant; inter quos audiendus eſt Baſilius contra Eunomium l. 1. ita agens: *ego vero in hoc ipſo pono ſimilitudinem, quod ſicut Pater ab omni compoſitione liber eſt, ita & Filius ſimplex omnino & incompoſitus. Et ſimilitudinem non ſecundum identitatem ſpeciei conſiderari arbitror, ſed ſecundum ſubſtantiam ipſam. Nam quibuscunque forma & figura circumpoſita eſt, iis ſecundum formæ identitatem ineſt ſimilitudo. Natura vero, quæ forma & figura caret, ſupereſt, ut ſimilitudinem in ſubſtantia ipſa, & æqualitatem, non in commenſu molis, ſed in virtute identitatis poſſideant.* Ex his etiam patet, cur Filius Patris, non vero hic Filii imago dici poſſit: *imago enim dicitur* (ait Nazianzenus Orat. 36.) *conſubſtantialis Patri, & quia ex illo eſt, non autem ex hoc Pater eſt. Eſt enim natura hæc imaginis, ut ſit imitatio quædam exemplaris & ejus, cujus imago dicitur.* LXXVIII.

LXXVIII. Plures Patres Filium Divinum ex eo, quod ſit Patris ſapientia, probant fuiſſe æternum contra Arium, quippe cum Pater nunquam fuerit ſine ſapientia: quos inter eſt Athanaſius Orat, 1. & 3. Baſilius l. 4. contra Eunom. Gregorius Nyſſenus, Damaſcenus, & Ambroſius. Quia tamen Auguſtinus l. 15. de Trinit. hanc opinionem (quam ipſe olim ſecutus eſt, & in primo retract. c. 26. revocavit) impugnat, hæc ſcribens: *quis audeat dicere Patrem nec ſe ipſum, nec Filium, nec Spiritum S. intelligere, niſi per Filium?* & ſic ſubjicit: *Pater non foret ſapiens de ſe ipſo, ſed de Filio, nec ſapientia ſapientiam genuiſſet*, quæ omnia ait abſurda eſſe: quia ergo D. Doctor hoc rejicit, oritur quæſtio, qua ratione Pater poſſit dici eſſe ſapiens ſapientia genita ſeu Filii, quomodo Filius ſapientia potius quam Pater aut Spiritus S. compelletur, atque adeo quid momenti illud Patrum contra Arianos argumentum habuerit.

Cum ſapientia uti & natura in Patre fæcunda ſit, ipſaque ſui, rerumque omnium cognitione loquatur, verbumque generet, cui ut omnia, ita & ſapientiam hanc communicat: ut arbor a flore, quem florendo generat, florere dicitur, ita Pater a ſapientia hac genita, quam cognoſcendo generat, ſapiens itidem compellari poteſt, non bis ſapiens, quia non per ſapientiam duplicem ſed eandem, nondum communicatam in Patre, & pro ſigno priore ad Verbum genitum, communicatam autem in verbo, ut exponit D. Thomas p. 1. q. 37. a. 2. Etſi autem ſapientia attributum ſit omni perſonæ Divinæ proprium, Verbo tamen potius, quam alteri perſonæ hoc nomen tribuitur, vel quia ſolum Verbum ab intellectu procedit, vel quia, ut Auguſtinus habet l. 6. de Trin. c. 3., *illa nobis ſapientia commendanda erat, & imitanda, cujus imitatione formamur. Quippe Filius factus eſt nobis ſapientia a DEO, & juſtitia*

ſtitia, *& ſanctificatio, qua temporaliter nos ad illum convertimus*, *id eſt*, *ex aliquo tempore*, *ut cum illo maneamus in æternum.*

Quod autem ad illos Patres attinet, qui ideo Filium Patri æqualem aſſerunt, quia nunquam Pater ſine ſapientia, virtuteque ſua extitit, adeoque quia Pater ſemper ſapiens fuit ea ſapientia, quam genuit: ea omnia non in formali, ut ajunt, ſenſu; ſed in cauſali ac illativo ſunt accipienda. Quamvis enim Filius, qua Filius eſt, non ſit illa ipſa ſapientia, qua Pater eſt ſapiens (alioquin cum ſapientia idem ſit quod eſſentia, Filius eſſet eſſentia Patris, & a Filio Pater eſſentiam haberet, hoc eſt ut eſſet & ſaperet) neceſſario tamen cum illa conjungitur, ab eaque oritur. Quippe ſapientia vel intelligentia, quæ eſt in Patre, actus eſt ſimplex, qui expreſſam notionem ſeu ſapientiam hoc eſt Verbum neceſſario complectitur, neque ſine illo vel animo concipi poteſt. Merito itaque Patres æternitatem Verbi, ex Patris æternitate concludunt: *nunquam enim mens erit ſine Verbo* (ait Cyrillus 4. in Joan.) *nec Verbum niſi mentem in ſe formatam habeat*, *intelligi poteſt.* Quod & in libro 5. Theſauri uberius explicat. Atque ut ſapientiam illam, qua formaliter ſapiens eſt Pater, ab æterno in eo fuiſſe recte inde concludimus, quia nunquam ſine ſapientia Pater extitit: ſic etiam natam ex ea expreſſamque ſapientiam ex omni æternitate fuiſſe non minus neceſſario probamus, quod actu ipſo, ſapiens eſſe, id eſt intelligere, ſine expreſſa notione ac Verbo non potuit: præſertim cum Patrem eſſe ſapientem eo ipſo, quod Pater eſt, hoc eſt ſecundum proprietatem & hypoſtaſim ſuam, nihil ſit aliud, quam eſſe dicentem; quod ne intelligi quidem poteſt ſine expreſſa notione ac verbo tanquam termino: adeo ut Verbum ſic tanquam extrinſeca quædam forma dici poſſit, a qua Pater habet, ut ſit dicens vel intelligens actu. Atque ſic veriſſima ſunt, quæ Patres de Filii æter-

æternitate diſputando conficiunt: nam hoc ipſo quod cognitio & ſapientia Patris eſſentialiter ad intra fœcunda ſit, ſi ab æterno non generaſſet Pater cognoſcendo Verbum, eique ſuam communicaſſet ſapientiam, non cognoviſſet omnia, ſicque ἄλογος & ἄσοφος fuiſſet.

§. III.

De Nominibus Spiritus Sancti.

LXXIX. TErtia SS. Trinitatis perſona vocatur πνεῦμα id eſt Spiritus. Cujus nominis rationem in ſimilitudine quadam reponunt Patres nonnulli cum ſpiritu ſeu flatu oris noſtri, qui neceſſario, dum mens verbum effundit, velut verbi vehiculum illud comitatur, & ex ore veluti evehit, ita loquitur Gregorius Nyſſenus in oratione catechetica c. 2. Cyrillus 2. in Joan. pag. 125. Anaſtaſius Sinaita in ſermone dogmatico eodem modo Spiritus S. proprietatem explicat; *Verbum*, inquiens, *cum ſit Filius, ſecum una Spiritum oſtendit. Verbum enim ſine Spiritu non eſt; ut neque mens ſine Verbo. Mentem vero dicimus Patrem verbi, in qua verbum eſt: quo cum & Spiritus Sanctus, Spiritus oris DEI nominatus: os enim Patris eſt Filius.* Verum cum hæ ſimilitudines favere videantur Schiſmaticis, eo quod inde inferri poſſit, Spiritum una cum Filio a ſolo Patre genitum (ſicut una cum ſpiraculo verbum oris noſtri a ſolo ore egeritur) rite obſervandum eſt, quo ſenſu Patres his ſint uſi ſimilitudinibus. Voluerunt nempe duntaxat oſtendere, nullam temporis conſecutionem fuiſſe inter generationem & ſpirationem: ſed ut tempore ſimul eſt ſpiraculum oris, ſimul verbum, ita etiam nullam temporis ſucceſſionem Generationem Verbi & Spirationem Divini Spiritus habere; uti explicat D. Auguſtinus l. 15. de Trin. c. 26. Hoc igitur

ſpirandi nomen proceſſionem tertiæ perſonæ declarat plurimum: indicat enim mutuum illum affectum, amorisque ardorem, quo ſe invicem amplectuntur Pater & Filius & communem ex ſeſe ac in ſeſe Spiritum aſpirant. Quamvis autem & Pater & Filius ſint Spiritus, & ambo ſint Sancti, non ſecus ac tertia perſona; ac proinde tota Trinitas appellari jure poſſit Spiritus Sanctus, ut obſervat S. Auguſtinus l. 5. de Trinit. ea tamem vox tertiæ perſonæ tanquam propria his de cauſis attribuitur. Ac I. quidem quia *Spiritus* vocabulum per ſeſe motum & impulſum ſonat: Spiritus autem Sancti proceſſio ex amore fit, cujus id eſt peculiare, ut amantem voluntatem in rem amatam ferat, inclinet, & impellat. II. quia Spiritus accipitur pro amore, dono, & communione perfectionum omnium; quo ſenſu notionale tertiæ Perſonæ attributum importat. Vide Auguſt.. L. cit. c. 11. Et Pet. Dam. in opuſcul. contra Græcos c. 7.

LXXX. Alterum Divini Spiritus nomen προβολὴ eſt ſeu *prolatio;* quæ quidem vox utpote Valentinum hæreticum (qui JEſum affirmabat ab Æonibus procreatum, collata ab unoquoque ſtipe, & ſymbola, eamque collationem προβολὴν appellabat) olens repudiata eſt in Divinis a Patribus Irenæo l. 2. c. 48., Athanaſio in expoſitione Fidei T. 1. p. 394., Cyrillo Alex. in paſchali homilia XII. Nihilominus tamen Tertullianus l. contra Praxeam c. 8. recte monet non ideo hoc vocabulum ab Eccleſia eſſe rejiciendum, quod id hæretici male uſurparunt: *non ideo*, inquit, *non utatur & veritas vocabulo iſto, & re, ac ſenſu ejus, quia & hæreſis utitur: imo hæreſis potius ex veritate accepit, quod ad mendacium ſuum ſtrueret.* Probus namque & legitimus poteſt eſſe uſus nominis illius, quem qui deinde ſecuti ſunt Patres, contra Arianos adhibuerunt, ita tamen ut ſe ab illa Valentinianorum προβολῇ abhorrere monſtrarent: Arianis enim

non

non alia de cauſa ea vox diſplicuit; quam quod productionem ſubſtantialem exprimeret; quia ratione & ὁμοȣσίȣ nomen repudiaſſe illos ſuo loco diximus. Itaque detracto eo, quod imperfectum & corporeum ineſt in creaturis, poteſt, debetque ad divina transferri: cumque generalis interdum ſit illius uſus, ut ad Filii generationem accommodetur; proprie tamen ad Spiritus Sancti proceſſionem adhibetur, quia caret iſta peculiari nomine, quod altera habet. Proinde Spiritum προβάλλειν dicitur Pater, & Filius, ut adeo a Damaſceno L. 1. c. 13. Pater dicatur διὰ λόγȣ προβολεὺς τȣ̃ ἐκφαντορικȣ̃ πνεύματος *per Verbum emiſſor enuntiatorii Spiritus*, & Gregorius Nazianzenus Orat. 35. Patrem appellet γεννήτορα καὶ προβολέα *genitorem & emiſſorem*: quibus opponit γέννημα, & πρόβλημα *genituram* & *prolationem*, qui ſunt Filius & Spiritus Sanctus.

LXXXI. Inſinuandum hoc loco breviter venit, qua ratione Spiritus S. dicatur non procedere ex Patre ἀμέσως *immediate*, ſed tantum ἐμμέσως διὰ υἱȣ̃ mediate per Filium: quo loquendi genere plures ex SS. PP. cum Gregorio Nyſſeno ſunt uſi. Hæc loquendi ratio etſi Græcis Schiſmaticis fortaſſis favere videri poſſit, nihil tamen a veritate Catholica alienum continet: nempe, ut alias dixi, licet Spiritus S. ſimul immediate a Patre procedat tanquam uno cum Filio Spiratore: quia tamen ſimul procedit a Filio (qui immediate ſpirandi hanc vim a ſolo Patre acceperat) hoc reſpectu *mediate* a Patre procedere dici poteſt; ut exponit Richardus Victorinus l. 5. de Trin. c. 6. ita ſcribens: *procedit namque perſona de perſona quandoque quidem tantummodo immediate, quandoque tantummodo mediate, quandoque autem mediate ſimul & immediate. Tam Jacob quam Iſaac de ſubſtantia Abrahæ proceſſit: ſed unius proceſſio mediata tantum, alterius immediata fuit. Nam mediante Iſaac,*

Jacob de lumbis Abrahæ exivit. De ſubſtantia Adæ Eva, Seth, Enoch proceſſere. Sed prima proceſſio ex his fuit tantummodo immediata: media vero mediata ſimul & immediata. Nam Seth quidem proceſſit de ſubſtantia Adæ immediate, utique in quantum fuit de proprio ſemine: mediate vero, in quantum fuit de ſemine Evæ. Hac ergo dein ratione Hugo proceſſiones Divinas recte explicat, ut Filium tantum immediate, Spiritum S. autem in aliquo ſenſu etiam mediate a Patre procedere oſtendat: nempe quatenus procedit ſimul a Filio, qui ſpirandi vim habet a Patre.

LXXXII. *Donum DEI* nomen eſt certa ratione proprium Spiritui Sancto. Etſi enim tota Trinitas ſe ipſa dare poſſit, & Filius in Scripturis non ſemel legatur nobis eſſe datus; hoc tamen de Spiritu S. proprie dicitur, quia nempe duo poſtulat donum (ſi ſtrictius hoc nomen accipiatur) ac primum quidem, ut a dante proficiſcatur ac diſtinguatur: alterum ut ex voluntatis inclinatione procedat. Jam vero hoc poſtremum Spiritui S. proprie competit ex originis ſuæ ratione. Porro Spiritus S. ut donum ab æterno Patre & Filio proceſſit, licet in tempore duntaxat donatus fuerit: quod idem docet Auguſtinus l. 15. de Trin. c. 15. *Paracleti* etiam nomine non ſemel inſignitur apud Joannem; eo quod cum Chriſtus aſcendiſſet in cœlum, in Apoſtolos mæſtos, triſtemque Eccleſiam, tanquam conſolator, ſit delapſus.

LXXXIII. *Amor & Charitas* frequenter nominatur Spiritus Sanctus. Sic Athanaſius Epiſtola I. ad Serapionem: *itaque*, inquit, *cum bene precaretur Corinthiis, in Trinitate precabatur dicens: gratia Domini noſtri JEſu Chriſti, & Charitas DEI ac Patris, & communicatio Sancti Spiritus cum omnibus vobis. Etenim cum participes ſumus Spiritus, Verbi gratiam habemus*

bemus & in ipſo Patris Charitatem. Ubi Spiritum S. vocat Charitatem Patris. Sed latini Patres eundem Spiritum Charitatem eſſe Patris & Filii, & quidem mutuum, plenius ſunt profeſſi. Auguſtinus l. 6. de Trin. c. 5. Spiritum Sanctum ait eſſe *communionem amborum conſubſtantialem & coæternam. Quæ ſi amicitia convenienter dici poteſt, dicatur, ſed potius dicitur Charitas.* Et S. Ambroſius in Symb. Apoſt. c. 1. *unus eſt,* inquit, *diligens eum, qui ab ipſo eſt; unus eſt dilectus ab eo, a quo eſt: una eſt dilectio utriusque Spiritus S. idem tamen DEUS.* Petrus Damiani opuſculo I. c. II. ita habet: *& hæc ſumma illa Charitas eſt, qua genitus a gignente diligitur, ſuumque diligit genitorem. Ideoque non amplius, quam tria ſunt, & eſſentialiter indiviſa, & tripartita proprietate diſtincta: unus diligens eum, qui de illo eſt; & unus diligens eum, a quo eſt; & ipſa dilectio, de qua dicitur, quia DEUS Charitas eſt.*

LXXXIV. Verum Charitas, vel amor, aut dilectio Patris & Filii, ita eſſe putandus eſt Spiritus Sanctus, ut non ipſa ſit eſſentialis charitas, qua invicem diligunt. Alioquin enim Perſonarum ceſſaret Trinitas, quippe cum Pater tantum & Filius pro perſonis; Spiritus autem Sanctus non ab eis diſtincta perſona, ſed communis tantum eis divinitas atque Charitas ſtatueretur. Hunc errorem inſinuat Auguſtinus l. de fide, & Symb. c. 9. ita ſcribens: *quidam ipſam communionem Patris & Filii, atque ita Deitatem, quam græci θεότητα appellant credere auſi ſunt ... Hanc ergo deitatem (quam etiam dilectionem in ſe amborum, charitatemque volunt intelligi) Spiritum S. appellatum dicunt.* Qua in re notandum, *charitatem* & *amorem* ſumi eſſentialiter, ac notionaliter; ut nomen *ſapientiæ* ex dictis quandoque abſolute, interdum relative, & adjuncta notione ſumitur. Quare ſicut ſapientia eſſentialis non eſt Filius: ita Charitas eſſentialis non eſt Trinitatis Perſona, ſed ipſa di-

vinitas. At ſicut Pater ſe & omnia cognoſcendo producit Verbum; ita Pater & Filius amando ſe producunt Spiritum S. Itaque prout expreſſus ab utroque amor eſt, ſive mutuus dilectionis terminus, Spiritus Sanctus proprie dicitur. Ceterum de tanto myſterio, quod rationem noſtram longiſſime excedit, confitemur nobis ex mente potiſſimum Eccleſiæ & ſenſu Patrum loquendum eſſe; nam ut recte docet Auguſtinus l. 15. de Trin. *Quis diſputandi modus, quænam tandem vis intelligendi, quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis oſtendet, quomodo Trinitas ſit?*

O. A. M. D. G.

IN-

INDEX.

PROLEGOMENA THEOLOGIÆ.

CAPUT I. De Notione, Diviſione, ac neceſſitate Theologiæ ejusque principiis generatim. pag. 2
§. I. de Notione, ac Diviſione Theologiæ. ibid.
§. II. De Neceſſitate Theologiæ. 4
§. III. De locis Theologicis generatim. 6
CAPUT II. De Sacra ſcriptura 7
§. I. De Notione, Veritate, & integritate Sacræ Scripturæ ibid.
§. II. De Canone Sacrarum Scripturarum. 10
§. III. De Editionibus, ac Verſionibus Sacræ Scripturæ 12
§. IV. De Senſu Sacræ Scripturæ. 14
CAPUT III. De Traditionibus, & Sanctis Patribus earundem teſtibus. 16
§. I. De Notione, Neceſſitate, ac Regulis Traditionum. ibid.
§. De Notione, & Auctoritate SS. PP. uti & Regulis in legendis eorum Scriptis 19
CAPUT IV. De Eccleſia, ejusque Capite Viſibili. 23
§. I. De Auctoritate Eccleſiæ docentis. ibid.
§. II. De Sede Apoſtolica, & Romano Pontifice 29
CAPUT V. De Conciliis. 33
CAPUT VI. De locis Theologiæ externis, ac inprimis de humana ratione. 37
CAPUT VII. De Reliquis Theologiæ locis. 42
§. I. De Auctoritate Doctorum Scholaſticorum, & & juris Pontificii prudentium. Ibid.
§. II. De Placitis Philoſophorum, & Hiſtoria Humana. 45

De

CONTROVERSIA I.

De Notione, Exiſtentia, Natura, ac primariis Dei Attributis. 49
CAPUT I. De Notione, & Exiſtentia Dei. 50
§. I. De Divinis Nominibus. ibid.
§. II. De Erroribus exiſtentiæ Supremi, & Unius entis adverſantibus 53
§. III. An, & quibus argumentis exiſtentia Dei demonſtrari poſſit 55
ASSERTIO I. Exiſtentia Dei lumine naturali ex creaturis demonſtrari poteſt. 56
ASSERTIO II. Exiſtentia Dei Moralibus, Phyſicis, ac Metaphyſicis argumentis demonſtratur 57
ASSERTIO III. Propoſitio iſta : *Deus eſt*, non eſt per ſe nota quoad nos. 62
§. IV. Utrum inculpabiliter ignorari poſſit Deum exiſtere? 64
ASSERTIO. Deum exiſtere, longiore vitæ tempore ſine culpa ignorari non poteſt ſpectata Dei Providentia 65
§. V. Quibus argumentis oſtendatur, Deum unum exiſtere. 67
Diluuntur Objecta Polytheiſtarum. 70
CAPUT II. De Natura, & Attributis Divinis generatim. 74
§. I. Quisnam ſit proprius Naturæ Divinæ, & eſſentialis character? ibid.
§. II. Quomodo perfectiones omnes in Divina eſſentia includantur? 77
ASSERTIO. I. Perfectiones omnes ſimpliciter ſimplices continentur in eſſentia Divina formaliter; perfectiones autem ſimplices & ſecundum quid eminenter duntaxat. 78

ASSER-

ASSERTIO II. Sola Attributa communia, ſeu abſoluta exiſtentiam Dei Phyſicam conſtituunt. 79
§. III. Proponuntur, & Solvuntur Objectiones. 80
CAPUT III. De Simplicitate Dei 83
§. I. De Erroribus Hæreticorum Simplicitati Divinæ Naturæ adverſantibus. ibid.
§. II. Utrum Deus ſit ens omnino ſimplex, omnis realis compoſitionis expers? 90
ASSERTIO. Deus purus eſt Spiritus omnis realis compoſitionis expers ſeu ex materia, & forma: ſeu ex partibus integrantibus; ſeu ex natura, & proprietatibus; ſive ex ſubjecto, & accidentibus. 91
Reſpondetur Objectis hæreticorum. 94
§. III. An, & quomodo Attributa Divina tum ab eſſentia, tum a ſe invicem diſtinguantur? 102
ASSERTIO I. Inter Attributa Divina tum abſoluta, tum relativa ad eſſentiam comparata, & abſoluta ad invicem nulla eſt omnino diſtinctio realis. 104
ASSERTIO II. Inter Attributa Divina tum abſoluta tum relativa comparata ad eſſentiam, & abſoluta ad invicem datur diſtinctio rationis raticinatæ, ſeu cum fundamento ex parte Dei. 107
Reſpondetur objectis. 108
ASSERTIO III. Ad explicandas prædicationes, ex fidei regulis, & mente PP. de Natura Divina, & Perſonalitatibus factas, ſufficit ſola diſtinctio Perſonalis mixta indentitate eſſentiali. 111

CAPUT IV. De Infinitate Dei. 117
ASSERTIO. Deus eſt in omni genere infinite perfectus, ut quodvis attributum Divinum ſeu abſolutum, ſeu relativum ſit perfectio ſimpliciter infinita. 118
CAPUT V. De Immutabilitate Dei. 121
ASSERTIO. Deus eſt omnino immutabilis. 123
CAPUT VI. De Immenſitate, & æternitate Dei. 130
§. I. De immenſitate Divina. ibid.
ASSERTIO. Deus eſt immenſus, ita ut ubique ſit omnibus rebus quoad ſubſtantiam intime præſens, omniaque loca complectatur. 131
§. II. De Æternitate Divina. 135
ASSERTIO. Deus ſolus æternus eſt æternitate propria, nulli temporum ſucceſſioni obnoxia. 136

CONTROVERSIA II.

De Scientia Dei. 139
CAPUT I. De Exiſtentia, Diviſione, proprietatibus, ac dotibus Scientiæ Diviuæ. 140
ASSERTIO I. Eſt in Deo Scientia certa, ac evidens, ſimpliciſſima, infinita, æterna, & immutabilis. 141
ASSERTIO II. Scientia Divina neque eſt habitus, neque actus a Deo realiter diſtinctus; adeoque pendere non poteſt, ne quidem per noſtrum cogitandi modum, a potentia Phyſice effectrice. 145
ASSERTIO. III. Datur in Deo Species intelligibilis, & motivum intelligendi. 147
CAPUT II. De Rebus Divinæ Scientiæ ſubjectis. 151
§. I. Oſtenditur Deum ſe ipſum cognoſcere, & ſingil-

gillatim omnes creaturas, ſeu poſſibiles, ſeu exiſtentes, omnia ſecreta cordis, omnia mala ſeu pænæ, ſeu culpæ. ibid.

§. II. An in Deo Scientia ſit futurorum? 155

ASSERTIO I. Datur in Deo certa futurorum notitia, neque hæc pugnat cum libertate huma-na. 157

ASSERTIO II. Deus novit etiam certa ſcientia futura conditionata. 160

§. III. Reſolvuntur momenta adverſariorum. 162

CAPUT III. Quomodo, & quo in medio Deus cognoſcat ſe ipſum, & res poſſibiles? 168

CAPUT IV Quo in medio Deus cognoſcat res contin-gentes, & liberas abſolute futuras? 172

ASSERTIO I. Deus effectus creatos abſolute futuros nec poteſt videre in ſua Omnipotentia, nec in ſola ſua omniſcientia, nec in ſua æternitate. 175

ASSERTIO II. Deus effectus contingenter futuros tum ſibi ſoli, tum etiam voluntati huma-næ liberos, videt per ſcientiam viſionis tam in decreto ſuo efficaci, quam in ſe ipſis. 179

CAPUT V. Quo in medio Deus cognoſcat futura libera conditionata? 185

ASSERTIO. Deus futura conditionata nobis libera non cognoſcit in decretis ex parte ſui abſolu-tis, & conditionatis ex parte objecti. 187

Solvuntur nonnulla argumenta Scholæ Thomiſticæ, Scotiſticæ, & Auguſtinianæ. 193

CAPUT VI. Adfertur uberior explanatio Syſtematis Mo-liniani, ac Suareziani. 202

§. I. Syſtema, Uſus, ac ordo Scientiæ Mediæ. 203
§. II. Confectaria Syſtematis. 207
§. III. Diluuntur objecta Adverſariorum. 212

CONTROVERSIA III.

De Voluntate, ac Providentia Dei tam circa electos, quam reprobos. 216
CAPUT I. De Voluntate Dei. 217
§. I. Quid ſit, & quomodo dividatur Divina Voluntas? ibid.
§. II. Quod ſit objectum Voluntatis Divinæ? 225
§. III. Explicatur libertas voluntatis Divinæ. 231
ASSERTIO. Libertas Divinæ voluntatis conſiſtit in poteſtate electiva applicante volitionem ſuam objecto; unde contingentia Divinæ volitionis eſt Deo extrinſeca ſita in habitudine modaliter a Deo diſtincta. 233
CAPUT II. De Notione, & Exiſtentia Providentiæ Divinæ. 239
ASSERTIO. Eſt in Deo Providentia rerum omnium; etiam minutiſſimarum. 241
Diluuntur argumenta Divinæ Providentiæ adverſantia. 245
CAPUT III. De Providentia Dei relate ad ſalutaria hominum opera. 249
ASSERTIO. Prædefinitio actionum ſalutarium non obeſt libertati humanæ, ſi fiat conſulta eadem libertate; obeſt autem, ſi fieret libertate omni inconſulta. 251
Satis ſit argumentis, quæ contra hanc aſſertionem adferuntur. 253

Re-

Refelluntur reliquæ Objectiones. 257

CAPUT IV. De Notione, Exiſtentia, ac Proprietatibus Prædeſtinationis. 260

§. I. Quinam fuerint in hoc argumento errores hæreticorum? ibid.

§. II. Quæ ſit doctrina Catholicorum de Prædeſtinatione? 264

ASSERTIO I. Exiſtit vera ex parte Dei Prædeſtinatio. 265

ASSERTIO II. Prædeſtinatio ſecundum ſe eſt certiſſima, prorſus immutabilis: & conſentiens cum libertate arbitrii noſtri. 267

Refelluntur Hæreticorum argutiæ. 268

Refellitur opinio Catharini. 270

CAPUT V. De Cauſis, & effectibus Prædeſtinationis. 272

§. I. Explicatur Controverſiæ ſtatus. ibid.

§. II. Oſtenditur conſonum magis eſſe Scripturis, ac multis PP. electionem ad gloriam factam eſſe ex præſcientia meritorum. 275

§. III. Satisfit momentis ex Scriptura depromptis. 280

Reſolvuntur reliquæ objectiones, & quæ fuerit hac in re Auguſtini ſententia, accurate exponitur. 287

§. IV. De effectibus Prædeſtinationis. 295

CAPUT VI. De Reprobatione. 297

Exponuntur errores Calvini, ac Janſenii, aliorumque opiniones. 298

ASSERTIO I. De fide eſt, Deum ſincera voluntate velle alios ſalvos fieri, quam prædeſtinatos: imo Deum, etiam ſuppoſito peccato originali, velle ſalutem omnium hominum, ſi non eſt expreſſe de fide, certe eſt fidei proximum. 300

Diluuntur Objecta Adverſariorum. 303

Assertio II. Cauſa reprobationis nec eſt ſolum Dei beneplacitum in ſenſu Calvini; nec peccatum originale in ſenſu Janſenii: ſed unica reprobationis adultorum baptiſatorum cauſa ſunt actualia eorum peccata. 307

CONTROVERSIA IV.

De Divinis ad extra operationibus, ſeu de Deo Creatore. 310
Caput I. De Exiſtentia, Creatione, Natura, ac proprietatibus Angelorum. 311
Exiſtentia, & Creatio Angelorum. 312
Numerus, & Hierarchia Angelorum. 315
Perfectio, & Natura Angelorum. 318
Proprietates Angelorum. 320
Caput II. De Gratia, lapſu, ac pœna Angelorum. 324
§. I. Quo in ſtatu creati ſunt Angeli? ibid.
Assertio Angeli tam reprobi, quam prædeſtinati in ortu ſuo gratia quidem ſunt exornati; non tamen beatitudine donati. 325
§. II. Lapſus Angelorum. 328
§. III. Quæ pœna conſecuta eſt peccatum Angelorum? 332
Caput III. De Angelorum in homines officiis. 334
Caput IV. De Procreatione Hominis. 340
Refellitur fabula Præadamitarum. 342
De Imagine, & ſimilitudine, ad quam factus eſt homo. 345
De Primo primi hominis Domicilio. 347
Caput V. De ſtatu, & gratia primi hominis. 348
§. I. Exponuntur errores Hæreticorum. 349

§. II.

§. II. Oſtenditur contra Pelagianos, hominem non eſſe initio conditum, qualis nunc naſcitur, ſed multo feliciorem. 351
Diluuntur objectiones. 355
§. III. Oſtenditur contra RR. Hæreticos, juſtitiam originalem, Sanctitatem, & immortalitatem homini innocenti fuiſſe indebitam; ac proinde poſſibilem eſſe ſtatum naturæ puræ. 358
Reſolvuntur objecta adverſariorum. 361
CAPUT VI. De lapſu, pœna, reſipiſcentia, ac ſalute primi hominis. 368
§. De præcepto Dei, & tentatione ſerpentis. 369
§. II. Quale fuit primorum hominum peccatum? 372
§. III. Utrum primi Parentes ſalutem ſunt conſecuti? 375

CONTROVERSIA V.

De Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis. 379

PARS I.

Propugnatur Myſterium Trinitatis adverſus Hæreticos. ibid.
CAPUT I. Aſſeritur contra Judæos, & Hæreticos, tres eſſe in Deo Perſonas ab ſe invicem diſtinctas. 382
§. I. Proponuntur argumenta ex veteri Teſtamento. 383
§. II. Adferuntur argumenta ex novo Teſtamento. 387
§. III. Idem dogma probatur auctoritate traditionis. 392

§. IV.

§. IV. Refelluntur objecta Sabellianorum, & Socinianorum. 394
CAPUT II. De Divinitate Verbi. 403
ASSERTIO I. Filius Dei extitit in aliqua ſubſtantia, priusquam ex Virgine naſceretur. ibid.
ASSERTIO II. Filius Dei Verus eſt Deus, Patrique conſubſtantialis. 407
Reſpondetur Adverſariis 417
CAPUT III. De Divinitate Spiritus S. 427
§. I. Oſtenditur contra Socinianos Spiritum S. eſſe propriam, verique nominis Perſonam. ibid.
§. II. Demonſtratur Spiritum S. eſſe verum Deum Patri, Filioque conſubſtantialem. 431
§. III. Refelluntur objecta Socinianorum 433
CAPUT IV. An Spiritus S. procedat a Patre, ac Filio? 435
§. I. De origine, & progreſſu hujus controverſiæ. 436
§. II. Oſtenditur contra Græcos Schismaticos Spiritum S. a Patre ſimul, & Filio procedere. 438
Proponuntur argumenta Græcorum contra Latinos. 443
§. III. Oſtenditur Latinos rite uſos eſſe hoc medio: ſi Spiritus S. ex Filio non procederet, ab illo non diſtingueretur. 448
§. IV. An Græci jure accuſent Latinos de addita Symbolo vocula: *Filioque*? 451
ASSERTIO. Recte addita eſt Symbolo vocula: *Filioque*. ibid.

PARS II.

Reſolvuntur quæſtiones reliquæ de Myſterio SS. Trinitatis. 456

CA-

CAPUT I. De modo cognoſcendi SS. Trinitatem. ibid.
ASSERTIO: Myſterium SS. Trinitatis ſola ratione naturali demonſtrari non poteſt. 457
CAPUT II. De Divinis proceſſionibus. 460
§. I. Quinam ſit numerus Divinarum proceſſionum, & quale principium? 461
ASSERTIO. Principia proxima ſunt intellectus, ac voluntas, prout ſibi ſuperaddunt fœcunditatem. 462
§. II. Quodnam eſt diſcrimen proceſſionis Filii a proceſſione Spiritus S.? 465
ASSERTIO I. Inter proceſſiones Divinas hoc diſcrimen eſt, quod proceſſio Verbi ſit vera generatio, & talis non ſit proceſſio Spiritus S. 466
ASSERTIO II. Filius Dei eo cenſetur genitus, quod procedat in ſimilitudinem naturæ fæcundæ. 467
§. III. Oſtenditur Verbum Divinum non tantum procedere ex cognitione eſſentiæ, attributorum, ac perſonarum Divinarum, ſed & ex cognitione omnium creaturarum. 470
CAPUT III. De Perſonalitatibus, Relationibus, Notionibus, Circuminſeſſione, ac Miſſione Perſonarum Divinarum. 473
§. I. Oſtenditur tres eſſe ſubſiſtentias, nec quartam eſſe admittendam. 474
§. II. De Relationibus, & Notionibus Divinis. 476
§. III. Oſtenditur, admittendam eſſe mutuam Divinarum Perſonarum immanentiam. 479

§. IV.

§. IV. De Miſſione Divinarum Perſonarum. 480
CAPUT IV. De Divinis Perſonis ſingillatim. 485
§. I. De Nominibus primæ Perſonæ. 486
§. II. Adferuntur Nomina Secundæ Perſonæ. 489
§. III. De Nominibus Spiritus Divini. 496

EMANUELE VITTORIO IN ROMA

Errata				Corrige.
Pag. 3	Lin. 9	quæ	- -	qua
15	24	1. Petri c. 9.	-	1. Petri c. 3. v. 21.
ibid.	27	fecit	- -	facit
22	antepenult.	Ube	-	ubi
31	15	II. ut ſit	- -	III. ut ſit
44	29	prgorediuntur	-	progrediuntur
73*	penult.	ætenis	- -	æternis
79	13	ratia	- -	ratio
		611	- -	116
117	11	perſonaciter	-	perſonaliter.
121*	11	Prolog.	- -	Proſolog.
127	antepenult.	reſponſo	- -	reſponſio
136	26	temporibus	-	temporis
140	20	c. 4. v. 14.	-	c. 14. v. 14.
208	ult.	facturus	- -	facturum
218	21	pſ. 100.	- -	pſ. 110.
211	12	Scientiæ mediæ directæ	-	Scientiam mediam directam
220	1	peoſonales	- -	perſonales
228	19	Jud. 8.	- -	Judith. 8. v. 22.
ibid.	29	prov. 8.	- -	prov. 15. v. 9.
244	4	prov. 25.	- -	prov. 15. v. 3.
251	24	hæcque	- -	hacque
267	10	ad Timoth. 2.	-	2. Timoth. 2.
268	18	Theſſ. 1.	- -	1. Theſſ. 1.
280	4	nos	- -	non
288	12	Seſſ. 9.	- -	Seſſ. 6.
293	18	pugnans	- -	pugnantem
303	15	pſ. 31.	- -	pſ. 13.
320	10	c. 8. & 20.	-	c. 28.
332	16	Epheſ. 5.	- -	Epheſ. 6.
413	12	πάντων	- -	πάντων
417	14	Marcus c. 20.	-	Marcus c. 10.
440	6	Patrem,	- -	Patrem ex Filio,
446	16	Petavinum	- -	Petavium
449	15	& Spiritu	- -	& Spiritus
461	22	current quo	-	*quo*
488	25	hoc	- -	hac

Cætera benevolus Lector Corriget.

itized by Goog e

Digitized by Google